

PALMATA  
DIE EA

A  
47  
49







BIBLIOTECA HOSPITAL  
GRANADA

Sala:	A
Entan:	047
Numero:	049

2 400 40

Galpa

MADE IN SPAIN

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23



C-I-12

~~5~~  
~~1 - 11~~

A-615.11 CHAR

G-4-30,1



BIBLIOTECA HOSPITAL	
GRAN	
Sala:	A
Estante:	047
Numero:	049




C-I-12

~~15~~  
~~1-11~~

A-615.11 CHAR


G-5-30,1







THE RIACA  
ANDROMACHI  
*Conscribente*  
MOSECHARAS



GENEVAE  
*Sumpt. Joan. Ludov. Du Four.*



T. H. H. A. C. A.

LIBRARY

M. O. P. C. H. A. R. A. S.



# MOSIS CHARAS

MEDICINÆ DOCTORIS

& Regiæ Majestatis Anglicæ Chymici,

## PHARMACOPOEA

REGIA,

## GALENICA

ET

## CHYMICA,

GALLICE AB AVTHORE CONSCRIPTA,

*jam verò Latine data.*

TOMUS SECUNDUS.



H  
1740



GENEVÆ,

Sumptibus JOANNIS LUDOVICI Du-FOUR.

M. DC. LXXXIII.

M. O. S. I. S.  
CHARAS

PHARMACOPŌEA

GA  
ENIG

Y M I O N A  
C O M M I S S I O N E R  
F O R T H E S T A T E S



11/10  
11/10

FOR THE STATE OF  
NEW YORK





# PHARMACOPOEÆ

## R E G I Æ

P A R S T E R T I A .

Continens Præparationes

# CHYMICAS

*Ordo & Dispositio istius Partis.*

**I**ntima necessitudine cum Pharmacia Galenica & Chymica jungantur, mutuūque & perpetuum sibi præbeant auxilium, operæ pretium me facturum credidi si a limine hujus operis generalia quædam afferrem ad utriusque cognitionem conducentia. Eapropter leviter tantum attingam, & obiter, quæ jam ante à me dilucidata fuere, at vero ad praxim eadem revocaturus sum, usum toto hujus Partis decursu, qua de Præparationibus Chymicis, traditurus.

Pharmacia Chymica, non secus ac Galenica, versatur circa Vegetabilia, Animalia & Mineralia, quæ materia sunt & subjectum utriusque operationum, ex quibus concinnat remedia idonea morborum aut mitigationi aut curationi: Porto cum Galenica tritis tantum & vulgatis utatur mediis, ad separationem partium quæ aut improbæ aut inutiles iudicantur, fatisque illi sit purgasse, infudisse, coxisse, contudisse, aut ad usum miscuisse eas quæ illi optimæ videntur, Chymica intima scrutatur mixtorum, summo artificio ab invicem secretura partes omnes hæc



constituentes, eadem ab inquinamentis, sensibus non obviis liberatura, ut eo pacto substantiis puris, præcipuis illorum & essentialibus maxime partibus extricatis, idoneas illas præstet producendis speratis cum efficacia effectibus.

Nihilominus tamen in hoc materiae & scoporum concursu, utrique Pharmaciae communibus, Chymica Pharmacia, utvt excellentissima, plurima instrumenta & media Galenicæ familiaria sibi adsumit, etfi præter prædicta non exiguus aliorum numerus ab ea in usum adducantur, atque illius industria quotidie nova in publicum prodeant, quando mixta, adhibita accurata diligentia, in particulas diducere & divellere molitur.

Tertiam hanc partem in tres libros distinxî, Priore illorum vegetabilium preparationem adduco, quandoquidem e mixtorum genere hæc primo oculis obvia sunt in superficie terræ, nobis maxime familiaria, segetem remediorum uberrimam præbentia. Succedunt his Animalia, Libri Secundi subiectum, non eo solum nomine quod cum ex vegetabilibus maxima illorum pars alimentum trahens, variæ partes quodammodo exinde vires suas mutuari videantur, derivandas in insignem remediorum numerum, quæ componunt, sed præterea quod plurima illorum in alimentum nostrum cedant: Mineralia tandem Tertii Libri materia futura sunt, quod cum fere omnia in terræ visceribus abscondita lateant, non æque nobis familiaria sint, laboremque requirant improbum, ignemque vehementiorem, majusque artificium quam in Vegetabilium aut Animalium præparatione adhibendum sit.

At cum in id præsertim incumbam, ut media & tutiora & faciliora ad feliciter perficiendas operationes omnes Chymicas in apertum prodeant, id sincero animo exhibiturus sum quod quotidie ad praxim revoco, præparationes cognitu necessarias cunctas ad unam exhibens, quas propriis manibus trivero; ea ratione mentem meam explicaturus, ut quas traditurus sum nitide proponens, nullo negotio à me prætermittendæ in cognitionem veniant, dummodo artis periti antea consulti fuerint, eorumque ergasteria frequentata, nec defint genium, instrumenta, aliæque ad finem consequendum necessaria.

Spero præterea, cum Præparationes meæ Rationi & Experientiæ innitantur, ambagesve ac prolixos sermones, plurimis authoribus in delitiis, à me abesse velim, quam inibo viam nemini improbandam esse, atque in optimam partem acceptum iri quod illarum vires, doses ac in usum flectendi rationem in medium adduxerim, deductas ex constitutione mixtorum, ac examine præcipuarum partium illa componentium; variis item alterationibus quas à præparatione subeunt, ac tandem ab exploratis non semel illorum effectibus.



## LIBER PRIMVS:

## De Præparationibus Chymicis Vegetabilium.

## CAPVT PRIMVM.

*De Distillatione Vegetabilium in genere.*

**V**egabilium numeri amplitudo cum minor non sit totius terræ superficie, insignisque illorum differentia, & quoad figuram & quoad facultates, cum limitibus nullis, uti neque numerus, describantur, mirum ne sit, si cum Chymia ab omni ævo studium adhibuerit excogitandis rebus necessariis ad facilem mixtorum præparationem, nulla non die illi occasiones occurrant ad praxin media illa adducendi, imo quamplurima nova adjiçendi ad facilius scopum propositum consequendum facientia.

Distillatio, quanquam omnibus obvia, inter operationes primas fere obtinet, qua Chimia utitur ad præparationem & partium Vegetabilium purgationem; imo Animalium & Mineralium. Etsi vero Ars Distillatoria Galenicæ Pharmaciæ ignota non sit, imo jampridem illam in usum duxerit ad ordinariam Aquarum sibi familiarium præparationem, non tamen gloriari potest quasi culmen perfectionis in hac operatione attigerit, utique quasi docuerit rationem separandi & distinguendi ab invicem partes ex quibus mista constituuntur, cum enim trita tantummodo infisteret viæ, mediis solum & organis, è trivio usa, neque illi curæ fuerit notitia sexcentorum aliorum quæ Pharmaciæ Chymicæ quotidie in manus veniunt, successus optatos ideo consequi non potuit, neque legitimam analysin mixtorum quæ distillationi subijcere adgressa est.

Lectio Scriptorum, Mesuës, Auicennæ, Serapionis, Rhafis, aliorumque priscorum authorum Galenicorum, Græcorum & Arabum, qui rei Pharmaceuticæ descriptionem tradidere, veritatem rei apertam faciet, illudque in confesso esse jubebit Pharmaciæ Galenicæ famam periclitari nisi à Chimica plurimas præparationes præstantissimas mutuatitias habeat, easdemque in usum trahat, fulciendi ergo, & melius statuminandi opus cui se accingit.



Cum porro varia Vegetabilium indoles, diversa compages, & collectio magis aut minus arcta partium ea constituentium, peritum artificem non solum ad diversum Ignis regimen, sed & ad varia comparanda Vasa, aut organa, quæ illi familiaria esse debent ad diversimodam materiæ sibi subjctæ preparationem, ac præsertim distillationem, nitide traditurus sum & adducturus varias methodos, quibus insistere debet Pharmacopœus, respectu habito ad variam partium Vegetabilium indolem quas distillationi subicere intendit; Neque quoque prætermittitur ratio nem quam inire debet cum uno eodemque tempore illi distillandæ offeruntur plurimæ partes substantia à se invicem discrepantes, imo & nonnunquam necesse habet partes nonnullas animalium & mineralium illis admiscere.

Præcipuus Distillationis effectus est, caloris ope, Mixtorum (sed præsertim Mineralium) partium fluidarum resolutio, ab aliis Vaporum specie secretio, horum demum collectio, ac guttatim, vel stillatim, per vias ab artifice illis destinatas effluxus.

Vt plurimum Chymia tres diversas substantias in liquoribus, quos ex vegetabilibus per distillationem extrahit, animavertere solet, Aqueam, Spirituosam & Oleagineam, quibus commixta aliquando deprehenditur quarta, una cum cæteris e quibusdam plantis prodiens, videlicet Salina Volatilis: Aquea, Phlegmatis nomine donata, à cæteris mixti partibus non difficili negotio divellitur, cum igne impellitur: Magna præ cæteris copia redundat, sed omnium minime est efficax; neque propterea parvifacienda, nam præterquam quod cæterarum substantiarum aliquando activitatem nimiam moderari potest, nonnullas quoque mixti partes essentielles continet; quas secum in distillatione evchere solet, quo fit ut incorrupta pluribus mensibus permanere possit, imo per annum integrum, necnon insignes effectus aliquando edere semper observabiles, imo in ipsis plantarum Aquis stillatitiis, sapore & odore omni fere destitutis.

Substantia Spirituosa partium essentialium distillatione elicitarum altera est, quàm universa Chemicorum cohors unum ex principiis activis statuit sub Mercurij nomine: In illa animadverti solet Aciditas quædam odori juncta qui plantis inesse potest. Durabilior, atque eminentiores ac efficaciores effectus in ea quam in Aquea deprehendere licet.

Substantia Oleaginea, à Chymicis quoque inter principia activa reposita, Sulphuris nomine in distillatione evchi solet cum Aquea & Spirituosa: flammam concipit, cæterisque substantiis, si purissima sit, eminent & supernatat; ad fundum vero præceptis abit si partes quæpiam salinæ aut terrestres remixtæ sint: Prædicta substantia in se concipit id quod plantæ



aromaticæ præstantissimum obtinent, odorem exhibet acutum, saporem acrem, & pro Quinta Aromatum Essentia habere licet : Dintissime asseruari potest, dummodo ambientis injurias non experiatur.

De his Principiis plura addere animus non est, cum sat multa initio primæ partis hujus Pharmacopœæ adduxerim : missam quoque facturus sum substantiam volatilem salinam nonnunquam illi admistam, eo quod deinceps occasio non defutura est illam manifestam faciendi, speciatim cum de Distillatione singularium quorundam Vegetabilium agendum mihi fuerit, cujus methodum suo loco traditurus sum.

## CAPVT SECVNDVM.

*De Distillatione Radicum, Deque variis Substantiis ex illis eliciendis.*

**N**onnullæ quidem plantæ absque caulibus nascuntur, aliæ absque floribus, aliæ sine seminibus, plurimæve aliis productionibus, plantarum familiæ accensendis, nulla vero absque radice quapiam visa est; ex illa quippe reliquæ partes materiam ad nutritionem eliciunt, incrementum & subsistentiam, imo & partium quarumvis figuram adsumunt. Nec immerito id quoque statuendum, non magis possibile esse ut fiant id quod sunt absque radice, quam ut eadem radix sit id quod est, nisi semen, ex quo emerit, præcesserit, aut saltem ab aliquo radici analogo divulsa sit, cui vis insita fuerit speciem multiplicandi, cujusmodi in croco &c. observatur : uti & etiamnum ponendum eandem subsistere non posse, neque partes, quæcunque nobis conspicuæ sunt, producere, Terræ auxilio destitutam; quæ illi uteri aut matricis vicem præbet; Absque Solis efficacia, calorem illi necessarium suppeditantis; Absque Aquæ subsidio, ad ipsam deferentis quicquid Terra, ad ejus essentiam necessarium continet & subministrat, incrementum & perfectionem aut statum, ut denique eorum in singulas partes distributio fiat : Illud quoque ratum esse debet Radicem, earum præsertim plantarum quæ quotannis intereunt, ad partes ex ipsa oriundas nequaquam vires, quas in illas transfundit immisuram, nisi & ipsi eadem prius insitæ fuissent: Quamobrem quasi in compendio præcipuæ vires, quas in cæteras plantæ partes diffundere apta nata est deprehenduntur, dummodo eo tempore collecta fuerit quo se accingit ad productiones suas exferendas, quod solet esse finis hyemis aut veris initium.

Sed quamvis hi respectus artificem impellere debeant ut magno affimet optimas partes & facultates, quibus plurimæ radices præditæ sunt, Chemicas illarum præparationes multiplices instituat, Distillationi



tamen illæ minus quam cæteris operationibus subjiciuntur, quam solum in quibusdam radicibus aromaticis adhibere solet, quarum partes præcipuas facile hoc pacto educere potest, Atque ab his initium exemplorum Distillationis ducendum esse existimavi, quæ hoc in opus adferre decrevi.

Distillatio *per Descensum* dicta, ejusmodi in Radicibus locum nequamquam habet, uti neq; illa quæ *ad Latus* vocatur, nam præter consumptione imminuentem portionis optimæ partis quæ radicibus inest, utiles illarum facultates alterationem manifestam profecto subirent, ab ignis immediato contactu illas invasuri; Sed ad hoc opus Distillatio Recta vel *per Ascensum*, requiritur, eligendo Menstrua, aut dissolventia idonea, in quibus non solum dissolvi queant partes purissimæ & dissolutioni idoneæ harum radicum, sed & quorum ope illæ sursum evehi queant vaporis forma, ope distillationis, demum in liquorem, quas resolutas excipiat Recipiens ei rei dicatum.

Eam in rem valent cucurbitæ vitreæ, lapideæ, (*de grés*) aut fictiles vitreatæ, Alembicis vitreis instructæ, si distillationi exponenda sit exigua Radicum quantitas: Sed si major copia distillanda fuerit, ad hoc opus requiruntur Refrigeratorium majus aut minus, vel Vesicæ cupreæ stanno intus obductæ, coopertæ Alembico, capite Mauri dicto, instructæ Serpentino, dolium aqua frigida refertum transversim per transiente.

Vna eademque methodo distillandæ radices Valerianæ, Imperatoriæ, Angelicæ, Meu, Carlinæ aliarumque plantarum aromatica vi imbutarum, spiritibus turgentium, nonnullis oleagineis, imo & salinis, volatilibus & fixis.

Accipiantur, exempli gratia, libræ tres cujuspiam è dictis radicibus siccatas, quibus exacte contusis, & magnæ Cucurbitæ vitreæ immixtis, affundantur aquæ melissæ stillatitiæ libræ sex, vini albi optimi tantumdem, ad id opus electa Cucurbita ejus capacitatis ut quarta circiter illius pars vacet; demum adaptato illi Alembico vitreo, lutoque utroque munito, cum recipiente Alembici rostro adpenso, cuncta hæc per tres aut quatuor dies in digestionem sinantur ad ignem cinerum lenissimum, aut supra furnum Pistoris, vel fornacem hypocaufti; Postmodum Cucurbita in Balneo arenæ collocata, distillatio instituenda erit igne moderato, qui tamdiu duret quousque aqua inde stillans saporis & odoris fere expers fuerit; quo tempore permittendum ut vasa sponte refrigescant, post colandæ & exprimendæ materiæ in cucurbitæ fundo superstitis, dehinc claresfacto liquore, humiditatis superflue, ope ignis lenis, procuranda evaporatio ad legitimam Extracti consistentiam, quod seorsim in vase Faventino accurate occludendo adservandum.



Magma quoque exsiccare potest, comburi, in cineres deduci, Elixivari, quo per filtrum transmissio, consumptaque ad coagulationem usque salis humiditate, hoc commiscendum Extracto & cum illo adservandum.

Optimum erit si liquor distillatus rectificatus fuerit, Balneo Cinerum, aut Arenæ, igneque moderatissimo, eliciendo spiritum subtilissimum, illiq; conjunctum Salvolatile, imo Aquam spirituosam, cujus etiamnum comes erit Olei odorati tantillum, supernatantis liquori, quod separandum, & seorsim reponendum in exigua lagenâ vitrea, densa, accurate obturanda, ut pote essentia eximia, & efficax: Aqua in fundo cucurbitæ residua, cum virium prope sit expers, vix Officina digna est.

Extractum ea ratione præparatum, cum nihil insigne præ se ferat, præter radicis partem salinam fixam, quod partes cunctæ volatiles, & maxime utiles per distillationem ad superiora evectæ sint, vix solum quicquam generosum edere valet; at vero optime in usum duci potest si in aqua spirituosa dissolutum fuerit, cui quoque vigor accedere potest addito spiritu volatili, ejusque comite oleo simul distillatione elicitio; hoc aliquot drachmis sacchari purissimi pulveris commixto, cujus ope intima potest fieri conjunctio istius olei, illique ad finem, cum quibusvis liquoribus aqueis.

Substantiæ à me modo commemoratæ potentissime humorum putredinem coërcent, nec non aëris inquinamenti obsistunt: Eapropter felicissimo eventu in omnibus affectibus epidemicis adsumuntur, imo ipsa Peste: Commisceri possunt, & simul exhiberi, sicuti à me dictum, variæ illæ substantiæ sua quæque justa proportione; aut seorsim dari, ratione habita morbi indolis & ægri virium.

Dosis spiritus optime rectificati, admixto sale illius volatili, est à scrupulo ad drachmam, Aqua spirituosa porrigitur ab unciiis duabus ad sex, imo etiam octo, Oleum exhibendum à guttis duabus ad septem usque vel octo; Extracti dozis, remixto sale ejus fixo, à semidrachma ad drachmas duas.

Cunctæ partes illæ, quanquam diversæ, in unum eundemque finem conspirant, corroboracionem videlicet cordis, cerebri partiumque omnium principum; humoresque malignos, per habitum corporis excludi idoneos, per sudores aut insensibilem transpirationem expellendos. Respondebit eventus pro majori aut minori dozi accepta: Extracto vis nonnulla purgans inest, ratione salis fixi illi inexistentis, quamobrem commodissime cæteris medicamentis purgantibus commisceri potest, adversus morbos ad quos cæteræ partes utiles, modo à me memoratæ, in usum adducuntur.



Oleum stillatitium in unum corpus convenire & coalescere potest, oleo Nucistæ expresso commistum, atque inde confici Balsamus peragrandus, exigua pyride, aurea, argentea, aut eburnea includendos Balsamus ille cognomine radicis è qua eductus fuit donandus, acceptus tum ob odoris suavitatem, tum ob vim nobiles partes corroborandi, præsertim cerebrum, naribus illum immittendo, temporibus admovento, & supra cranii futuras.

## CAPVT III.

*De Distillatione Herbarum succulentarum, inter frigidas repositarum.*

**E**T si non immerito usus succi, aut decocti herbarum humidarum & odore carentium, præferatur Aquis ex illis per distillationem extrahendis; Illud porro concedendum sit sal fixum herbis inhærens vix sursum evehi, per distillationem obtinendam, attamen aquis ejusmodi carere vix licet, si modo ægris gratiæ debentur, saporem succorum aut decoctorum respicientibus: Adde quod non quovis tempore præsto sunt herbe, quod omnes fere hyemali tempore intereant, Decoctum vero, aut succus plurimis diebus incorrupta servari nequeunt, nisi ab humore superfluo liberata fuerint, corruptionis illorum causa; vel substantia illorum liquida in crassiorem commutata sit; vel deputatione illorum facta, clarificatione, & cum saccharo aut melle coctione, ad illum statum deducta fuerint per quem diutius adservari queant, Syrupi videlicet formam.

Herbæ predictæ, uti neque radices à me memoratæ, per descensum aut ad latus distillantur, neque enim hoc pacto vlla legitima separatio partium puriorum ab impuris sperari potest, vixque obtinere licet ne posteriorum pars maxima cum prioribus effluat ac illis commisceatur; Eapropter tantum Distillatio per ascensum, vel Recta, adhibetur, quippe quæ sola in vapores solvere, ac dictarum herbarum liquorem subtilissimum evehere potest, qui demum in alembico colligantur, ac gustatim inde, aut instar filamentorum aqueorum per rostrum dicti instrumenti in recipiens distillent.

Varia debent esse Vasa, diversumque ignis regimen, pro varia herbarum distillandarum natura; Neque enim tantæ capacitatis vasa esse debent, atque accuratius ignis regimen requiritur ad eas quæ tenuis sunt substantiæ, frigidæ judicatas, quam ad eas quarum substantia crassior est, commixtas habentes partes calidas: Ad priorum distillationem usurpantur vasa vitrea, vel, si defuerint, lapidea, (*de grés*) aut fictilia, interius



interius vitreata; Instituitur & illarum distillatio in maris Balneo aut Vaporoso: Posteriorum verò in vasis cupreis stanno interius obductis; quorum quædam Refrigeratoria dicta, parte superiore, vapores, ut ignis è materiis substratis elevatos excipiente, aquam frigidam continere debent, utilem condensandis illis vaporibus, Recipiente demum excipiendis: Alia, magnæ Vesicæ dicta, superna parte gerunt Alembicum, cui à figura capitis Mauri nomen impositum fuit, rostrum habens adjectum, dictum serpentinum, aut anguinum, diversimode inflexum, transversim dolium aqua frigida plenum pertransiens: Hæc Refrigeratoriis præferri solent, eo quod elati vapores plus refrigerij nanciscantur, faciliusque ideo resolvantur, in transcursu nacti magnam aquæ frigidæ copiam, cum in priori nullum aliud refrigerium obtineant quam quod communicare valet exigua aqua Recipiente contenta.

Posteriora hæc ex duabus constant partibus, quarum inferior, materias distillationi dicatas continens, figuræ rotundæ est & depressæ, ad summum altitudinis octo aut septem pollices obtinens; superior capellæ formam obtinens, proportione in basi sua respondens latitudini vasis inferioris quod excipere debet, multo latior est & excelsior Capellis vulgaribus; Potest & huic adcommodari, & circum circa quasi ferruminari, pyxis cuprea altior & amplior, nisi ambientis vices gerens, aquæ copiam non exiguam continens, quæ capellam undique cingens, ac per vices affusam recentem aquam excipiens, vaporum ex materia substrata elatorum resolutionem faciliorem & celeriore reddidit; quin etiam empyreumatis odorem, quem aquæ in ejusmodi vasis distillatæ facillime contrahunt, præcavet: Vasa illa Rosaria vocantur, quia vulgus ad Rosarum distillationem illis utitur: imo & adhibens capellas plumbeas inconsiderate, vapores enim è materiis suscitati, ad occursum partis interioris capellæ certissime illam erodunt, plurimasque particulas exinde abstrahunt, quibus proculdubio aquæ qualitas, illam dissolventis & abradentis, alterationem suscipit; sapor subdulcis, & pulvis candicans, ad aquæ fundum paulatim secedens, luculenta eventus indicia præbent; sicuti sapor acer, & pulvis viridescens in fundo aquarum in vasis cupreis stanno non obductis subsidens, manifestissimum faciunt æris particulas abrasas & dissolutas secessisse.

Cum porro inter metalla solum stannum vaporibus ex herbis distillandis suscitari solitis obistere valeat, neque exesioni, neque dissolutioni obnoxium, summa cura adhibenda est ut vasa cuprea, distillationi peragenda dicata, stanno interiori parte accurate obducantur: Imo forte satius esset capellas ex stanno purissimo & sonoro confectis uti, dimissis cupreis stanno obductis, commodissime tamen in usum venire



possunt capellæ plumbeæ ad distillationem aquarum solani, plantaginis, rosarum albarum, pedunculorum rosarum, & similibus, collyriis destinatarum, aliisve usibus externis, eo quod conjunctæ illis plumbi particula intendunt prædictarum aquarum efficaciam.

Balnei maris, aut Vaporosi, calor cum insufficienti sit excalefaciendæ illi copię materiæ quæ in ejusmodi vasis continetur, præsertim in ambobus prioribus, ignis immediatus ex carbonibus accensis usurpari solet, sed accurato regimine opus est, quamobrem earundem fornacum ostiola, aut registra, referenda aut claudenda opportune, ad augmentum aut decrementum caloris pro re nata: Satis tamen aliquando esse possunt Balnea Cinerum, aut Arenæ sub Rosario, præsertim cum distillandæ sunt herbæ integræ aut incisæ citra ullius humoris additamentum; aut si distillandus est alicujus plantæ succus, à quo intensiori vis refrigerans infringi possit.

Optima methodus distillandi plantas humore multo madentes, atque præstantissimarum quas continent partium eliciendi ratio est per succi illarum extractionem, illum prius depuratum distillationi subjiciendo: Non opus hic est methodum tradere cui insistendum ad extractionem & depurationem quorumvis succorum, cum hanc iam pridem enarraverim capite primo partis secundæ hujus Pharmacopœæ, ubi de Galenica succorum præparatione; Sed opportunum fuerit animadversiones quasdam attulisse de varia succorum indole, naturam redolentium plantarum è quibus educi sunt, ut videlicet non solum ratio habeatur diversitatis substantiarum illas constituentium, sed præsertim copię illarum quæ in unaquaque dominium supra cæteras obrinent, quo vasa idonea possint eligi, ignisque eo modo regi, ut in aqua distillata reperiat id quod per distillationem sursum promovendum est; non neglecta interim parte salina, cum succi facibus semper residua, aut in magmate herbarum è qua fuit eductus.

Cucurbitis vitreis, argillaceis, aut fistilibus vitreatis, quibus adaptandi alembici vitrei, commodissime infunditur succus depuratus foliorum Nymphææ, Sempervivi majoris & minoris, Umbilici veneris, Lactucæ, Solani, herbarumque simili humore plurimo scatentium; paucissimis vero partibus salinis, paucissimis sulphureis, quæ distillantur Balneo Mariæ, aut Vaporoso, cum magis qualitas refrigerans quam aquarum distillandarum copia exquiratur: At vero si distillatione eliciendum id quod in dictis plantis maxime essentiali est, adhibendum est Balneum Cinerum, imo & Arenæ, sed moderatæ caliditatis: Ea enim ratione aqua particulas quasdam volatiles spirituosas, utcumque salinas, comite nonnulla aciditate, quæ conservationi conducunt, imo & efficaciam addunt.



addunt, secum abstrahit & sursum evehit : Sal etiam fixum in herbarum magmate disquirendum, in aqua distillationeeducta diluendum, et si minima quantitas ab iis expectanda labori extractionis supersedendum moneat.

Distillari necnon potest Succus, imo folia viridia dictarum herbarum, incisa aut integra in Rosario, cui impositus sit Alembicus ex stanno puriori & sonoro fabricatus, vel cupreus stanno obductus, Balneo cinerum aut arenæ superimponatur, atque eo modo præstantissimæ aquæ educi possunt, dummodo regimen ignis, dum distillatio peragitur, accuratum fuerit, curaque fuerit ne adurantur matetiæ distillandæ, cum humor omnis prope jam absumptus est.

Non insignis in Aquarum viribus, uti neque in earum usu observatur discriminem, Frequentissimus est ad æstum febrium extinguendum, humorumque biliosorum effervescentiam sedandam, sicuti & ad somnum invocandum, illas exhibendo ab unciis duabus ad septem vel octo, seorsim aut commixtas syrupo cuiuspiam idoneo, Iulepi forma; Exterius quoque adhibentur, tam ad cutis lævorem conciliandum, quam ad rubores delendos, tum ad erysipelas curandum, ac omne herpetis genus, inflammationesque externas extinguendas: Aqua Solani in postremis hisce affe&ibus vulgarissima est, sed ore adsumenda rarissime præscribitur, forte tantum gargarisanda.

## CAPVT QVARTVM.

### *De Acetosarum Distillatione.*

**Q**uandoquidem magna adest affinitas inter varias Oxalidum species cum herbis à me modo memoratis, eodem omnes igne distillandæ videntur, eademque eam in rem vasa usurpanda, At cum in prædictarum Acetosarum succo sal quoddam essentiale acido tartareum contineatur copiosius, sed admodum à sale herbarum, de quibus superiori capite à me actum, discrepans, cujuseductio à me prætermissa est, quodque nisi summa cura adhibita elici potest, mei officii esse credidi methodum illam in medium asferre.

Non exigua Oxalidis succi extrahenda copia est, eo tempore collectæ quo in semen erumpere incipiens illius humiditas rite digesta est, ac qualitates ad summum vigorem evectæ: depurandus ille succus, infususque in plures cucurbitas vitreas, adeo ut tres illarum partes adimpleantur, unicuique suum alembicum imponendo, ac in Balneo arenæ, adhibito igne moderato collocando, distillanda erit aqua, quousque cu-



curbitæ unicuique commiffi fucci circiter duæ partes confumptæ fuerint Deinum refrigerato Balneo, reconditaque aqua diffillata, in manicam, ex panno albo paratam, fuccus in cucurbitis fuperftes decantandus, ad exactam fæcum feparationem: Poftæa infufo liquore limpido in cucurbitam vitream mundam, alembico fuo munitam, iterata inftituenda erit diffillatio in Mariæ Balneo, neque tepido neque æftuante, quæ vrgenda donec fuccus in cucurbita fuperftes ad Rob confiftentiam deductus fuerit, quo tempore permittendum ut vafa refrigerentur & cucurbita in cellam vinariam deferenda, in qua fal Oxalidis Effentiale exactis aliquot horis in Cryftallos abiturum eft, fundo & lateribus cucurbitæ adhæfuras: Tunc per inclinationem vafis in exiguam cucurbitam effundendus erit liquor Sali fupernatans, qui Balneo Mariæ ad evaporationem iterum commiffus, donec ut prius fponte cræffefcat; ficuti prima vice, in cellam vinariam iterato deferendus, ut eadem cryftallifatio fuccedat: Ad exficcationem perducipoteft utrumque Sal, atque in phiala vitrea ad fervari, accurate occludenda, aut diffolvi in aqua diffillata & illi commixtum fervari, à quo efficaciam majorem obtinebit: Ut melius purificetur, liceret etiam id diffolvere in aquæ diffillatæ portione, per chartam emporeticam liquorem hunc filtrare, demum evaporatione facta aquæ ad pelliculam nſque ope moderati caloris, Sal ad cryftallifationem in cella vinaria deducere, id exficcare, & in lagenâ vitrea optime clauſa ad uſum fervare.

Hoc in fale continetur quicquid Acetoſæ optimum & maxime effentiale conceſſum eft, viſcerum obſtructiones aperit, incidit & attenuat humores cræſſos & viſcidos, ideoque opem inſignem præſtat in affectibus Iecoris, & Lienis. Appetitum excitat, concoctionemque alimenterum promovent.

Dofis illius eft à ſemi ſcrupulo ad drachmam ſemis, in aqua propria aut quopiam iuſculo: Aqua diffillata in uſum accerſitur ad æſtum febrrium extingendum, præſertim biliofarum: Adſcribitur etiam numero aquarum Cordialium, eademque dozi qua præcedentes præſcribitur.

## CAPVT V.

*De Diffillatione Aquarum calidarum, amararum, & odore carentium, Aliſque illarum præparationibus quorvis tempore ſuſcipiendis.*

**E**Adem norma & ratione qua Acerofæ liceret diffillare fumariam, lupulum, carduum benedictum, aliasque herbas ſucculentas, amaras &



ras & fere inodoras, Eadem quoque vasa ad id opus idonea videntur, idemque ignis gradus adhibendus, At cum non exigua copia dictarum herbarum Aquæ distillatæ in usum veniant; non paucum porro Sal nitro tartareum obtineant; ac citra qualitatum illarum alterationem, si liber, ignis gradus vehementior adhiberi potest, commodissime Refrigeratorium usurpare licet, aut magnam vesicam, capite Mauri instructam, cum serpentina fistula, transversim dolium aqua frigida repletum pervadente, ad distillandum illarum succum, eadem ratione qua oxalidum depurandum.

Cum vero Sal essentialè, quod crystalli formam adeptum est in succo, in vasorum fundo post distillationem residuo, ut plurimum impurum est & obscuri coloris, tam ob partes terrestres plusquam in acetosis copiosas, quam ratione quarundam partium sulphurearum, plantas amaras concomitantium, cum præsertim summo in vigore constitutæ sunt, tunc temporis non solum sedula cura filtrandi sunt succi, neque minori quam ad succorum exalidum depurationem, sed alia præterea media disquirenda sunt ad exactiorem purificationem dictorum Salium: Vt res votis respondeat, & simul comparari possit Sal in herbarum magmate residuum, è quo succi fuere extracti, magma illud exsiccandum est, ex eo combusto, & in cineres deducto, lixivium parandum est cum aqua ex eadem herba distillatione educta, in quâ postquam dissolutum fuerit Sal crystallinum, succo condensato commixtum, omnia transmittenda sunt per chartam emporeticam; demum ex liquore filtrato, cucurbitæ vitreæ immisso, cui alembicus impositus sit, per maris Balneum elicenda est aqua, pergendo in distillatione quousque observata fuerit crustula supernatans liquori, illumque pelliculæ instar obtegens: Tunc à distillatione desistendum, & ut vasa sponte refrigerentur permittendum, Cucurbita autem in cella vinaria per horas quatuor aut quinque relicta, in parvam cucurbitam vitream decantandus erit liquor residuus, illiusque facta nova iterum evaporatione ad pelliculam usque, exsiccatio procuranda erit Salis priori commixti, ad usus idoneos adservandi, in ampulla vitrea forti, accurate obturata: aut id commiscendum erit propriæ aquæ distillatæ, sicque recondendum.

Sal ex prædicto herbarum magmate eductum, cum destitutum sit parte nitrosa volatili, illi prius adhærente, ab adustione & incineratione præcedentibus destructa, solum partem salinam tartaream fixam obtinet: At vero sal succorum, fundo vasorum post distillationem adhærens, eque constat ex parte nitrosa volatili & tartarea fixa, harum herbarum præcipuis substantiis: Additio tamen salis tartarei fixi, e magmate eliciti, cum duorum priorum conjunctione optime consentit, quorum vim manifestè intendit augetque.



Quidam magno loco habent Aquas Cichorij, Lupuli, Fumariæ, ad massam sanguineam depurandam ac curationem affectuum Iecoris & Lienis, imo & Ventriculi ab humorum corruptela oriundorum, majori tamen efficacia operantur si proprium illarum sal additum fuerit, cujus dosis est à semi-scrupulo ad semi-drachmam, imo & drachmam integram, Aquæ exhibentur ab vnciis duabus ad sex, imo & octo: Sal distillarum herbarum immiscetur nonnunquam jusculis aliisve liquoribus; quinimo & quibusdam Salibus, Opiatis, aliisve remediis.

Carduus benedictus partibus nitro sulphureis quam jam memoratæ plantæ magis abundat; Sal & aqua ex illo educta præstantiores quoque edunt effectus: quia vero partes volatiles salino-sulphuræ hujus plantæ in distillatione aquæ commixtæ facile ascendunt, illis vero conjunctæ minima etiam vasa subire valent, imo etiam poros carniū, inibique humores crassos & tartareos hærentes attenuare, mirandum non est si quotidie ad pellendos sudores exhibeatur hæc aqua, simulque eliminandos humores subtiles febrium comites, præsertim malignarum, vaporum humidorum forma illos excludendo aut per insensibilem transpirationem.

## CAPVT VI.

*De Distillatione Absinthij.*

**A**bsinthium vulgare, omnium suffragio maximum, cichoreo, lupulo, fumaria, quin & carduo majoris amaroris est particeps: ideo quoque sale fixo plurimo pollet, continens substantiam sulphuræam, oleagineam ac utcunque salino volatilem, qua destituuntur cichorium, lupulus, fumaria, sed præsertim carduus benedictus, à partibus fixis vix alio pacto separandam quam distillatione per adscensum, additaque sufficienti aquæ communis quantitate, aut, quod satius, propriæ: Etsi enim ex Absinthio succus elici possit, dum adhuc virescit, & priusquam in caules assurrexerit, eademque ratione distillari qua succus plantarum memoratarum, nihilominus intricatæ illius partes, atque digestionis imperfectio distillationis optatæ successum prohibent, quæ multo præstantior futura est si eo tempore instituaturs quo Absinthium emittit caules, floribus emissis, semine nondum perfecto, tunc enim plantæ completæ sunt præcipuæ digestionis, & artificii suppeditare idoneæ distinctas utilissimas parte ab ipso expectandas. Maxima Authorum pars qui de distillatione verba fecere, in subsidium adhiberi jubent fermentationem, at meo iudicio illa abstinere satius est, quandoquidem acidum fermentativum



rativum extrinsecus immiffum, quod necessario in auxilium advocandum ad prædictam fermentationem promovendam, & diuturnitas temporis necessario requisita, diffipationem plurimæ partis partium sulphurearum & volatilium, hinc expetendarum, proculdubio induceret, cum omnibus eque potiri liceat si modo aliter negotium transigatur.

Colligantur plantæ Absinthij non exigua copia, tempore circiter plenilunii, cum floribus emissis semen in procinctu est, segregatis & abjectis partibus cunctis ligneis & durioribus; Accipiantur pondo libræ duodecim, optime contundantur in magno mortario marmoreo, ligneo pistillo, inditisque vesicæ vitreæ capaci, interiori stanno obductæ, affunde aquæ fluviatilis libras quatuor, excalefactæ adeo ut inter teporem & æstum media sit; aut, quod satius, superfunde parem quantitatem aquæ Absinthij distillatæ, eodem gradu calentis; Procurandum ut duæ tantum Vesicæ capacitatis partes impleantur, quæ Pistoris furno superimposita, in arenæ acervum immergatur ad materiæ usque conclusæ altitudinem; demum imposito vesicæ Alembico cæco, quod vocant (*de rencontre*) exacte commisso, optimeque luto munitis juncturis, illic detineatur per quatuor dies naturales, quibus exactis, decrustatoque alembico, & imposita vesica idoneæ fornaci, cooperiatur hæc suo operculo, seu Mauri capite, cui serpentinum adjunctum sit, sicuti prius dixi, instituatque distillatio igne immediato, admotis carbonibus, in illa pergendo donat aqua distillans saporis pene sit expers & odoris; Postmodum frigefactis vasis, colandum & expressione eliciendum id quod in vesica superstes est, quo ovorum albuminibus clarificato, & per manicam panneam transmissio, evaporationi subjiciatur humiditas superflua igne lento, insistendo donec liquor adeptus sit consistentiam inter Electuaria & Pilulas mediam.

Exsiccare licet, comburere ac incinerare distillationis magma, elixivare, secretumque sal fixum mediis ordinariis seorsim recondere, aut dissolvere, ac cum aqua spirituosâ adservare: Licet & in Balneo Mariæ totam aquam spirituosam reservare, liquoremque spirituosum cum salino volatili, & oleaginosa parte primo ascendentibus excipere: demum secreta ab invicem ambos hos liquores, ope infundibuli vitrei, alteriusve organi, in ampullis vitreis densis, accurate obturandis, seorsim adservare: Deinceps in rectificatione pergendo, excipienda & seorsim reponenda est Aqua odorata, nonnihil spirituosâ, ambos liquores ante separatos subsequens, rejecta parte aqua & inutili in vasis fundo post rectificationem superflite.

Præcipuæ vires ab authoribus Absinthio assignatæ sunt incisio & attenuatio humorum crassorum in ventriculo hærentium, Naturæ ad ex-



pulsionem irritatio : Admodum convenit in affectibus Iecoris & Ventriculi, quorum debilitatem emendat, appetitum excitat concoctionemque adjuvat : vermibus necandis etiam conducit, uterique morbos sanat : Cum porro absinthium citra ullam præparationem cunctas has facultates nactum sit, illud pro comperto habendum partes illius purissimas, quas Chimia segregare docet, à crassioribus has intricantibus liberatas, certiori efficacia quoscunque effectus sperabiles edituras.

Non alia methodus requiritur ad distillationem cæterarum plantarum calidarum, amararum & odoratarum, quin & illarum quæ etsi amarore fere quovis careant, minusque salis fixi obtineant, partibus oleagineis odoratis, & quibusdam spirituo salinis volatilibus pollent.

## CAPVT VII.

*De Distillatione Cochlearia, Nasturtij, aliarumque Plantarum humidarum, Antiscorbutica vi præditarum.*

**E**T si maxima illorum pars qui de Distillatione Plantarum Chimica aliquid scriptis consignarunt, fermentationem maxime locum habere in herbis antiscorbuticis censeant, potius quam in Absinthio & similibus; neque omnino ab illis dissentiam qui nec temporis neque laboris compendium quærentes, multa cura & sollicitudine negotium ea ratione melius absolvi credunt, Temporis tamen ego parcus, & labore inutili superfedere cum satius esse credam, si modo voti compotes fiamus, methodum faciliorem, imo meliorem ut in medium adducam impellor.

Omnes in eo consentiunt Cochleariam, Nasturtium aquaticum & hortense, Erucam, Beccabungam, ac plurimas ejusmodi herbas, sapore acri, mordaci præditas, utcunque aromatico, spiribus & sale volatili turgere; Ejusmodi spiritus, & sal volatilia, essentia admodum tenui pollere, plantarumque dictarum partem maxime essentialem constituisse; Artificem autem peritum eo præsertim collineare debere ut has partes à cæteris seiungat ad usus necessarios.

Tenuitas & subtilitas præstantium harum substantiarum in causa est quod facillime in auras abeant, atque admodum arduum sit ut prædictæ herbæ cunctos ad fermentationem gradus necessarios subeant, quin pluriumpartium utilium jactura accidat, quam ut artifex, summa etiam cura adhibita, comparare queat prægressa dicta fermentatione : Eapropter etiam existimo, prætermissa additione cujuscumque materiæ extraneæ,



neæ; promovendæ gratia illius fermentationis, satius esse in usum adduxisse Menstruum aliquod idoneum, quod dissolvendo, & sese intime uniendo prædictarum plantarum partibus maxime essentialibus, in distillatione illas secum abstrahere valeat, inalterata illarum natura, adeo ut augmentum potius accedat illarum viribus quam detrimentum.

Quo res succedat, collige prædictarum herbarum floridarum quam volueris & quantum libuerit; illi crasse incisæ, Vesicæ cupreæ interiorius stanno obductæ immisseg, superfunde vinum album optimum, adeo ut tribus digitis herbæ superemineat, & nihilominus materiæ duas tantum partes capacitatis vesicæ occupent: hac postmodum super fornace idonea collocata, & operculo, Mauri caput dicto, cooperta, optime luto obducto, fistula serpentina munito, per dolum aqua frigida repletum traducto, adaptato etiam Recipiente lutato, eo in statu vasa detineantur nullo igne adhibito per horas viginti quatuor; quibus exactis, accendendus erit ignis in fornace; inchoataque distillatione, ope ignis carbonum immediati, eo modo regendus hic erit ut guttæ stillantes proxime se insequantur, non tamen nimia celeritate, adeo ut paulatim partes spirituosæ & volatiles herbæ, & insimul vini, sursum impelli queant, sensimque extillare; ac postmodum in vesica cunctæ partes fixæ, magmati commixtæ, speciatim salinæ, obviæ sint, demum separandæ, colatura & expressione facta totius, ad Extracti consistentiam postea deducendo, liquore in quo continebantur prius clarificato, discussaque in vapores ope ignis lenissimi humiditate superflua: Distillationis sit finis cum guttæ fere saporis expertes prodeunt, indicium enim id est quicquid spirituosum aderat ad superna evedtum fuisse.

Si quis vero Spiritum dictarum herbarum generosorem, puriorem, & majori copia sibi comparare studuerit, post exhaustam vesicam, sepositumque quod superstes erat, consultissimum fuerit tantumdem ejusdem herbæ immisisse, atque cunctam aquam distillatione eductam infudisse, cum æquali vini albi optimi quantitate: demum cooperta vesica, adposito Mauri capite, cum annexa Serpentina fistula, cunctisque his simul cum Recipiente probe luto obductis, in maceratione & distillatione uti priore vice procedendum erit.

Id ipsum quoque melius postea succedet, si utroque magmate conjuncto recens herba in Vesicam immissa fuerit, desuperque affusa omni aqua spirituosâ distillata, nova procuretur distillatio: Diligenter enim si luto munita fuerint vasa, ac dum peragitur distillatio si probum ignis regimen accesserit, aqua proditura est spiritu & sale vola-



tili herbæ distillatæ admodum turgens ; cujus postmodum institui poterit Rectificatio in matratio oblongo collo prædito , Alembico suo instructo , ut & Recipiente , probe luto munitis : in Balneo arenæ collocato , igne moderatissimo adhibito ; seorsim recondito in ampulla vitrea densa , accurate obstructa , Spiritu , sale volatili donato , prius adscendente ; seorsim quoque adservata aqua spirituosâ prædictum spiritum subsequente , in cujus etiam distillatione pergendum donec guttæ fere insipidæ prodeant.

Quoad magmata , ex iis extractum educendum , ea ratione quam superius proposui : Vt vero cuncta utilia , quæ herba possidet , in usum & potentiam veniant , exsiccandum erit sedimentum , comburendum & incinerandum ; lixivium ex aqua communi faciendum , quod filtrandum , solutaque in vapores humiditate , illius sal aquæ spirituosæ distillatæ commiscendum , aut , quod satius , Extracto , quandoquidem præcipuus illius effectus est juvare expulsionem humorum crassorum per sedes aut vias urinæ , cui scopo salia fixa præsertim conducunt.

Id Extractum solum Boli forma exhibetur , aut dissolutum in liquore aliquo idoneo , à semidrachma ad drachmas duas , imo & ad semunciam ; Aut purgantibus commiscetur , imminuta Extracti dosi , proportione servata illorum quantitatis & virium.

Spiritus & Sal volatile Cochleariæ , Nasturtij , aliarumque herbarum ejusdem indolis , uti & aqua spirituosâ postmodum extracta , generosa sunt remedia , imo specifica ad curationem affectuum scorbuticorum , quorum causa assignatur serosis humoribus , frigidis , crassis , vixque resolubilibus , massæ sanguinæ commistis , illiusque circulationi moram injicientibus , unde consequuntur omnia symptomata hos morbos comitari consueta.

Dosis Spiritus optime rectificati , sale suo volatili non exuti , est à semisrupulo ad semidrachmam , imo & drachmam integram : Aquæ spirituosæ ab uncia una ad quinque aut sex , Spiritus ex propria aqua exhiberi potest , vino aut jusculo , utriusque usui pro re nata insistendo , imo pluries in die , sed parcius adsumendo ,

Horum remediorum effectus est absumptio & dissipatio humorum serosorum , maxime pertinacium , per sudores aut per insensibilem transpirationem ; massæ sanguinæ universæ depuratio , mobilitatis ad circulationem faciliem necessariæ conciliatio ; partium præcipuarum corroboratio , & præsertim œconomix nutritiæ dicatarum , ac à putredine vindicatio.



## CAPVT VIII.

*De Distillatione Melisse.*

**M**elissa herba est odoris adeo suavis, imo & saporis, ob vires vero adeo celebris, ut locum inter herbas distillandas mereatur: Plurimi qui de illius distillatione scripsere, liquorem aliquem extraneum adijciendum voluere, ratione exiguæ humiditatis qua gaudet cum florida est, sed inepte res sic geritur, quandoquidem in ipsa planta humor requisitus occurrit.

Colligatur non exigua Melissæ quantitas quam diu tenera est, recens & succulenta, quo tunc aut extrahi ex ea succus possit ad distillandum, sicuti præmonui de succo aliarum plantarum, aut integra distillari, aut incisa, in Rosario, quousque tota fere ejus humiditas ascenderit: Alterutro modo distillari poterit, educendo aquæ eam quantitatem quæ libuerit, asservandam in lagenis rite obturatis, expectando donec altera suppetat Melissa florida, semen jam jam editura, in mortario marmoreo contundenda pistillo ligneo, aut tenuissime incidenda: Hac replenda est grandis Vesica cuprea, intus stanno obducta, ut tertia pars vacua supersit; superfundatur illi aqua distillata quam adseruandam præcepi, adeo ut herbæ tribus circiter digitis supernatet: Postmodum imposito vesicæ operculo, (Mauri capite) optime luto incrustato; & adjuncto, probe quoque incrustato, Serpentino, ejusque Recipiente, prægressa maceratione per viginti quatuor horas, lenissimo calore peracta, instituenda distillatio igne carbonum immediato, sed eo regimine Distillatio eadem ratione peragatur quam memoravi instituendam in ejusmodi plantis, pergendo quousque aqua stillans insipida & inodora fere prodeat: Licet, sicuti de Cochlearia dixi, eximere id quod in vesica subsidet, recondere, recentem Melissam in id immittere, separato scorsimque reposito pauco Oleo aquæ distillatæ supernatante, Aquam prædictam recenti melissæ superfundere, repetita sicuti prius maceratione & distillatione; eo pacto nancisci licet aquam odoratissimam, in se complectentem quicquid melissa præstantissimum obtinet, volatile & spirituosum, ac præterea tantillum Olei supernatantis, cum priori sedulo adseruandi, tam ratione suauolentiæ, quam eximiorum effectuum in affectibus cerebri, cordis, ventriculi & ureri, tum quod commodissime commisceri queat oleo Nucis moschatæ expresso, ut inde emergat Balsamus, sicuti ex cæteris oleis aromaticis: Commisceri etiam potest à guttis duabus ad septem vel octo, sacchari



purissimi pulverati drachmis aliquot exceptis, quo singulae particulae minutissime dividantur ac intime remisceri possint quibusvis liquoribus aqueis, speciatim vero aquae propriae, ut pote omnium maxime idoneae cunctis viribus excipiendis.

Felici successu exhibetur aqua in affectibus Melancholicis, Febribus, Scorbuto, Menstruorum suppressione, sicuti & lochiorum: Dosi & usu Aqua Melissae convenit cum precedentibus.

Extractum educere licet ex materia in fundo Vessicae unaquaque distillatione superstita, eadem processus ratione quae in preparatione extractorum aliarum herbarum ostensa est: Imo magma exsiccare potest, comburi, in cineres deduci ad Salis educationem, seorsim adservandi, aut extracto remiscendi.

Melissae Extractum simili dozi exhibetur, idemque qui precedentium extractorum usus est: quod cum partes maxime fixas melissae tantum contineat, speciatim conducit corroborando ventriculo & partibus oeconomicae nutritivae dicatis, Acidorum aculeo ob tundendo, incidendis & detergendis humoribus crassis & viscidis, putredini illorum corrigendae, expellendisque e corpore per alvum aut lotij vias.

## CAPVT IX.

### *De Distillatione Foliorum Myrti.*

**Q**VI Galliae meridanales regiones incolunt, in quibus Myrtus sponte & uberrime in sylvis nascitur, ex foliorum insigni copia ipsis obvia quicquid ad distillationem requiritur nanciscuntur; si enim veris initio Myrti cacumina terant & exprimant succi extrahendi gratia, hunc seorsim distillationi subicere queunt, aut foliis contritis commiscere; At cum Lutetiae Parisiorum non alia Myrtus occurrat quam quae in hortis solerti cura excolitur, minorque copia suppetat quam ut votis satisfiat, paucillum quod offertur in usum adducitur, praesentisque humiditatis inopia aliunde resarcienda, quod ejus defectu distillatio nequaquam opportune suscipi possit.

Accipiantur itaque, exempli gratia, librae tres foliorum Myrti odoratae, recens collectae, his optime contusis in mortario marmoreo, pistillo ligneo, immixtisque cucurbitae vitreae, affundantur librae sex aquae Centinodiae, aut Herniariae, impositoque cucurbitae alembico vitreo, amylo obductis commissuris, adaptatoque rostro exiguo Recipiente, cuncta in digestionem sinantur furno Pistoris imposita per horas viginti quatuor, postmodum Cucurbita Balneo Arenae committenda,



aceorum distillatio peragatur, igne moderato, illum producendo quousque Aqua stillat fere saporis & odoris expers: Neque prætermittenda erit separatio particulæ odoriferi Olei, aquæ distillatæ supernatantis, diligenter custodiendi, quod paulo majori copia suppeteret distillatione in regionibus calidioribus instituta.

Sin eadem copia Foliorum Myrti præsto foret, è re esset in vicem ejus quod cucurbita continebatur, non abjiciendi, recentia illa myrti folia contusa immittere, affusaque his aqua prius distillata, novam suscipere infusionem & distillationem, sicuti superius dictum, quo pacto proditura esset Aqua multo majoris efficaciam, cui etiamnum tantillum Olei innataret, priori conjungendi: deinceps ex utraque subsidentia Extractum eliceretur, sicuti ex magmate prius incinerato Sal, vel seorsim asservanda, vel commiscenda, sicuti de præcedentibus dixi.

Aqua Foliorum Myrti plurimum commendatur in debilitate Ventriculi & Intestinorum, ac in affectibus inde oriundis, sicuti & in hæmoptysi & quavis alia sanguinis eruptione: Sola si uti volueri, detur ab unciis duabus ad sex, vel permiscetur semunciæ, aut unciæ syrupi myrtillorum, coralliorum, vel alterius adstrictoria vi præditi: Admodum quoque convenit in laxioribus mulierum à partu genitalibus constringendis, tum ore adsumpta, tum fomenti specie partibus illis admota: Aquæ vires debiles possunt acui additis guttis aliquot ejusdem Olei, sed prius sacchari purissimi drachmis paucis excepti, sicuti de similibus oleis alias præmonui: Potest & in usum Oleum venire ad Balsamorum confectionem, parari solitorum ad recreationem & corroborationem partium nobilium, suavis quippe illius est odor, admodum aromaticus: Potest & Inunctionis forma usurpari, foru partium affectarum ex aqua prægresso; Extractum cum sibi adsumpserit efficaciam partium terrestrium foliorum, non inutiles effectus editurum est in omnibus affectibus qui adstrictionem & corroborationem exposcunt: Dari potest à drachma semis ad duas, solum, aut propriæ aquæ permixtum, alerive cuiuspiam liquori: Potest & Opiatis adjungi, aliisve remediorum formulis.

Si bene sentio, distillationes herbarum à me traditæ ceteris normam præbere poterunt, adeo ut supervacaneum fuerit plures adtulisse, iam tempestivum est ut ad Florum distillationem transeam.



## CAPVT X.

*De Distillatione Florum in genere.*

**F**Lores elegantissima Vegetabilium productionis pars censendi sunt, hortorum decus, villæ rusticæ delitiæ, oculorum oblectamentum, odoratus gratissimum objectum, spes & præludium feminum & fructuum illos subsequendum; materia plurimorum remediorum exquisitorum, in utriusque Pharmaciæ quotidie manus venientium: Flores partes sunt plantarum purissimæ nobis objectæ, minimum terrestrium partium obtinentes, facillimæ resolutionis, quorum diversas substantias Chimia facillimo negotio ab invicem divellit: Summa tamen cautione, neque minori quam ceteræ plantarum partes, in distillatione indigent, tum quod substantiæ sint minimum compactæ, quia illarum præcipuæ facillime in auras discedere solent; imo eorum nonnulli distillationem omnino respuunt, ne ignis quidem viciniam sufferre valentes citra manifestissimam alterationem, illi præsertim qui odorati sunt, odoris tamen gratia expetuntur, Eadem etiam de causa peritus artifex summo studio disquirere tenetur intimas partes flores componentes, priusquam illos distillationi subjiciat, ad varium ignis regimen instituendum, idonea vasa eligenda, ac suppetant media per quæ legitime segregare valeat, simulque sibi comparare purissimas & varias substantias quas sursum allicere intendit, aut infra per distillationem deducere; eoque pacto, quantum concessum fuerit, partes fixas utiles adipisci possit, sæpe in vasis ad id destinatis superstites.

Non raro ad plurimorum Florum distillationem eadem vasa quæ ad herbas distillandas veniunt; at cum Florum substantiæ mollities & teneritudo in causa sit ut ignis efficaciam facilius suscipiant quam herbæ, accuratissime ille regendus, adeo ut utilibus, quas possident, qualitatibus nulla vis inferatur, à cæteris per distillationem segregandis; vel ne una cum utilibus improbæ simul ascendant, quæ in vasis fundo subsistere debent, aut, ob diutius productum calorem, intensioremque redditum materiæ in fundo vasorum contentæ comburantur, eoque pacto temporis momento empyreuma insuavis odoris toti distillato inuratur: Circa quæ omnia enitar cautiones adducere, atque ostendere media per quæ voti compotes fieri possimus.



## CAPVT XI.

*De varia Rosas distillandi ratione.*

**V**Arij Rosas distillationi exponendi modi, potius à varietate ingeniorum, locorum, occasionum, aut mediolorum quæ suppetunt, deducendi, quam à varietate specierum Rosarum, aut varia proportione partium illas componentium, quandoquidem nulla datur Rosæ species, quæ non cuiusvis distillationi speciei subijci queat.

In Rosarum partibus deprehendimus quinque diversas illas substantias quas Chimia in compositione mixtorum delitescere agnovit, videlicet Aqueam, Spirituosam, Sulphuream, Salinam & Terrestrem: Diversa tamen proportione in qualibet specie continentur, unde emergunt differentiæ ex colore præsertim manifestæ, odore & sapore: Substantiæ enim volatiles in quibusdam, in aliis fixæ magis dominium obtinent: Rosæ rubræ, Provenenses dictæ, partibus terrestribus & sale fixo magis quam cæteræ omnes donatæ sunt; plurimas quoque aqueas cæteris adjunctas possident, adeo ut spirituosæ & sulphuræ satis intime illis adhareant, tum demum in conspectum venientes cum secesserunt aqueæ; Ea propter prædictæ Rosæ raro in distillationem veniunt, nec nisi cum illarum humor superfluous detractus est; imo neque ut plurimum nisi aliis admistis aromatibus.

Rosas Pallidas ut plurimum distillationi exponimus, neque solum diversimode distillamus, sed varias præparaciones tum Galenicæ tum Chemicæ circa illas instituimus; imo plura remedia ex iis quam ullo alio medicamento depromimus: Plurimam humiditatem in se continent, sed cui multæ partes volatiles spirituosæ, utcunque salinæ, nonnihil sulphuræ oleagineæ admistæ sunt; aliæ summe odoratæ: Partes autem terrestres minori insunt copia quam in rubris, sed tantundem salis fixi obtinent, quod conjunctum partibus sulphureis, crassioribus & penitioribus, ignem autem calcinationis non expertum, cui maxima salium pars, dum illa depurare animus est, exponuntur, lenissime pravos humores expurgat, præsertim pituitosos.

Secunda hujus Pharmacopœe parte, verba faciens de præparatione syrupi Rosati ex saccharo & succo Rosarum, dum ille cucurbita vitrea decoquitur, maris Balneo, illi imposito alembico vitreo optime luto obducto, dixi efferri vapores è succo rosarum, non contemnendos, in nihilum aliter abituros, è quibus optima Aqua rosarum elici potest: Sed cum in officinis major illius copia requiratur quam ut eam hæc distillationis



ratio suppeditare queat, ad alia media confugiendum est.

Qui Rosas Pallidas distillare instituit, aliasve præparationes meditatur, illi præsertim curæ sit ut colligantur paulo post ortum Solis, ac, quantum licet, cœlo sereno, ne ullus humor extraneus illis adjungatur, quo variæ substantiæ ex illis eliciendæ per distillationem sinceræ omnino sint.

Ratio facillima, sed quæ lentius procedit ad Rosarum distillationem, dicta ratione lectarum, hæc est ut conterantur, in magnam cucurbitam vitream conjiciantur, adeo ut tertia pars vacua supersit, qua proprio Alembico, luto obducto, instructa, suscipiatur distillatio in maris Balneo, inter tepidum & æstuantem medio, aut in Balneo vaporis fervente, quoad Rosæ pene exsiccatae fuerint in cucurbita: Eo enim pacto Aqua rosacea odoratissima, sed pauca acquiritur.

Possunt & partes æquales harum Rosarum contritarum, & succi earundem commisceri, in simili cucurbita vitrea cum Alembico rite luto obducto, ac distillatio fieri in Balneo cinerum aut arenæ: adhibito enim recto ignis regimine, præsertim circa finem, exstillabit aqua Rosarum priori proculdubio non inferior: Ex magmate autem elici poterit extractum purgans non inferius quovis alio è rosis eliciendo.

Vt vero illorum desiderio satisfiat qui aquæ stillatiæ colorem Rosarum imprimi exoptant; Accipiatur manipulus unus Rosarum Provensium siccarum, incisarum, quæ irroratae tantillo spiritu sulphuris optimi, vel vitrioli, aut succo limonum, intrudantur interiori parti canalisi alembici vitrei, adeo ut adimpleatur, antequam imponatur cucurbitæ & circumlutetur: Adhibito enim præbo ignis regimine dum distillatio peragitur, succedet, inalteratis odore, & qualitatibus exoptandis, Aqua Rosarum grati coloris, non minus rosei coloris, imo intensioris, quam ipsæ rosæ è quibus exstillata est.

Non dissimili ratione quodocunque aquas ejusdem indolis exstillare libuerit, color optandus imprimi poterit, imo odor moschi, ambrae griseæ, vel alterius cujuscumque aromatis, hæc in pulverem conterendo, ac paucis gossypio obvoluta in canalem aut rostrum alembici immittendo.

In Rosarium æneum, rite stanno obductum, immitti possunt Rosarum folia, integra vel contusa, imo, si libet, eadem quantitas succi earundem Rosarum, ac distillatio illarum perfici in Balneo cinerum, aut arenæ, dummodo, sicuti dixi, accedat rectum ignis regimen, unde optima comparabitur aqua Rosacea: Neque Extractum erit contemnendum, uti neque præcedens.

Plurimæ Matronæ Aquam Rosaceam per descensum distillant,



facili via, Rosas pollicis spissitudine lineo internunt tenui, supra vas vitreum, aut fictile vitreatum, latiusculum, expanso desuper admovent lancem ex ferro albo, aut vas aliud ex convenienti materia factum, cujus fundum expansas rosas æquet, capacitas autem cinerem ad pollicis crassitiem obtineat, prunis minutis illi superimpositis, hac enim ratione ignis calor cineres & lancem pervadens, ac Rosas excalescens, ut Rosæ in vas subditum aquam effundant efficit: Sed aqua hoc modo elicitæ à præcedentibus bonitate multum abest, neque sicuti illæ quarum præparationem adtuli durabilis est, attamen non rejicienda.

Nonnulli Rosas immittunt cucurbitæ fictili vitreatæ, addito operculo ex ferro albo conflato, aut æneo, stanno cooperto, exiguis foraminibus pertuso, illam invertunt, ac idoneæ fornaci imponunt, infra orificium Recipiens adaptant, accensoque in ambitu cucurbitæ igne, distillationem per descensum perficiunt, non secus ac in lignis instituitur; sed hoc pacto combustionis periculo exponuntur Rosæ, aqua, si quæ elici potest, superioribus multo inferior est, Ratio vero illa distillandi omnino improbanda est, cum meliores suppetant & commodiores.

Si quis aquæ Rosacæ insignem copiam comparare necesse habuerit, hic, dimissis Cucurbitis, aut Rosariis modo à me memoratis, in usum ad distillationem adducere potest magnas Vesicas cupreas intus stanno obductas, quibus Refrigeratorium impositum fuerit, aut Alembicum Cuput Mauri dictum, cum sua fistula serpentina, dolium aqua frigida repletum transversim permeante, eodem processu modo quo in distillatione herbarum, Rosas conterendo, illas aliarum Rosarum succo humectando; aut ipsa aqua stillatitia Rosarum ab anno præterito superflite, distillationem instituendo igne carbonum immediato admoto, sed moderatissimo: Licet & aquam recens exstillatam recentibus Rosis affundere in iidem vas, iteratæque distillationi exponere, imo eadem operatio pluribus vicibus iterari poterit, si præstantissimam aquam comparare volueris.

Cum porro totis viribus mixtorum partes quæcunque utiles indagandæ sint, at vero in Rosarum distillatione spiritus sulphureus & φλογίς sursum evehi possit, ac insinuat oleum fragrantissimum, etsi minima quantitate, officij mei est modum illum in medium adferre, qui talis est.

Adsumantur, exempli gratia, Rosarum pallidarum mundatarum librarum quadraginta, probe in mortatio marmoreo contusæ pistillo ligneo, inspersis salis marini pulverisati libris duabus; conjiciatur tota



hæc quantitas, si modo vas capax fuerit, in Vrnâ argilaceam, aut duas, demum deprimantur rosæ, conculcentur, adeo ut in massam mollem deducantur, tam arcte compactam ut aëri ne minimus pateat introitus, Vrna autem, vel Vrnæ, omnino adimpleantur; exacte occludantur obturamento ex subere confecto, adpropriato, ac in ceram flavam liquefactam immerso; eodem tempore partem supernam, ac obturamenti ambitum eadem cera liquefacta obducendo, ne tantillus aër viam sibi facere queat: Vrnæ postmodum in cella vinaria, vel loco frigido, totis quinque aut sex septimanis contineantur: Reseratis Vrnis odor vinosus è rosis exspirabit, acidiusculum quid sapiens, fermentationis peractæ indicium, ac dispositionis in partibus spirituosis ad secessionem à crassioribus, & ad adscensum per distillationem.

Eximantur ex vrnâ prædictarum Rosarum libræ sex, vitreæ cucurbitæ immittantur; (urna non minus quam ante accurate obturata) immittantur Cucurbitæ vitreæ, adponatur Alembicum vitreum rite luto obductum, sicuti & illius Recipiens: fiat distillatio Maris Balneo, medio inter tepidum & æstuans, pergendo quousque Rosarum humiditas fere exhausta sit: Postea exempto è Cucurbita magmate, illius vicem subeant quinque aut sex libræ rosarum, ex urna rursus educendæ, quæ sicut ante suo operculo accurate claudenda est: superfundatur illis Aqua Rosacea prima vice elicita, super imposito iterum, ac probe lutato Alembico cû Recipiente, Balneo arenæ admovendo cucurbitam, ac igne moderato adhibito distillationem peragendo, donec fere tota rosarum humiditas distillatione educta sit: Postmodum vasis refrigeratis, ejectoque magmate, recentes Rosæ fermentatæ in cucurbitam immiteendæ, universaque aqua distillata illis super infusa, iteretur distillatio eodem arenæ balneo; eadem ratione pergendo, scilicet abjiciendo magma, novasque rosas cucurbitæ imponendo, aquam distillatione prolectam illis affundendo, iteratasque distillationes suscipiendo, donec cunctæ Rosæ absumptæ sint: Dehinc, parte aquæ distillatæ Matratis oblongiori collo prædicto immissa, superimposito alembico probe lutato, adaptatoque illi Recipiente itidem luto obducto, Rectificatio in maris Balneo suscipienda erit, igne moderato, cujus cum distillatione duodecima circiter pars prolecta fuerit, spirituosâ scilicet & inflammabilis, hæc seorsim in densâ lagena vitrea, accurate obturanda, adservabitur, etiam quoque recondira sedulo Aqua in matratis superstitæ, odore quoque suavi prædita: Rectificatio, iteratis vicibus, universæ aquæ stillatitiæ perficienda erit, postea simul commixtis partibus omnibus spirituosis, iterata rectificatio suscipienda erit Balneo vaporis, in Matratis oblongioris colli, exacte lutato: Eo pacto spiritus inflammabilis.



bilis succedet, merito Olei ætherei Rosarum, sale suo volatili instructi, nomine donandus, non minus odoris fragrantia & penetrabili vi commendandus quam viribus eximiis.

Hujus rectificationis residentia cæteris conjungenda est, quæ cunctæ adservandæ sunt in vitreis ampullis accurate oclufis; quippe quæ Aqua rosacea cæteris omnibus, vulgatis modis elicitis, anteponden-  
da est.

Per dies aliquot in cella vinaria hæ lagenæ detinendæ sunt, interim paulatim Oleum aquæ supereminebit, flocculorum forma supernatans, nivi fere similiam, à qua separari poterit hanc per lintium tenue transmittendo, exiguo cochleari argenteo Oleum colligendo: Hoc oleum eodem tempore in ampulla vitrea densa recondendum, accurate occludenda, & ad usum adservandum, Aquam in easdem lagenas reaffundendo, optime obturandas, in usum adservandam.

Diffolutio quæ contingit à spiritu æthereo & inflammabili partium oleaginearum per fermentationem, ac similitudo substantiæ inter utrumque, in causa est quod per distillationem plurimas hujus particulas ille sibi adsumat, ac postmodum multo minor olei portio in aqua rosacea reperiatur, post rectificationem residua, quam si alia ratione institueretur distillatio: quamobrem si quis oleum potius quam spiritum inflammabilem expetat, res meliorem successum habitura est pluries instituta Aquæ rosacæ distillatione, hac reafusa rosis recentibus, eo enim pacto multo major olei pars suppetet, quam ex majori rosarum copia prægressa fermentatione.

Nonnullis ad Spiritus ardentis Rosarum extractionem fermentatio pauciorum dierum fatis est, quibus exactis, ab addita vini æquali & Rosarum quantitate, distillationem suscipiunt: Methodus hæc proculdubio compendiosior & facilior est, at vero pars inflammabilis à vino potius quam à rosis originem ducit, quarum Spiritus à cæteris substantiis extricare se non valuit, quod fermentationem sufficientem expertus non sit: Hæc ratio contemnenda non est, ad præparationem spiritus inflammabilis plurimarum partium plantarum, quibus non exigua pars purissimæ substantiæ decedere posset si diutius fermentatio protraheretur, aut in qualitatibus manifesta accederet alteratio ab additis rebus extraneis, in usum venientibus accelerandæ gratia illarum fermentationis: at vero hoc in casu posse nos carere existimo, dummodo procedendi ratio à me adducta observata fuerit, quia Rosæ intra se acidum ad fermentationem necessarium continent, adeo ut absolum sit fermentum aliud extraneum comparare, nulloque metu ne insignis partium volatilium absumptio contingat: Illud etiam pro comperto habendum



Acidum illud, ex intima Rosarum substantia eductum, post extrictos spiritus volatiles, salinos & sulphureos à substantiis crassioribus, illis arete cohærere, ac commixtum reperiri cum distillationis ope sejuncti fuere à partibus terrestribus ad descensum idoneis.

Aquæ Rosaceæ usus, tam ad internos quam externos usus notior est quam ut scripto mandari debeat: Spiritus inflammabilis Rosarum tam grata est fragrantia, tamque insigni penetrandi vi præditus, ut vel una gutta aquæ communis cyarum Rosæ odore imbuere valeat: Eximius est in cordis debilitate, lipothymia, ejusdem tremore & palpitatione: Exhibetur à tribus aut quatuor guttis ad quindecim, viginti, triginta, ex propria aqua, vino, jusculo, aliove liquore cardiaco; Ventriculi etiamnum regioni admovetur, & cordis, imo & temporibus, carpis ac plantis pedum in insigni leipopsychia: Felici etiam successu præscribitur in febribus malignis: Sed & sudoribus excitandis idoneus est si opus fuerit, admixtus unciis septem vel octo aquæ cardui benedicti.

Oleum distillarum in eosdem usus venire potest ac Spiritus Rosarum, sed prudentius & cautius dispensatur, quod minori suppetat copia: Interius adsumitur ab una gutta vel duabus, ad quinque vel sex, exceptum aliquot drachmis sacchari purissimi pulverari ac in aqua rosarum dissoluti, aut iisdem liquoribus qui spiritu imbuuntur; Potest & oleo nucis moschata commisceri, ac inde parari Balsanus Rosarum odoris suavissimi: Æqualiter in usum veniunt Oleum & spiritus Rosarum tum ad viros, tum ad mulieres, sed abstinendum in his quibus odor Rosarum noxius est.

Extractum Purgans modo consueto ex residentia cujusque distillationis elici potest, imo & magma igne concremari, ac incinerari, salque extrahi, commiscendum extracto, aut seorsim adfervandum: Dosis Extracti est à drachma semis, ad duas vel tres; Boli forma aut diluendo liquore idoneo: Commiscetur etiam aliis purgantibus, majori aut minori inditum copia pro admixtorum quantitate vel dozi: Salis dozis est à scrupulo semis ad semidrachmam, imo ad drachmam integram ex conveniensi liquore.

Rosæ moschata, alias Damascenæ, Cynosbati, albæ, cæteræque species eadem ratione qua Pallidæ distillari possunt, ac propemodum eadem substantiæ elici; Etsi non exiguum observari queat discrimen tum in quantitate tum qualitate, ob diversitatem proportionis partium unam quamque Rosam constituentis, variæ texturæ variarumque qualitatum inde exsurgentium, odoris diversitate, coloris & figuræ, discrimen manifestum inter illas arguente.



## CAPVT XII.

*De Distillatione Florum Lavendulæ.*

**F**Los Lavendulæ paulo nimium exsuccus est quam ut commode exstillationi subijci queat citra alterius liquoris additionem: Id enim quod distillatione educi posset in Alembico vitreo, Maris Balneo, aut Rosario, balneo cinerum moderato, quod modicum foret, labori & jacturæ temporis non responderet, Ideo eligendus liquor idoneus, floribus affundendus, aqua præsertim ejusdem floris, ex anno præcedenti residua, vel, si hæc absit, alia aqua cephalica.

Collectæ die sereno Lavendulæ, horis meridianis, cum florida est, decerpantur solummodo spicati flores, ea ratione mundandi ut floris durior basis, aut calix, spicam una constituens, eximatur, solusque flos adsumatur: Exempli gratia, decem libræ Florum ea ratione mundatorum accipiantur, hi capaci vesicæ æneæ immissi, interius probe stanno obductæ; idoneæ fornaci impostæ, affusisque aquæ propriæ libris viginti, alteriusve cephalicæ, imponatur operculum à Mauri capite denominatum, optime stanno intus obductum, cum annexo serpentino, probe quoque stanno oblitito per dolium aqua frigida repletum traducto: demum accurate commissuris luto munitis, & extremitate Serpentina cum Recipiente, in fornacis cinerario accendendus ignis admodum modicus, qui solum materias excalefaciat, iisque teporem modicum conciliet, quo producto per tres aut quatuor dies naturales, in foco fornacis accendatur ignis carbonum, adeo ut aqua instar filii exigui exstillat; illum protrahendo quousque per distillationemeductæ fuerint circiter partes duæ aquæ affusæ: Postea materiæ ut refrigerentur sinendæ sunt, ac post separationem factam Olei supernatantis aquæ spirituosæ, in ampulla seorsim recondendi; colaturam & expressionem materiæ in vesica residuæ, par quantitas recentium florum adjicienda, quibus superfundenda non solum aqua spirituosæ, ab oleo secreta, sed & liquor expressus ex materiis à distillatione residuis; dehinc Alembicus Caput Mauri dictus superponendus, una cum serpentino & Recipiente, prægressaque maceratione per triduum aut quatrimum, Oleum & Aqua sicuti priori vice distillanda erunt, demum ab invicem separanda.

Eadem Aqua, cum liquore expresso ex magmate, recentibus floribus adjici possunt, si modo præsto essent, ac nova suscipi distillatio, imo non semel iterari; etiam si verisimile sit, si præmissæ sint duæ tresve



cohobationes aquæ super flores recentes, illam sufficienter impregnatum iri florum Lavendulæ partibus spirituosis, nullum quippe à repetitis hisce cohobationibus expectandum beneficium præter majorem olei quantitatem.

Ex magmate harumce Distillationum Extractum potest deduci, eadem inita quam in præcedentibus indicavi methodo: Licet & ex expresso magmate sal extrahere, exsiccato, combusto ac in cineres deducto, etiam si exigua copia speranda, non secus ac ex cæteris floribus cephalicis, in quibus sulphureæ partes, ac nonnullæ salinæ volatiles, magis quam fixæ abundant.

Doses & utilitates hujus Extrati, atque Salis cum præcedentibus fere conveniunt: Oleum distillatum Florum Lavendulæ eximium censetur adversus Epilepsiam, Apoplexiam, Paralysem, ac in genere omnes cerebri affectus frigidos, præbendo à guttis duabus ad septem vel octo, exceptis saccharo purissimo pulverisato, in aqua propria, vel alia quadam cephalica dissoluto, à qua virium incrementum accedat: Potest & immitti naribus, temporibus admoveri, locis circa cranij futuras, imo commisceri oleo expresso Nucis moschatae, ad compositionem Balsami Lavendulæ, vel conjungi Balsamis Apoplecticis, non secus ac cætera Olea remisceri solent.

Si dimissa Aqua stillatitia Lavendulæ, aut alia Cephalica, in usum veniat eadem quantitas vini optimi ad istorum florum distillationem, exsurget spiritus inflammabilis admodum penetrabilis.

### CAPVT XIII.

#### *De Distillatione Florum Rorismarini.*

**S**I Flores Rorismarini è calice rite exempti fuerint, abjectumque si fuerit quicquid in illis viride occurrit, cum substantiæ minime sint compactæ, partes autem quas mediante distillatione evocare animus est, admodum subtiles sint, volatiles, ac crassis parum involutæ, vix percipio quamobrem qui ad præparationem Aquæ Reginæ Hungariæ (distillationem florum Anthos, omnium maxime familiarem) præceperint horum macerationem in spiritu vini faciendam per triduum; idonea præterea illum in finem anxie disquirentes vasa, igne digestionis, (proportione justa observata) adhibito toto illo tempore; quandoquidem maceratio à mane ad vesperam, absque ignis auxilio instituta, in cucurbita, distillationi illorum destinata, sola satis superque est ad juvandam penetrationem spiritus vini in intimas horum florum particulas; maxime



maxime cum volatiles una cum vini spiritu facillime sursum evehantur: Illud conjicio, ambages istas excogitatas fuisse ad tyronum animos irretiendos, atque distillationem ex se nequaquam ardui negotii, tanquam difficilem ostentandam, expeditam alias si optimus vini spiritus occurrat, syncerique Flores nec inculpati.

Florum Rorismarini, die serena lectorum, duabus aut tribus ab exorto sole horis, optime mundatorum, & à parte viridante liberatorum, accipiantur libræ quatuor; conjiciantur in magnam Cucurbitam vitream angusti colli, affundantur spiritus vini rectificatissimi libræ sex, in prædictum spiritum profunde flores immergantur, postea cucurbitæ superponatur Alembicus, accurate luto obducantur juncturæ, illa vero Balneo Arenæ committatur; rostro autem Alembici ad commodato Recipiente probe loricato; sic dimittantur vasa per totam noctem, postridie sub Balneo Arenæ accendatur ignis, ea ratione regendus ut dum distillat spiritus Alembicus nequaquam incalescat, quinimo huic superponendum erit lintheum multoties complicatum, in aquam frigidam demersum, ex intervallis idem madefaciendo & refrigerando, ad faciliorem vaporum ascensurorum resolutionem; Eo modo producenda erit Distillatio donec quatuor circiter spiritus libræ prodierint, purissimi & optima ac maxime volatili substantia Florum præditi: Dehinc refrigerato Balneo, decrustatis vasis, reconditoque in lagena densiori spiritu distillato, percolandæ erunt, & valida manu exprimendæ materiæ in cucurbita restibiles; quarum clarificato liquore, in eandem cucurbitam infundendo, eodem tempore proprio Alembico cooperiendam, probe loricando, illi suum Recipiens adaptando, iterata suscipienda erit distillatio eodem arenæ Balneo, sed igne moderatissimo adhibito, in distillando pergendo donec liquor Roob instar propemodum crassifactus adpareat: Postea sponte refrigeratis vasis, iisque decrustatis, liquor cucurbita contentus infundendus erit in pelvim fictilem probe vitreatam, coctionem perficiendo igne mitissimo, ad solitam Extractorum crassitiem; unusquisque liquor seorsim erit adservandus, quorum prior præstantissimus est & vi penetrabili eximius.

Hunc spiritum Neoterici nomine Aquæ Reginae Hungariæ donavere, ratione mirandorum effectuum quas experta est Regina quædam Hungariæ, annos septuaginta duos nata: Hæc ipsa est Aqua tam insignis apud Parisienses famæ, cujus expedita venditio à plurimis annis, multis incitamento fuit, tum gnaris, tum ignaris & improbis, ad ejus præparationem in Provinciis Rorismarini feracibus, sapud quas etiam vini Spiritus & facile & vili pretio adquiri potest: Illi cum solos flores Anthos exquisite mundatos, id quod nullo negotio præstare possent, admit-



tere deberent, portionem partis herbaceæ relinquunt, à qua quidem, Aquæ odor intensior redditur, sed & acrior & insuavior, non secus ac sapor: Spiritui autem vini optime rectificato substituunt Aquam vitæ ordinariam; odoris acrimonia partium viridium, flori commixtarum, illis imponente, qui odorem hunc extraneum, penetrabilem, à florum odore, miti & suavi, distinguere nesciunt; sapore autem acri & linguam vellicante earundem partium, tanquam genuino spiritus vini rectificati, penetrabili vi prædito, incautos fallente: Neque mirum si ab his impostoribus vili pretio vernalis exponatur hæc Aqua; imo emptores plures alliciat quam quæ sincere & legitime præparata est; citra jacturam vendentium tam vili pretio nequaquam expediendam.

Spiritus Florum Rorismarini, ex arte præparatus, præstantissimus est adversus quosvis Cerebri frigidos affectus: utilissime etiam in usum venit in Nervorum & artuum affectibus, contra Rheumatismum & Arthritidem frigidam: Cephalagiam ex pituita subortam sanat, vapores Vertiginem parientes discutit, Memoriam roborat, Surditati Auriumque Tinnitui medetur, sicuti & Visus imbecillitati, Capitis contusionibus, cunctarumque corporis partium utilis est, prohibens ne sanguis ibidem concreseat, imo resolvit & per insensibilem transpirationem discutit jam in illis coagulatum; Dentium dolorem demulcet, ventriculo robur addit ad illius subversiones, & intestinorum impetus commodus, Acidorum aculeum obtundendo, illis ut plurimum infestorum: Appetitum torpentem excitat, concoctionem adjuvat, obstructionibusque Iecur liberat, Lienem omniaque Viscera, quinino & Vterum, e quo elatos vapores reprimat: Imo huic Spiritui adscribitur vis calorem nativum corroborandi & conservandi, functiones omnes quarumvis partium exsuscitandi, Imo & senes ad juventutem verso pede deducendi, hoc est plurimos affectus, senectutis individuos comites profligandi.

Interne adsumitur à scrupulo uno ad drachmam ex vino vel aqua aliqua cephalica; Guttas aliquot in nares immittere licet, ac temporibus admovere & futuris cranij: Adplicantur Enchymomatis lintea duplicata dicto spiritu madida: Exterius & usurpatur in Rheumatismis ac omni genere fluxionum & dolorum; necnon circa oculos ad aciem visui conciliandam; Instillatur etiam Auribus ad sanationem, vel mitigationem affectuum illas adfligentium: In usum quoque accersitur ad lavandam Faciem, Brachia, Manus, Fauces eluendas, solus vel remixtus Aquis Argentinæ, Liliorum, Nenupharis, spermatis Ranarum, & similibus, ad nitorem vultui conciliandum, & tuendum, rugasque præcavendas: vix tandem ullus occurrit spiritus tot tantorumque utilium effectuum edendotum capax.



Id quod ex expresso liquore exstillatum est, cum intra se non contineat partes maxime volatiles florum Rorismarini, quas prima distillatio secum abstraxit, remixtaque maneat portio partis aqueæ, sursum evertæ cum parte spiritus vini in vasis fundo superstitis, proculdubio eadem puritate non pollet, neque iisdem viribus quas prior spiritus: Attamen & idem conservandus, cum non paucas etiam partes minus volatiles florum contineat quas posterior vini spiritus secum abstulit, unde non mediocres expectandi effectus, quandoquidem diuturniorem moram in ventriculo agit quam priores: In eisdem usus cum præcedente venire potest, inerior præsertim adsumptus, sed dozis duplo major esse debet, ob partem aqueam illi remixtam.

Potest & præparari Extractum ex liquore à distillatione residuo, atque in usum adduci cum remediis cardiacis, stomachicis & cephalicis, eadem cum cæteris extractis dozi.

Flores Liliorum convallium, Salviæ, Tiliæ, Stoechados & similium distillationi subjici possunt, eadem ratione procedendo qua ad flores Rorismarini, aut Lavendulæ.

## CAPVT XIV.

*De Distillatione Aquarum fragrantissimarum, ex Floribus Vegetabilium educi aptarum.*

**P**rocedendi rationes à me traditæ ad distillationem plurimarum plantarum partium, præstantissimæ sunt inter illas quas Chimia quotidie in praxim revocat: At cum Dominus D' Aquin, primarius Regiæ Majestatis Medicus plurima mihi singularia & in proprios, usus ad servata publici juris esse iusserit, non illubenter à me exiturum est quicquid præstantissimum nec vulgare est has res spectans.

Idoneo tempore Ros distilletur, cujus aqua spirituosa elicita in ampulla optime obstructa ad servanda est: Curæ etiam erit mensibus Majo, Junio, tempestate serena, colligere sterces Vaccinum aut Bubulum, sponte in pascuis exsiccatum, in quibus herbas illa animalia depaverunt: Stercus id in se continet herbarum primum principium, à bobus aut vaccis devoratarum, sed etiamsi facultas seminalis periit, odore tunc temporis non nihil accedit ad moschû: usus non ignotus est, quandoquidem jam pridem Aqua ex illo stercore elicitor, cui etiam Aquæ Milleflorum nomen inditum est, ab insigni herbarum & florum numero à quibus suppeditata est prima ex qua distillata est stercoreis



materia: Idoneo tempore eligantur quicunque flores distillationi destinantur, qui stratificati in capaci & lata cucurbita vitrea, cum æquali portione hujus stercoris sicci pulverisati, irroratoque unoquoque strato seorsim aqua Roris stillatitia, continuationeque facta irrorationis & stratificationis quousque media circiter cucurbitæ pars occupetur à materiis, Alembicus illi imponatur vitreus, qui diligenter luto obductus, adaptato itidem (ac lutato) illius rostro Recipiente, instituenda erit distillatio solo calore solis æstivi, quousque humiditas tota fere exstillarit; postea circa merinoctium, aut saltem horis duabus ante Solis ortum, solvenda erunt vasa (electio enim dicti temporis omnino requiritur si modo odor suavis aquæ conservandus sit) Eodem tempore in parato esse debent flores recentes alteri Cucurbitæ simili immittendi, quibus aqua distillata superfundenda, hinc superponendus Alembicus, quo probe cum recipiente luto munito, iterum Solis radiis sicuti prima vice exponenda; Postmodum nocte denuo vasa luto nudanda erunt, cohobandaque aqua recentibus floribus affusa, repetita denuo distillatione donec aqua summam suaveolentiam adquisierit: Illud porro cavendum ne Recipiens, uti neque Alembicus, radios Solares durante stillatione excipiant, sed curandum ut sola Cucurbita incalescat: Ideoque Alembicus cooperiendus erit linteo multoties complicato, sæpius aquæ frigidæ immergendo, ad promovendam vaporum resolutionem è materiis elevandorum. Fimus vaccinus, & Spiritus Roris necessario quidem requiruntur pro priori distillatione, non item pro posterioribus.

Sin forte contigerit calorem Solis remissiolem fore quam pro hujusmodi distillatione requiritur, sicuti in pluribus regionibus à meridie difficis, succedaneum illi sit vaporis Balneum, aut aëris excalefacti, si modo illius copia concessa fuerit: Hæc ratione Aquæ odoris fragrantissimi comparabuntur, quarum uncia plus suaveolentiæ suppeditatura est quam decem aquarum vulgari modo distillarum.

---

## CAPVT XV.

*De Distillatione Spirituum Ardentium Odoratissimorum, Ex Foliis & Herbis odore pollentibus eliciendorum.*

**I**llud ratum esse debet, etsi flores singulare quid in se contineant quod in cæteris plantarum partibus ipsos producentibus deprehendere non datur, Dissipationem tamen valde obnoxios esse ratione tenuitatis illo-



illorum substantiæ ; Etsi vero odoris suavitatem , ne dispareat , forte coercere possimus , ac qualitates nonnullas præterea utiles , ope variorum mediolorum à Chymica arte suppeditatorum , ardui tamen est operis ex quovis Florum genere spiritus ardentés , odoris fragrantia commendabiles elicere : nisi quam basim & fundamentum odor floris in planta obtineat sedulo disquisitum fuerit , & vi in auxilium venerit fermentatio , spirituum vegetabilium quasi anima , sicuti idem præstat putrefactio ratione Oleorum .

Rosis Sylvestribus illarum fructus adjiciendus est ( quem vocant fructum Cynosbati vel Cynorrhodi , semen continens , sicuti & in domesticis reperitur ) optime contritus : Floribus Salviæ , Rorismarini , Majoranæ , Menthæ , Beticæ , Melissæ , Lavendulæ , Thymi , Stœchadis , Caryophyllorum hortensium , Violarum , Iasmini &c. Semina rite contusa addenda Floribus Lili Tuberosi , Liliorum , Iridis , Pæoniæ , Angelicæ , &c. Eorundem radices contusæ cum seminibus tritis . Floribus malorum Aurantiorum , Limonum & Citriorum , fructus integri rite contriti ; Floribus Liliorum convallium & Sambuci , plantarum baccæ optime contritæ .

Postremis his floribus humiditatem quampiam extraneam addere inutile est , uti neque illis qui humore sufficienti scatent , aut illorum baccis , vel fructibus ; at vero tantillum spiritus vini affundere necesse est , alteriusve liquoris , imo vel fermenti panis aut flores cerevisiæ , cum videlicet flores seminibus additis commixti , sufficientem humiditatem non obtinent ad effingendum massam utcunque mollem ac fermentationi idoneam : Ut res succedat , optime conterantur flores una cum illarum partibus quæ firmamentum præbere debent : sin decentem mollitiem obtineant ob quam admittere valeat penetrationem Acidi fermentativi , sponte in illa emersuri , conjiciantur in Urnam argillaceam capaceam , adimplendam , illos comprimendo fortiter & conculcando : Sin massa sufficienter mollis non fuerit , tantillum vini superfundendum erit , aut aquæ ejusdem floris vulgari modo distillatæ , pauco ideo addito fermento ad fermentationem accelerandam , demum accurate oclusa urna , ope ex subere confecti obturamenti , circumlita cera flava liquefacta , fermentationi tempus idoneum concedendum erit , per quam partibus spirituosis ad separationem à crassioribus dispositio conciliabitur : Cum vero materiæ adeptæ fuerint odorem vinosum , acidiusculum , distillatio in maris Balneo instituenda erit , in Cucurbita vitrea , alembico bene luto obducto cooperta , excipiendo spiritum inflammabilem subdito Recipiente , ut decet coaptato & luto munito . Eo pacto proditurus est Spiritus Ardens , floris odorem omnino in se



comprehendens, qui iteratæ distillationi exponendus, si ita lubet, super affundendus recentibus floribus, citra rei alterius additionem; diutius intemeratus futurus, si in lagena densa, rite obturanda reconditus fuerit.

Rosæ adeo uberem effundunt odorem, ut mirum esse non debeat adjectione rei cuiuspiam extraneæ, de qua supra, carere, si liber, nos posse ad distillatione eliciendam partem illarum inflammabilem, scilicet spiritum: At vero etiam si ex solitariis spiritus ille educi possit, ea ratione quam supra indicavi procedendo, cum de illarum distillatione, generosior tamen & uberior proditurus, est ab addito cynosbati fructu.

Cum porro non semper opportune, obvia sint & nec semper obtinere liceat semina, baccas, radices, aliasve plantarum partes quæ basin præbere possunt floribus distillandis, ideo confugiendum est ad extraneam quampiam substantiam, sed homogeneam, quæ sal suum adjungens, sulphur & Mercurium his floribus, continere valeat & sibi adsciscere Florum odorem, & quicquid sulphureum ac φλόγισον obtinent, fermentatione superveniente, hisque basin præbens suppeditet & conjungat proprios spiritus illis quos in distillatione emittunt flores.

Manna, Saccharum, Mel ad prædictos usus æque idonea sunt, ex tribus his id quod in manus venerit accipiendum: Proportio unius illorum ad flores ex quibus spiritus φλογισος eliciendus sit subsextupla: Accurata vero sit commistio, addito etiamnum, si quid urgeat, tantillo cuiuspiam alterius liquoris cum particula fermenti; cætera procedendo eadem methodo quæ ad fermentationem & distillationem florum cum feminibus, aliisve partibus plantarum à me modo memoratarum tradita est: Accuratissime vasorum commissuræ luto obducendæ sunt, tum ad fermentationem promovendam, tum ad instituendam distillationem, ne ulli dispereant Spiritus: Nec inutile fuerit hos recentibus floribus affudisse, iterasseque distillationem, ad meliorem odoris impressionem ac qualitatatum utilium.

Iuxta hanc methodum licet ex omnibus Aromatibus, ab Indis ad nos translatis, vel aliunde, uti & cunctis herbis odoratis, educere spiritum odoratum & inflammabilem.



## CAPVT XVI.

*De Seminum & Baccarum, ac primo de Seminis Anisi Distillatione.*

**I**Nfusiones potius instituuntur, aut Decoctiones, quam Distillationes plurimorum seminum, quæ cum pro frigidis habeantur, aut saltem temperatis, partibus aqueis & mucilagineis scatent, in liquoribus homogeneis dissolubilibus: Aut partibus plurimis oleagineis constant, comite multo humore aqueo, facile expressionis ope à partibus crassioribus sejungendo, imo absque igne, vel per liquores idoneos extracta emulsione: Semina Malvæ, Bismalvæ, Cydoniorum, Psyllij &c. Aquea mucilaginosa censentur: Cucumerum, Melonum, Cucurbitarum, Lactucæ &c. inter oleaginea recensentur: Imo & nonnunquam per expressionem oleum è pluribus seminibus calidis extrahitur. Sed cum hic locus Galenicis præparationibus locus adsignatus non sit, distillationes Chymicas solum exhibiturus sum circa præcipua semina instituendas, initio ab Aniso ducto.

In Anisi distillatione non unica ratione procedendum, pro varietate videlicet scoporum: Aliquando enim libras duas vel tres, quindecim aut triginta libris aquæ vitæ optime addidisse satis est, ac distillatione simplicem suscepisse per Refrigeratorium aut Vesicam Cupream intus stanno obductam, Alembico, capite Mauri dicto coopertam, cui serpentinum sit adnexum ad extractionem Spiritus vini Anisati, in Gallia Narbonensi & Provincia nomine Aquæ Anisi venalis: At si ejusdem distillationis beneficio comparare sibi quis voluerit Aquam, Spiritum & Oleum, Sal volatile suo complexu gerentia, hæc esto processus ratio.

Accipiantur, exempli gratia, duodecim aut quindecim libræ seminis Anisi adhuc virentis, si suppetit, aut saltem quam recentissimum comparare licuerit, cui rite contrito, ac in capacem Vesicam æneam immisso, interiori facie, probe stanno obductam, superfundatur aqua pluvia aut fluvialis, aut, quod satius, aqua Anisi stillaritia, si præsto fuerit, quousque semini quatuor digitis superemineat, Eodem tempore vesica fornaci superimponenda, qua Alembico, Mauri capite dicto cooperta, coaptato illi, luto obducto, serpentino, grande dolium aqua frigida repletum pertransiente, adplicando etiam Serpentino Recipiens, luto utrumque muniendo, in cinerario modicissimus ignis accendatur, solummodo ad levissimam materierum contentarum excalesfactionem, idque efficiendum ut aqua insensibiliter substantiam Anisi intimam pervadere queat: Istiusmodi calor per triduum integrum pro-



ducendus ut Aniso putrefactionis quædam species inducatur; Postmodum igne accenso in foco Fornacis, distillatio inchoanda erit, igne moderatissimo producenda, quousque distillatione circiter Aquæ partes duæ prolectæ fuerint, una cum Aniso in vesicam immissee: tunc temporis removendus ignis, abstractoque Recipiente, seorsimque reposito in lagena vitrea densa, obturata, accuratè, Oleo Aquæ spirituosæ distillationis opeeductæ supernatante, materiis refrigeratis, inanienda erit Vesica, colandaque & exprimenda subsidentia; Demum pari Anisi contriti cum superiori quantitate in Vesicam conjecta, illique superaffusa aqua recens distillata, cum liquore ex subsidentia expresso, illaque Alembico cui à capite Mauri nomen cooperta, luto optime obducto, coaptato illi lutato Serpentino ac Recipiente, eadem omnino ratione ac prius in distillatione procedendum erit, eodem itidem modo Oleo ab aqua spirituosa secreto: Licet &, si lubet, aquam stillatitiam reafundere, liquoremque expressione eductum recenti Anisi semini; repetita de novo distillatione, imo quoties è re visum fuerit: Eo enim pacto Olei major quantitas elicienda est, & Aquæ spirituosæ, odore & anisi facultatibus insignitorum.

Iterata affusio aquæ stillatitiæ recenti Anisi semini, in causa est ut major prodeat olei copia quam si unaquaque vice nova aqua affunderetur; quæ semper aliqualem olei portionem sibi adsumeret: Sed & similibus in occasionibus non inepta esset illa procedendi ratio: Liceret interim, si ita visum fuerit, separare tantillam Olei portionem ab Aqua spirituosâ distillata, si hanc lagena vitrea densissima, accurate occlusa, immisam, lucido Soli per aliquot dies exposueris; hac enim ratione Olei pars, quæ aquæ confusa fuerat, coloremque albicantem illi imprimit, in supernam aquæ partem evehetur, ac in collo lagenæ colligetur, inde eximenda.

Nonnulli unciam unam circiter Nitti admiscent, aut Salis Tartari, vel Tartari crudi pulverisati, unicuique libræ Anisi admiscent cum id distillare intendunt, rati uberiolem inde se copiam Olei computaturos: at quibus perspectum fuerit quam magna pro clivitate Olea Salibus fixis se conjungant, sicuti id observare est in saponis confectione, ii judicaturi sunt eadem salia, cum sursum nequeant evehi proculdubio olei portionem quampiam sibi adsumptura, nedum majorem copiam inde expectandam.

Cum porro Anisi potissimum instituaturs distillatio ad Olei prolectationem, potius quam utilium ejusdem partium, uberiolem illius solito copia speranda est, si immisso Aniso contrito in magnam cucurbitam vitream, super imposito Alembico cæco accuratissime luto obducto, Cucurbita



curbita fimo imponatur ad altitudinem usque rerum inclusarum, ibique per duas vel tres hebdomadas detineatur; ex putrefactione enim in Aniso suborta partes oleagineæ accuratius extricabuntur, ac postmodum major olei copia proditura est, quam ulla alia ratione.

Oleum & Aqua Anisi Spirituosa admodum commendantur in affectibus frigidis ventriculi & Intestinatorum, specialiter in colico dolore flatulento: Nec minus conveniunt ad excitandum Appetitum languentem, & concoctionem adjuvandam, Admodum illorum opportunus est usus in pectoris morbis, cum pituita crassa & viscida pulmones obstruens incidenda & divellenda est: valent & ad ubertatem lactis Nutricibus conciliandam, hydropicorum flatus dissipandos, Uteri vagos motus compefcendos, tormina ventris infantium mitiganda, Partum facilem reddendum: Dolores aurium mulcendos, eorumque susurrum extinguendum, à flatibus & humoribus frigidis inductum.

Oleum ex propria aqua exhibetur, à guttis duabus ad septem vel octo, exceptis saccharo pulverato: Valet ad umbilici inunctionem & ventriculi, in aures quoque infunditur, commixtum oleo amygdalorum dulcium vel amarorum, vel aquæ cuiusdam cephalicæ.

Semina Carvi, Cumini, Fœniculi, Anethi, Sefeli, Apij, Ammi, & similia, eodem modo quo oleum anisi distillari possunt, ex unoquoque, pro cuiusque specie, eliciendo substantias propemodum similes iis quas Anisum suppeditat: Sed minor Olei copia proditura est, idque præsertim, quod cum in usum venire deberent semina quamdiu adhuc virefcunt, ut plurimum tantum admodum sicca imò & nonnunquam obsoleta admittuntur.

## CAPVT XVII.

*De Distillatione Seminum Cochlearia, Sinapi, Nasturtij, &c.*

**I**llud mirum esse non debet Spiritus, Olea, ac Salia plantarum volatilia, in distillatione semper conjunctim evehi, cum multum adfinitatis & commercij inter illa intercedat, ac vix possibile sit ab invicem illa divellere quin nonnullæ particulæ sibi mutuo cohæreant, imo aliquid phlegmatis illis conjunctum remaneat: Sal præsertim volatile sæpenuero substantiis tam intime confunditur, ut vix segregari queat, imo neque distingui, nisi insignis illius adfuerit copia ac odoratui manifestum fiat: Imo in plurimis herbis admodum aqueis, in frigidarum genere repositis, tam exigua reperitur copia, ut discerni nequeat, nedum separari.



In distillatione plurimorum seminum calidorum; nominatim Sinapi, Nasturtii, ac similium, observabilis est in illis cōmixtio, scilicet olei, spiritus, ac salis volatilis quæ sunt partes maxime cōspiciuæ, nec parva copia; contentæ: Imo illarum separatio institui potest, at non depuratio tam sincera, quin in unaquaque illarum cæterarum particula commixtæ delitescant, præsertim Sal volatile in Oleo & Spiritu: Neque admodum arduum est substantias in dictis seminibus dominium obtinentes interstinguere, quandoquidem dentibus attritæ partibus suis penetrabilibus per oris ambitum universum se diffundunt, indicio non levi partium volatilium, ac præsertim salinarum & sulphurearum, odoratum afficientium, cerebrumque non levi vehementia impetentium.

Ad horum seminum distillationem varia adducuntur media, Nonnulli enim post exacte contrita quæ distillationi subjicienda sunt, immissaque in grandem urnam argillaceam, superaffundunt aquam pluviam aut fluviatilem tepidam, quousque semini injecto duobus aut tribus digitis supernatet; demum accuratissime obturatam urnam per triiduum super Pistoris furnum detinent fermentationis causa, postea omnibus in Vesicam cupream stanno obductam infusis, commissurisque accuratè luto obductis, tum Alembici, capitis Mauri nomine donati, tum Serpentina & Recipientis, distillationem suscipiunt igne primum moderato, educuntque primo Spiritum, Oleum & Sal volatile, quibus nonnihil Phlegmatis commixtum adhæret, ab illis abstracti; productaque distillatione ad aliquot dies, Aquam eliciunt tribus his principiis prægnantem, convenientem non modo affectibus scorbuticis, sed superfundendam præterea novis seminibus distillationi committendis. Oleum demum secernunt, seorsim id seppientes in ampulla vitrea densa, accuratè obstructa, sicuti & spiritum, sale volatili admodum prægnantem, quo neque oleum destitutum est.

Alii Vinum album optimum semini contrito affundunt, non aquam pluviam aut fluviatilem, satisque illis est spatium temporis vino concedere ad intimam seminum penetrationem, maceratione absque igne facta per unicum noctem contenti; demum cuncta distillant, eodem quo priore modo in distillatione procedentes.

Quidam optime contrito semini, ac capaci Cucurbitæ vitreæ immisso, superaffundunt Vini spiritum rectificatissimum, quousque semini duobus transversis digitis supereminet; Illam suo Alembico cooperatam, luto obducto, coaptatoque rostro Recipiente, eodem modo lutato, distillationem in Maris Balneo instituunt, vel cinerum, igne moderatissimo, eliciuntque Oleum cum spiritu tenuissimarum partium & summe penetrabilium, admodum sale seminis volatili prægnante.



Sed & commodissime hæc femina distillari possunt citra ullam additionem, imo ne quidem contrita, si Retorta argillacea, aut vitrea, luto obducta illis oppleta fuerit: Illa enim collocata in furno Reverberij clauso, adaptatoque, (accuratissime luto obducto) grandi Recipiente illius rostro, suscipi potest distillatio igne gradatim aucto, hoc est initio mitissimo, sed paulatim per spatium duodecim horarum ad extremum usque gradum adaucto: Hoc pacto in Recipiente obvium erit Oleum, Spiritus, Sal volatile & Phlegma, simul commixta, postea in Balneo Arenæ rectificanda igne moderato in matratio oblongiori collo prædito, cui imponendus Alembicus luto exactissime incrustatus, instructus exiguo Recipiente eodem modo luto vestito: Per quam rectificationem Sal volatile prius ascensurum est, forma alba coagulandum & crystallina: unde, si libet, eximi posset, lutum alembico inductum si detrahatur, aliud illi substituendo sed luto incrustatum; accurata cura & diligentia Sal custodiendo in lagena vitrea densa, accuratissime obstrueta, ne portio illius in auras discedat, humiditasque aëris id quod superest in liquorem convertat: Rectificationi postmodum insistendum, separando, & seorsim adservando, spiritum sale volatili prægnantem, semper anticipantem, sicuti & Oleum volatile quod supernaturaturum est, interim dum maxima pars aqueæ partis in Matratij fundo superstes futura est, cum maxime terrestri & crassiori Olei parte, nequaquam adservanda ob crassitiam & fœtorem, etsi non inutiliter in usum venire possit usu externo, ad leniendos dolores a causa frigida subortos.

Nulla urget necessitas ut huc afferam virtutes antiscorbuticas, uti neque dozini & rationem in usum flectendi Spiritus, Salia volatilia, & Olea ex hujusmodi seminibus educta: uti neque Aquas Spirituosas illorum in distillatione comites; quandoquidem supra à me memorata sufficiunt, cum de substantiis ejusdem prope indolis mihi fuit sermo, eductis è Cochlearia: Illud tamen censendum ex his seminibus quiddam magis digestum ac tenuius expectandum esse quam ex herbis, seminum perfectionem nondum adeptis: Id etiamnum pro comperto habendum, Spiritum, Sal volatile & Oleum horum seminum, optimorum effectuum opifices esse posse in cunctis Cerebri affectibus frigidis, necnon Nervorum & Musculorum, speciatim in Paralyfi; cui rei non modo convenire potest Inunctio, non solum ex Oleo rectificato, sed & ex illo quod rectificationem expertum non est, id seorsim litu admovendo aut commixtum Vngu. Martiato vel axungiaë humane, viperinaë, aut Oleo Interitio, Laurino, Hypericonis aut similibus.

Nonnulli fermentum adhibent juvandæ gratia fermentationis, sed



licet ab illo abstinere, copia enim tenuium partium abundant, ac insigni dispositione ad terrestrium excussionem, exigua quantitate inexistentium.

## CAPVT XVIII.

*De Distillatione Baccarum Sambuci.*

**N**on suscipio enumerandas hoc loco cunctas præparaciones, plurimas Sambuci partes spectantes, uti nec fruticem hunc laudibus, quibus insignis est, donare, de quo plurimi authores Tractatus edidere; cum enim metam mihi propositam præterire animus non sit, satis hoc loco mihi fuerit paucis perstrinxisse methodum Baccas illius distillandi, ac modum insuper quicquid illis utile inest eliciendi.

Colligantur Baccæ Sambuci perfectam maturitatem adeptæ, non exigua copia, ex quibus probe mundatis & contusis exprimatur succus, quo adimpleatur doliolum quernum, in cella vinaria ad fermentationem detinendum non secus ac mustum: quam primum observatum fuerit succum odorem vinosum adquisivisse, acidiusculum quid redolentem, perforandum doliolum paulò supra fæces, eadem ratione qua dolium vinum continens terebratur: Eductus universus succus limpidus infundendus in Vesicam cupream intus stanno obductam, qua cooperta suo Alembico Mauri Capite donato, probe lutato, adaptato illius rostro Serpentino quoque luto obducto, pertransiente dolium aqua frigida impletum, ac Recipiente admoto extremo canali serpentino, suscipienda erit distillatio igne admodum temperato, seorsim reponendo succum inflammabilem, summa penetsandi vi præditum, primo ascendentem.

Producenda etiam eodem igne distillatio, quousque exstillarint circiter duæ tertiæ succi in vesicam immixti, quo tempore, distillatione intermissa, Aqua spirituosa distillata seorsim reponenda; Demum vasis refrigeratis, in manicam panneam decantandus erit succus in vesica residuus, ad fæcum subsidentium separationem: Demum effusi liquoris limpidi, in pelvim fictilem, vitreatam, humiditas superflua igne lenissimo in vapores solvenda erit, qui producendus quousque liquor in Extracti consistentiam deductus fuerit, vasi vitreo cum refrixerit committendi, aut Faventino, accurate cooperto.

Interim Baccarum magma Soli exponendum fuerit, aut aëri libero, ut exsicquetur, ad acinorum separationem, qui inutiles futuri non sunt: ex illis enim contritis, ope torcularis exprimitur Oleum leniter vomitum.



tum ciens, à drachma semis exhibitum ad sesquidrachmam ex iusculo, cerevisia, aut liquore quopiam idoneo.

Spiritus Sambuci plurimum commendatur adversus frigidos Cerebri morbos: diaphoretica vi præditus est, Sanguinis massam depurat, facilemque illius circulationem præstat: Putredinem humorum emendat, ac Februm & Venenorum cacoechiam emendat: Podagricis & Hydropicis opem fert, Vterique obstructions referat, ac vapores retundit, Exhibetur ex propria aqua vel liquore consimili, à drachma semis ad drachmas duas: Eadem dozi illius Extractum præbendum, Boli forma, aut dissolutum in aqua propria, quinimo commiscendum illius spiritui in iisdem affectibus ad quos commendatur; Potest & comburi ac incinerari magma, eductuumque sal extracto commisceri, aut in aqua stillatitia dissolvere ad virium incrementum: Eadem præparatio Baccis Ebuli adhiberi potest.

## CAPVT XIX.

*De Distillatione Baccarum Juniperi.*

**J**uniperi Baccæ substantia cum parum humida donatæ sint, ex illis sicuti ex baccis sambuci succus extrahi nequit, quamobrem ad humidi cuiuspiam extranei subsidium confugiendum ut res succedat, atque diverso processu genere utendum pro substantiarum eliciendarum diversitate: Si enim ex his baccis succus inflammationis capax eliciendus fuerit, fermentationem is subire debet, imo fermenti tantilla portio adjicienda est, mellis, sacchari, aut mannæ liquori ad dissolutionem requisito, & necessariam secretionem partium subtilium & volatilium à crassioribus.

Illud tamen ratum esse debet, dum excitatur & educitur spiritus ille inflammabilis, minorem Olei portionem prodire quam si alia processeris via, quia fermentationis vi maxima pars in spiritum inflammabilem transit; Neque præterea dubium quin à fermento admoto immutatio fiat naturæ & qualitatum portionis à distillatione superstitis, adeo ut Extractum probæ notæ expectandum non sit; At cum beneficium ex spiritu φλογισω̄ sperandum multum illi inferius sit quod producere potest diversa procedendi ratio in distillatione harum Baccarum, Assumpta autem exigua quantitate spiritus vini, vice aquæ, comparare quivis sibi possit, nullo negotio, spiritum non minus subtilem, ac efficaciorum quam si prævia esset fermentatio, ex mea sententia satius fuerit sequenti methodo insistere.



Accipe Baccarum Juniperi Libras quinque aut sex, maturitatem perfectam adeptarum & succulentarum; optime conterantur in mortario marmoreo pistillo ligneo, adimpleatur pars media magnæ Cucurbitæ vitreæ, illis affundatur Spiritus Vini rectificatissimus, quousque solum pars tertia circiter capacitatis vasis vacua supersit; cooperiatur admoto Alembico cæco, cujus commissuræ accuratissime luto incrustandæ, Impone arenæ supra Pistoris furnum, ac detine per triduum integrum, quod satis futurum est juvandæ penetrationi Spiritus vini in baccas juniperi, ac dissolutioni partium maxime volatillum; demum derafo luto, soluta vasorum compage, illique substituto, ac imposito supra cucurbitam Alembico, luto obducendo, coopratoque ejus rostro alembico, peragatur Distillatio Balneo Arenæ, igne moderatissimo adhibito; Eo pacto proditurus est Spiritus subtilis & inflammabilis, prægnans partibus maxime subtilibus & optimis Baccarum Juniperi.

At vero melior successus sperandus, ac insimul quicquid utile continent Baccæ Juniperi elicere dabitur, si hanc methodum tenuerimus: Optime conterantur Baccæ Juniperi non exigua copia collectæ, Immittantur vrnæ argillaceæ, uni vel pluribus, adimpleantur duæ circiter partes, affundatur aqua inter tepentem & æstuantem media, diu agitentur & diluantur baccæ, Vrnæ ad summum aqua impleantur, postea optime occludantur, per octiduum supra furnum pistoris detineantur; perficiatur distillatio in Vesica cuprea interius stanno obducta, imposito illi Alembico à Mauri capite denominato, rite luto obducto, sicuti & Serpentino ac Recipiente, non dissimiliter procedendo quam ad distillationes præcedentes, pergendo in distillatione donec aqua pene insipida exstillet: eo pacto proditura est Aqua sale volatili & partibus spirituosiss Baccarum prægnans, comite sale volatili albo & odorato, illi supernatante, separabili ope ellychnii vel funiculi gossipini, infundibulli, vel alterius vasis vitrei illis usibus destinati, seorsim in ampulla vitrea densiori recondendo, accurate occludenda.

Licet &, si libuerit, Aquam rectificare in Balneo Arenæ, in Cucurbita vitrea, Alembico suo, bene luto incrustato, cooperta, rejecta parte mere aquea, in fundo cucurbitæ post distillationem residua; vel baccis recentibus aquam prima vice distillatam reaffundere, repetendo macerationem & distillationem sicuti prius ostensum est; quo pacto major Olei quantitas proditura est, aqua spirituosior futura, & sale volatili magis turgens.

At vero cum non omnes Baccarum partes utiles evehantur in Distillatione, ac plurima illarum pars, & potissima, aquæ commixta in fundo



fundo vesicæ remaneat, præsertim substantia quædam melliginea, cujus comes sulphur quoddam crassius cum baccharum sale fixo, ideo Subsidentia colanda & exprimenda erit cum vasa calorem omnino deposuerint; qui liquor limpidus redditus in pelvim fictilem infundendus est, interius vitreatam, humorem super vacaneum in vapores solvendo ope modicissimi ignis, quousque id quod superstes futurum est ad Extracti consistentiam deductum fuerit, gustui non ingratum, aromaticum quid respiciens.

Exsiccandum quoque erit Magna ab expressione residuum, quo combusto, & in cineres redacto, lixivium cum aqua parandum erit, quod filtratum, & ad coagulationem usque salis consumptum, Extracto conjungendum erit, commista recondendo in vase Faventino accuratè occludendo.

Oleum & Aqua Spirituosa Baccharum Juniperi eximia sunt utilitatis ad expediendos renes & ureteres ab arenulis & materiis viscidis eorum meatus infarciensibus, urinæque liberum comæatum intercipientibus: Usus quoque sunt insignis in cunctis frigidis cerebri affectibus, scorbuticis, uti & ad cerebrum corroborandum, excitandum torpentem appetitum, concoctionem promovendam, humorum corruptionem inhibendam, vermes corpori inhærentes necandos: sicuti & in sedandis colicis doloribus à flatu oriundis, omnibusque intestinorum morbis frigidis: Oleum speciatim commendabile est adversus aëris inquinamenta, Pestem, affectusque omnes epidemicos, sicuti & quosvis hystericos.

Oleum ex ipsamet Aqua Spirituosa exhibendum, at nondum rectificata, vel ex vino, jusculo, à guttis duabus ad septem vel octo, mane jejuno ventriculo, vel procul a partibus, in usu illius prout opus fuerit pergendo, sicuti & Aquæ Spirituosæ, minori copia exhibendæ, aut majori, pro rectificationis diversitate.

Oleum etiam commodissime usurpatur ad Inunctiones externas, in Nervorum affectibus, præcipue illorum contractionibus: Inungitur quoque umbilicus in colicis doloribus: Auribus inditur contra tinnitus & gravem auditum: In Nares etiam immittitur, inunguntur tempora & futurarum cranij regio, in Apoplexia, Epilepsia, &c.

Baccharum Extractum quod attinet, non immerito illi Helmontius insignem vim purgatricem assignavit, illa enim revera pollet, si præsertim additum fuerit Sal proprium fixum: Roborando enim ventriculum & intestina, lenissime quoscunque humores expurgat.

Datur à drachmis duabus ad semunciam, Boli forma, aut liquore convenienti dissolutum: commiscetur etiam nonnunquam Opiatis,



aliisve remediis aperiendi vi præditis & per inferna subducendi.

Eadem procedendi ratio locum habere potest in distillatione Bacca-  
rum Sabinæ, Hederæ, Myrti & similibus,

## CAPVT XX.

*De Distillatione Tritici, Secalis, Hordei, &c.*

**V**Siratissimus ejusmodi Cerealiū ad hominis alimentum ac non-  
nullorum animalium usus, manifestissimum facit in ipsis delitesce-  
re substantias non minus essentielles quam subtiles, quarum ope ad par-  
tes corporis nostri etiam maxime distas perducuntur: Facultas præ-  
terea sibi simile gignendi, seminibus omnibus communis, ratum facit  
eminenter, ac quasi per compendium in ipsis contineri quicquid in  
planta, è qua ortum duxerunt, præstantissimum latuerat; quandoqui-  
dem eandem plantam, uno quoque anno corruptibilem, producere apta  
nata sunt, perpetua ortus & interitus vicissitudine.

Rei veritas ex mechanicis fundamentis confirmationem obtinet,  
non solum in Panificio, sed & in Cerevisiæ confectioe: Accedente  
enim fermentatione artificiali in farina, ex qua pastam parat Pistor, ad-  
dita aqua calida, commixtaque fermento, superveniente in furno co-  
ctioe, cum illius partes fermentationis partes optime divisæ fuerint,  
Panem conficit gustui, gratum, alimento idoneum, sed qui præterea  
ventriculi calore indiget, & Acido illi inexistente, aut fermento nati-  
vo, ad postremæ fermentationis perfectionem, atque hujus beneficio,  
intimæ divisionis omnium particularum, quo maxime sinceræ & subtilis-  
simæ ad singulas corporis partes in illarum beneficium deferantur,  
crassiores autem ad intestina propellantur foras, ut pote excrementa inu-  
tilia, ejiciendæ.

Cerevisiam quod attinet, postquam Cerevisiarum seminibus artificio  
germinationis principium indiderunt, demum in eorundem seminum  
centrum, illa exsiccando, ad germinandum propensionem retruserunt  
crasse illa conterunt, postea addito tertio tanto alterius grani germina-  
tionem non experti, sed mola quoque contriti, omnibus aquam semifer-  
ventem affundunt, postmodum frigidæ quantum satis est ad dissolutionem  
& separationem partium volatiliū seminibus inexistentium, totique  
conciliandum temperatum calorem, accedente deinde fermentatione  
requisita, cunctisque per idonea instrumenta subactis, accurate con-  
tegunt vasa materias continentia, per quatuor aut quinque dies illic de-  
tinentes, aut quatenus vapores exinde elati nares feriant, emergatque  
odor



odor vinosus, subtilis & penetrabilis, perfectæ fermentationis index certissimus.

Occasio tunc legitima est materias distillandi per vesicam Alembico, Mauri caput dicto obrectam, ad eliciendum spiritum inflammabilem, sale & sulphure volatili seminum prægnantem, non minus subtilem, nec minori penetrandi vi præditum quam est vini spiritus etiam rectificatissimus.

Accuratiorem descriptionem tradere mihi licuisset, imo hortari eos qui illi se operi accingere non recusaturi sunt, ut colligant aquam per æquinocia è cælo deciduam, vernalem potissimum, sed superferendum duxi, quod in omnibus Zythopeptarum tabernis res conspicua sit, imo libris eo de negotio conscriptis, speciatim in Tractatu Chymico Dom. le Fevre, operationis rationem ad unguem demonstrantis.

Satis mihi fuerit huc intulisse, multo minori negotio perfici posse separationem partium Triticum, Secale, Hordeum, aut similia semina Cerealia componentium, Retortæ duas circiter partes adimplendo semine quod libuerit, in furno Reverberii clauso, igne patente distillationem instituendo, igne per gradus adhibito & ad artis normam: Hoc enim pacto in Recipiente reperire erit Spiritum, Sal & Oleum volatilia, per rostrum Retortæ exstillatorum, permixtorum & confusorum plurimo phlegmati, cujus rectificatio postmodum perfici potest per Arenæ Balneum in Matratio oblongioris colli, Alembico suo optime luto incrustato cooperto; Imo per crebro repetitas rectificationes consequi licet Sal volatile album & crystallinum, vel saltem spiritum eximia penetrandi vi præditum, cum sale volatili illici resolutò: Id quod contingere potest ab insita proprietate salium volatilium plantarum, qua in liquorem facillime abeunt, aut etiam in nihilum: Prodituruna necnon est Oleum volatile, admodum tenue & penetrabile, quod nonnullas particulas salis volatilis sibi adsumpserat.

Spiritui inflamabili, ex his feminibus fermentationem expertis educto eadem fere qualitates assignari possunt quæ vini spiritui, & in eisdem etiam usus adduci; Sal & Spiritus volatilia in omnibus morbis conveniunt in quibus necessaria est incisio, & vitio peccantium humorum attenuatio; illorum ad habitum corporis per poros carniùm & cutaneos expulsio, sudoris forma aut insensibilis transpirationis: Possunt & utilissime ad usum revocari in morbis epidemice grassantibus, imo & in Thoracis affectibus, præsertim Asthmate & Pleuritide, Pituitam enim meatus respirationis obturantem efficacissime divellunt, & anacatharsim adjuvant, vapores quinetiam nonnunquam simul molestos discutiunt.



tiunt, à quibus Asthma, etiam absque pituitæ præsentia, induci potest: Sanguinem concretum resolvunt, pleuritis autorem, dummodo tempestive exhibita fuerint, priusquam sanguis è vasis elapsus puris forma donatus fuerit.

Dosis est à semi scrupulo ad semidrachmam ex vino, jusculo, vel liquore quopiam: Eadem commiscere licet opiatis, syrupis: Imo & usus illorum diu produci potest, non semel tantum sed per vices præbendo, at minori copia.

Olei volatilis usus exterior potissimum est, illinendo partes Rheumatismo obsessas, aut dolore quopiam à frigida causa suborto: Commodissime & usurpatur ad alliciendos & revocandos spiritus in partes paralyti tentatas.

## CAPVT XXI.

### *De Distillatione Leguminum.*

**E**X variis substantiis è Leguminibus per Retortam eliciendis in Fornace Reverberii clausa, Sal volatile præsertim educitur, distinctius & copiosius quam ex cæteris Cerealibus alimento hominum destinatis, si exceperis quædam semina aut radices antiscorbuticas: Illud quoque crediderim majori sedulitate idem disquirendum fuisse, nisi à proposito revocasset copia salis fixi ex siliquis illorum educi soliti cum incinerantur, eademque methodo qua ex cæteris plantarum partibus Sal educitur: At si Salium varia indoles accurate animadversa fuisset, ac insignis Acidorum dispositio qua intime salibus fixis conjungi imo & volatilibus amant, ac potestas illis innata posteriora hæc sistendi & ad tempus figendi, procul dubio nullus non in eam sententiam venisset, nec quibusdam neotericis Chymicis illustribus ignotam, videlicet Salia omnia plantarum, quæ chimistæ ab omni ævo pro fixis habuerunt, in Salium censu reponenda non esse, neque ea copia proditura esse, uti neque ignis vehementiæ obstitura esse, nisi sal acidum quod in est parte plantæ quæ incineratur, conjunctum sali aëris, & illi quod materiis combustibilibus inest, adhibitis ad adustionem aut calcinationem rei comburendæ, cohibuisset Sal natura sua volatile, illi se intime jungendo, atque vim igni resistendi eidem impressisset etiam si, ut rectius dicam, Salia hæc quamquam conjuncta, ignis vehementiæ non tamdiu obisterent nisi adsumpsissent, ac sibi conjunxissent partem Terræ maxime alkoolisatam, quam tamen omnino excussisse videntur per frequentes filtrationes, ac nisi illam Terram amplexa essent tanquam conjunctionis fundamentum.



Id quoque pro comperto habendum Sal Acidum in compositione mixtorum adeo esse necessarium, ac præsertim plantarum, ut absque illius præsentia neque generationem, neque incrementum, neque partium perfectionem consequi valeant: vinculum id esse omnium aliarum substantiarum, absque illo neque soliditate neque consistentia donatum iri, ac cunctas productiones, orbis universitatem occupantes, in antiquum Poëtarum Chaos redivuras, si deesset illud Acidum quod totius Naturæ anima & fundamentum censendum est.

Sed in viam rediens, Distillationem nempe Leguminum, prætermissa cujusque singulari, Fabas solas attingam, omnium leguminum, ex vulgi sententia, crassissimum, nulli vero inferius, tum tenuitate partium & penetrandi vi, tum copia salis volatilis ipsi insiti.

## CAPVT XXII.

*De Distillatione Fabarum.*

**A**ccipiantur Fabarum exsiccatarum integrarum Libræ quinque aut sex, immittantur Retortæ argillacæ, aut vitreæ luto incrustatæ, cujus circiter tertia pars vacua supersit: hæc in Furno Reverberii clauso collocetur; coaptetur illi amplissimum Receptaculum, luto optime munitum, obturatoque spiraculo, modicus ignis in cinerario accendendus, per quem solummodo paulatinum calorem concipiant Retorta & Fabæ illi inclusæ; qui per horam integram hoc in statu conservandus, demum in foco ignis accendendus, eoque modo regendus ut non multo intensiorem præbeat calorem eo qui in cinerario accensus fuit, hic per horæ spatium in eodem tenore detentus, paulatim singulis horis augendus est, sed vitato excessu, interim pars Fabarum aquea in Recipiens exitillans conspicua erit non exigua copia: Postmodum nonnihil aëris concedendum erit Spiraculo Fornacis, à latere Recipientis, ignem per intervalla augendo, quousque Retortæ globus nubibus albis oppletus conspiciatur, quæ paulatim & insensibiliter in liquorem exstillabunt, partim oleagineum, partim spiritu salinum, in vasis fundum secedentem: Tunc ignis eodem in tenore fovendus toto bihorio, atque aëri per spiraculum paulo liberior ingressus patefaciendus, quod postmodum omnino referandum, intensiori reddito igne, adeo ut tandem erumpat in flammam, eo usque producendus donec nulli amplius vapores prodeuntes ex Retorta conspiciantur, ac Recipiens inclarescat: quo tempore obturandum spiraculum Tegminis, ac simul ostia Fornacis, vasa ut refrigescant permittendo: Postmodum Recipiens à luto libera-



tum, plurimum Phlegmatis continere deprehendetur, Oleo Spiritui & Sali volatili Fabarum commixti, in quibus adeo insignis penetrandi vis manifesta erit ut neque nares, neque oculos vasis officio admove- re cuiquam liceat quin protinus illinc recedendū sit: Tunc certissime cūctos illos liquores in marratium prolixioris colli infundere oportet, quod Alembico, optime luto incrustato, coopertum, adjunctum habens ro- stro Recipiens, eodem modo luto obductum, collocandum erit in Bal- neo arenæ, loco aëri exposito, procul à Sole ac quovis calore, præter eum qui excalesfactioni arenæ, & materiarum contentarum necessa- rius est, cuius beneficio conspicuum erit Sal volatile paulatim ascendens, ac in crystallos albos intra Alembicum concretescens, cooperiendum linteo pluries complicato, frigidæ immerso, ad prohibendam salis reso- lutionem, quod ad minimum caloris adpulsum, citius quam ullum aliud sal volatile resolvitur, adeo ut diutius alia forma quam liquida adser- vari nequeat: Licet nihilominus adhibita diligentia & sedulitate forma crystallina & alba ex Alembico eximi, ac per aliquod tempus in ampulla firma, accurate ocludenda conservari: Sed eam in rem in parato adesse debet alter Alembicus correspondens, qui succedat priori è quo Sal erit eximendum, demum accuratè obductis postremi commissuris; pergendum est in rectificatione harum materierum, interim dum abra- detur Sal è priori, sedulo recondendum: Eoque pacto in Recipiens excipiendum erit reliquum Salis volatilis, nuptum exiguæ cuiquam portioni phlegmatis ac partis oleagineæ maxime volatilis Fabarum, si lubet separandum, & seorsim asservandum, interite phlegma inutili, & oleo crasso ac fœtido in fundo Matratij subsidibente.

Sal volatile Fabarum generosissimum est diaphoreticum, omnium subtilissimum ac eximia penetrandi vi præditum censendum: Eadem do- si ac eadem ratione qua cætera salia volatilia exhiberi potest, & in eos- dem affectus adsumi: Olei volatilis vires a Salis viribus non multum recedunt: Dare licet à guttis duabus ad decem vel duodecim, Saccha- ro albissimo pulverato exceptis, demum diluto in liquore aliquo ac- commodo: Nec inutiliter Linimenti forma usurpatur ad membra pa- ralyti affecta, vel rheumatismo prehensa; umbilico etiam & ventriculi regioni illitus potest in colicis doloribus & ad lumbricorum internecio- nem: Naribus quoque inditur, temporibusque admovetur, in morbis Cerebri & uteri.

Fabarum Distillatio ansam mihi præbet ut huc inferam id quod à me experimento comprobatum circa eandem materiam, confirmationis gratia rei à me præcedenti capite adductæ, de fixatione quæ Salibus vo- latilibus plantarum accidit per Acidorum adjunctionem in utione vel calci-



calcinatione earundem plantarum, ubi ratio alia suppetit illarum Salia volatilia obtinendi, separatione nempe instituta à cæteris partibus beneficio distillationis.

Ex instituto in crucibulo comburi, ac incinerari curavi Fabarum exsiccatarum libram unam, ejusdem cum illis generis quam in Retorta distillavi, nullum interim odorem salis volatilil percipiens, sicuti id semper contingit dum comburuntur animalia integra illorumve partes: Accenso igne carbonum satis vehementi per sex horas, ad fabarum distarum incinerationem, in fundo crucibuli à me repertæ drachmæ circiter sex cinerum alborum, saporis salini, lixivialis, acris & caustici; Eodem ignis gradu usus ad comburendam & in cineres deducendam residentiam sex librarum Fabarum, è qua Sal volatile distillando eduxeram, vix cinerum unciam obtinere potui, sed prioribus minus candidantium, saporis minus acris, minusque salini.

Hinc facile dijudicare potui in postremis hisce Fabis me non deprehensurum Sal volatile quod jam per distillationem prodierat, neque illarum Sal eadem acrimonia pollere posse qua Fabarum distillationem non passum, quarum Sal acidum & volatile potissimam constituebant materiam: Quapropter existimo gravem illum odorem qui ex illis animalibus, dum comburuntur, emergit, quod indicium præbet dissipationis salis illorum volatilil, ab uno Acidorum defectu pendere, quorum exigua quantitas cum cohibere non valeat salia volatilia, in fugam ideo hi cito erumpunt cum actionis ignis vehementiam experiuntur.

Pisa, Phaseoli, Orobi, Lentæ, aliaque Legumina ejusdem cum Fabis naturæ, eodem modo distillari possunt, ex iisque propemodum eadem substantiæ elici, licet salis volatilil minus quam Fabæ contineant.

## CAPVT XXIII.

### *De Lignorum Distillatione.*

**L**igna non modo vegetabilium pars solidissima censenda sunt, sed & pro illa habenda quæ succi Acidi plurimum obtinet & effundit, sicuti id per distillationem in Retorta videre est, unde occasio exoritur observationes quasdam non levis momenti adferendi, quarum prima est.

Acidum, quod copiosum continent, adeo ligare, ac fixum detinere Sal volatile, ut vix odoratus percipere queat quidpiam illius commix-



rum latere in Spiritu acido, Oleo & Phlegmate; quandoquidem Sal volatile Animalium, & Fabarum cum acido illorum dominantur, illico vi sua acerrima nares feriunt & oculos eorum qui lutum Recipientis deradunt, in quod una cum fale volatili, spiritu & phlegmate se receperunt.

Secunda Observatio est, difficilius esse Sal volatile Lignorum secer- nere ab illorum Spiritu aut Sale Acido, Oleo volatili & Phlegmate, quam Animalium, Fabarum, aut Seminum antiscorbuticorum à cæteris substantiis quæ una cum illo per distillationem extractæ sunt: Eo quod Lignorum Sal volatile iam maxima ex parte fixatum est ab acido copia illud superante, cum in Animalium distillatione, Fabarum, seminum Antiscorbuticorum &c. acidum minori adsit quantitate quam Sal volatile.

Tertia Observatio est, illud Sal quod ex residuo in Retorta extrahi potest per calcinationem, non eque copiosum esse, neque tantas possidere vires, nec æque penetrabile esse ac id quod educi potest ex equali quantitate ejusdem ligni combusti & incinerati igne patente; Eo quod Sal volatile hujus postremi durante ustione cohibitum fuit ab Acido eidem ligno existente, sicuti & aëri ac materiebus, quas in cineres deduxerunt, Eo quod Sal ligni volatile, ab igne vi sursum compulsus in distillatione ad ascensum una cum Phlegmate & Acido, nequaquam porro cohibitum, aut fixius redditum ad Acido ullius aëris ambientis, neque ab ullo alio acido extraneo, quandiu lignum intra Retortam conclusum fuit, omnino fieri nequit ut postea in subsidentia reperiatur pars salina, illinc expulsa, nec proinde tantumdem Salis fixi quantum inest cineribus lignorum igne patente combustorum.

## CAPVT XXIV.

### *De Distillatione Ligni Rosarum.*

**S**ingularem Lignorum distillationem ordior ab eo cui nomen Ligni Rosarum inditum est, etsi Rosas non proferat, solaque odoris ratione id nomen gerat.

Scobina minutissime deradatur non exigua istius Ligni quantitas, quo postquam impletæ fuerint duæ partes capacitatis dolioli, adeo ut una vacet, illi superfundatur aqua pluvia, aut fluviatilis, hacque cum completum fuerit doliolum, apertio optime oclusa, cunctaque eo in statu per dies quindecim permanferint, pars ligni & liquoris capaci Vesicæ æneæ, interius probe stanno obducte in datur, qua operculo, Mauri capite



capite dicto, cooperta, stanno quoque obducto, optimeque lutatis commissuris, nec non Serpentine, transversim pertransientis dolium aqua frigida repletum, Instituenta erit distillatio igne moderato, continuanda quousque extracta sit quantitas duarum circiter partium aquæ vesicæ immixtæ; Demum vasis refrigeratis, factaque separatione, ac reposito in lagena vitrea, optime obturanda, Oleo odorato Aquæ distillatæ supernatante, seorsum adservata eadem Aqua; repetenda erit & instituenda iterum distillatio eius quod superest; quoad cætera procedendo sicut prima vice, donec omnino exstillatum fuerit id quod dolio continebatur: Eo pacto nancisci licet Oleum volatile limpidum, coloris flavi, odoris ad illud accedentis quod ex Rosis per distillationem educi solet, ac præterea odore parum discrepante ab eo quem spirat Aqua rosarum vulgaris.

Liquoris adhibendi pro distillatione hujus ligni necessaria quantitas non exigua, tantam divisionem & diffusionem partium illius acidarum & volatilium salinarum inducit, per distillationem sursum evertarum, ut illas, aquæ commixtas, neque sapore, neque odore distinguere ab invicem liceat, etsi revera adsint, minori tamen copia quam si lignum solum per Retortam distillatum fuisset: Id quod nequaquam observandum est, nisi parvi fiat elegantia & suaveolentia Olei & Aquæ ex hoc ligno eliciendæ methodo à me tradita.

Oleum ex ligno Rosarum eductum plus commendat odoris gratia quam facultates medicæ, etsi nonnulli id plurimi faciant ad affectus oris & faucium, nec non renum & vesicæ, cum in finem id commiscendo cum Saccharo purissimo in pulverem trito, idque propria aqua diluendo, usurpando tum ad gargarisandum in oris morbis, tum ad Potum, à duabus aut tribus ad decem aut duodecim guttas, ex uncii quinque aut sex propriæ aquæ: At verò potissimus & frequentissimus usus ad confectioem Balsamorum, Apoplecticorum dictorum, in quibus huic oleo cum moscho optime convenit, cum ambra grisea, ac quorumvis Aromatum grato odore, Oleorum aut Essentiarum quæ commisceri solent: Præstantissimum etiam ac maxime analogum est succedaneum veri Olei Rosarum stillatitii.

Eodem modo distillari possunt Ligna Sassafras, Aloës, Santala, & alia similia.



## CAPVT XXV.

*De Destillatione Ligni Guajaci.*

**I**N distillatione Ligni Guaiacini eadem processus esse potest ratio quæ in ligno Rhodio, si præsertim expetitur Oleum usibus internis idoneum: At cum frequenter ad vitia corporis exteriora usurperetur, atque in plurima commendatione sit Spiritus Acidus ex illo per Retortam eductus, illius præparationem hoc loco adducere æquum est

Inde Retortæ, luto incrustatæ libras sex Ligni Guaiaci scobina attriti, vel, si vis, crassius incisi, adeo tamen ut rostrum Retortæ admittere possit: Imponatur Fornaci Reverberij clausæ, cui capax Recipiens coaptandum & probe luto obducendum: In cinerario exiguus ignis accendatur, à quo solummodo paulatim incalescant fornax & Retorta, qui moderatissime per horam integram productus, demum transferatur in focum fornacis, in quo cum per æquale tempus moratus fuerit, paulatim erit intendendus, donec in Recipiens pars ligni aquea exstillare animadvertatur: Postmodum Tegminis Spiraculum tantillum aperiendum erit, qua parte collocatum est Recipiens, ignem producendo, imo nonnihil intendendo, quousque ex Retorta prodire videantur vapores albi, quasi nubeculæ, indicia partes acidas, salinas & oleaginas Guajaci exitum moliri, quo tempore amplius referandum Spiraculum Tegminis, intendendo iterum gradatim ignem, donec hic in flammam erumpat, tegminis spiraculum omnino aperiendo, ignemque magis ac magis intendendo, donec globus Retortæ pellucidus fiat, atque inde indicium ferri queat perfectam esse distillationem: Tum occluso Tegminis Spiraculo, cum ostiis Fornacis, sine ut refrigerant sensim cum Retorta, demum Recipiente luto liberato, in eo deprehendetur Spiritus Acidus, parte salina volatili Guaiaci turgens, & prægnans, commistus Oleo obscuro, crasso, odoris ingrati, cum plurimo phlegmate: Cuncta tunc immittantur in capax Infundibulum, charta emporetica madida investitutum, per quod Phlegma & Spiritus Acidus, Sale volatili prægnans, exitum habebunt exstillabuntque in lagenam, cujus collo inferendum infundibuli extremum, Oleo crasso chartæ adhærente, quod demum in aliam lagenam infundendum erit, terebrando extremum cuculli chartacei stylo ligneo aut ferreo, Oleum prædictum ad usus idoneos recondendo.

Curiositatis gratia igne patente comburi potest, ac in cineres deduci carbo Guaiaci, à distillatione in Retorta superstes, è quo more solito  
sate



fale educto, segreganda pars mēte terreſtris, vero nomine Capitis mortui donanda: Sed carbonum accendendorum requiſita quantitas utilitatem percipiendam excederet, etiamſi ejuſmodi Sal cathartico medicamentiſſime commiſceri queat, præfertim in morbis Venereis,

Licet & per Deſcenſum diſtillare lignum Guaiacinum & ſimilia, eaſdemque propemodum extrahere ſubſtantias ac per diſtillationem ad Latus, etſi minus puras, immittendo lignum inciſum in Cucurbitam argilaceam, quæ ignis vehementiæ obſiſtere valeat, ſuperponendo illi operculum ferreum, pluribus exiguis foraminibus pertuſum, in modum operculi pyxidis effictum, adeo ut præciſe amplectatur cucurbitæ oriſicium, quæ poſtea invertenda, adeo ut operculum illi ſubditum ſit, collocando ſupra fornacem eum in finem exſtructam, cujuſmodi deſcriptionem tradidi priore parte hujus Pharmacopœæ, Capite de Fornacibus: Nam poſt impoſitum infra Retortam Reciſiens idoneum, quod collum illius amplectatur, accurate obductas luto vaſorum commiſſuras, paulatim & per gradus excalefactum corpus Cucurbitæ, quouſq; ad ruborem incandefcat, poſtmodum in Reciſiente nanciſcitur Phlegma, Oleum, & Spiritum Sale volatili Guaiaci prægnantia, eademque copia qua in Retorta, quorum ſeparatio eodem modo quo præcedentium fieri poteſt.

Ex tribus prædictis methodis quævis in uſum venire poteſt ad Diſtillationem ligni Corylini, Avellanas proferentis, quod à quibuſdam Lignum Heraclæum vocatur, Buxi, Quercus, Fraxini, Cupreſſi, Cedri & aliorum lignorum.

Oleum Ligni Guaiaci multum commendatur per Veſicam diſtillatum, cum aquæ additamento (iuxta methodum à me traditam ubi de Ligno Roſarum) ad depurandam maſſam ſanguineam: quo fit ut, ex quorundam ſententia, producto illius ad plures hebdomadas uſu, à quatuor ad decem vel duodecim guttas, ex aquæ propriæ unciis tribus, quatuor, imo ſeptem vel octo exhibendo, virus venereum per ambitum corporis expellere valeat, ſi præfertim in vetuſtatem non abierit, citra Mercurij auxilium, cujuſ uſus aliquando ſuſpectus eſt: Ad Illitum quoque plurimum valere cenſetur pro ulcerum venereorum ori innaſcentium curatione: Exiſtimant nonnulli Tabellas, ex illo parandas, conferre ad pinguedinis generationem inhibendam, imo & ad obefos macrefaciendos, ſi protrahatur illarum uſus.

Olea Guaiaci per Retortam diſtillata, aut per Deſcenſum, ore non adſumuntur ob ingratum, imo foetidum ſaporem; Sed commodiſſime ad uſus externos, ac feliciffime, ad ulcerum omne genus uſurpatur, nomina-



tim Venereorum, vulnerum mundificationem, fungosarum carniū consumptionem, sicuti & ossium exsquamationem, imo & illorū cariem.

Spiritus Gaiaci vi diaphoretica pollet, ob partem Salinam volatilem in distillatione adquisitam: Exhibetur in morbis Venereis & Rheumatismis, à drachma ad semunciam, in cyatho grandiori aut minori ex decocto ejusdem ligni, aut quapiam aqua cardiaca, si vel per sudores, aut ἀδνηλον διαπνολω setum acre, affectuum illorum parens, expellendum fuerit: In usum etiamnum accersitur exsiccationis gratia Aphtharum, aut Vlcusculorum os infestantium vel gingivas, tum lue veneris inquinatorum, tum scorbuto: Idem Spiritus vi etiam Idiuretica valet, per vias urinæ excretioni dicatas expellens serum, quod ad ambitum corporis impelli non potuit.

Rectificari potest, si ita visum fuerit, Spiritus Gaiaci, sicuti & illius Oleum, igne Arenæ moderatissimo in cucurbita vitrea, cui capitellum imponatur, atque post secretam partem aqueam, saporis pene expertem, primo superne evectam, excipere ac seorsum recondere spirituosam acidam, aliquantisper salinam, postmodum erumpentem, si libet quoq; separandam & ab aliis secretam adservandam, uti seorsum Acidam, ad usus internos, Illam saccharo purissimo pulverisato excipiendo, ac liquore quopiam idoneo diluendo.

E re non est huc transferre Distillationem Corticis Ligni Gaiaci, quandoquidem non alia requiratur ratio quam in ligno, & totidem modis perfici queat, Etsi vero hic cortex majori efficacia opus peragat, minori que quantitate exhibitus quam lignum, eundem tamen in finem tendunt illorum vires, eademque debet esse usus ratio.

## CAPVT XXVI.

### *De Distillatione Fuliginis.*

**S**I quis ad solum colorem obscurum, ad saporis amarorem, odoremque Fuliginis ingratum attendat, illi proculdubio in contemptum veniet, imo & horrorem; At vero si idem intime singulas illius partes perpendere voluerit, accurate ab invicem illas divellere ac purgare, proculdubio insignes ille dotes animadversurus est, artificem peritum ad se pellicientes in illius examen, & verarum partium disquisitionem ex quibus revera conflata sunt Ligna; quorum ambustio Fuligini originem præbet: Ille inquam deprehensus est non solum quinque diversas illas substantias in cunctis Vegetalibus obvias, ac speciatim in Lignis, sed præterea indubia indicia inexistentis illis Salis Volatilis, ac fixatæ partis



partis ejusdem salis volatilis cum Oleo, per propriam illorum dispositionem nativam, sicuti id manifestum futurum est in Chymica Fuliginis Distillatione, quem jamjam adgressurus sum.

Eligatur Fuligo quam recentissima, nigerrima, maxime compacta, lucidissima, frustis maximis constans, Hac Retortæ argillaceæ luto obductæ impleantur duæ circiter partes, tertia vacet, Imponatur Furno Reverberij, cui suum tegmen fornicatum imponatur, obturatoque ejus spiraculo, accendatur in foco ignis carbonum primi gradus, occludendo demum ostia cinerarij & foci, eundem ignis tenorem toto bihorio fovendo, aut circiter, aut quousque liquor ex Retorta exstillans acidum spirare videatur, quo tempore capax excipulum Retortæ proboscidi coaptandum; Ejus commissuris accurate loricatis, paulatim & per gradus intendendus erit ignis, aërem admittendo per tegminis spiraculum & cinerarij ostium iuxta necessitatem: Tunc conspicui erunt Spiritus in Retorta nubium albicantium specie emergentes, in crassitiem paulatim abeuntes, quibuscum Sal volatile se adsociabit, atque manifestius quando Oleum promiscue proditurum erit; Per id temporis spatium tegminis ostium iteratis vicibus magis ac magis referandum erit, aucto per gradus igne, imo hunc ad extremum usque gradum intendendo, tegminis spiraculo omnino referato, ac Cinerarij ostio, eodem quoque ignis gradu servato, donec ex Retorta nihil amplius prodeat, ac Recipiens pellucidum evadat: Postmodum obserato spiraculo & Fornacis ostiis, Vasisque sponte refrigerium adeptis, Recipiens delutandum erit, in quo deprehendere erit Spiritum Acidum, Oleum, ac Phlegmatis partem simul commixta, Rectificationis indigentia.

Hæc ut probe succedat, cuncta matratio prolixiori collo donato indantur, Arenæ balneo id committatur, Alembicum imponatur accuratissime luto obductum, coapteturque illi exiguum excipulum probe loricandum; Demum infra Balneum accendatur ignis modicus, cujus vi Sal volatile sursum evehetur in Alembicum eandicente & crystallina forma, è quo eximendum erit ac recondendum in lagena densiori accuratissime occludenda; Illi succedaneum sit aliud Alembicum etiam loricandum, servatoque eodem ignis gradu, Spiritus una cum reliquo Sale volatili ab ipso dissoluto sublimis efferetur, comite parte purissima Olei & maxime volatili, crassissima cum Phlegmate inutili in matratiis fundo subsidente.

Fuliginis Sal volatile potentissimum est Diaphoreticum, plurimum accedens ad qualitates Salium volatilium ex Animalibus eliciendorum: Spiritus quoque vim Salibus volatilibus prope similem obtinet, & portione Salis in eo contenti.



Sal volatile exhibendum à quinque aut sex granis, ad quindecim, utraque ex liquoribus ad proportionem Drachmæ & Oleum à guttis duabus ad septem vel octo, Saccharo pulverisato exceptum ac in vino dilutum, eundem quo Sal volatile in finem.

Illitum Oleum præstantissimum censetur ad Impetiginum, Herpetis, aliorumque vitiorum cutaneorum curationem.

Id quod in Retorta à distillatione superstes est flammis devovendum, mediis usitatis, Salis fixi extrahendi gratia, à plurimis commendatissimi ad cancerorum ulceratorum curationem, cujus hæc fit usus ratio.

Sal dictum paucò aceto madefactum, in liquorem abeat, cellæ vinarie commissum, semel aut bis illinatur Cancer, ad venenum eliciendum, fumi specie prodiens; demum absolvenda curatio cum oleo stillatitio, cujus ope crustula innascitur Cancro, sponte quinto aut sexto post die decidua, sanationis futuræ non leve indicium.

## CAPVT XXVII.

*De Distillatione Fructuum, Et primo, Cucurbitarum, Cucumerum  
& Melonum.*

**E**Tiamsi Fructus in sui compositione eadem admittant principia quæ in cunctis cæteris Plantarum partibus conspicua sunt, discrimen tamen quoad qualitates, coagmentationem & proportionem variarum illorum substantiarum, æque fere varium est ac ipsarummet Plantarum ipsos producentium, quo fit ut vix constitui queant regulæ adeo statæ ut omnium illorum fructuum distillationi ad commodari queant: Arbores, Frutices, Suffrutices, imo quædam Plantæ Fructus emittunt: At vero, etiamsi Arbores magnitudine quævis vegetabilia superent, majori numero fructus producant, magis concoctos, ac perfectiores, apud Europæos tamen non eam attingant magnitudinem ad quam perveniunt fructus quarundam herbarum quotannis interitui obnoxiarum: hujus generis, inter cæteros, sunt Cucurbitæ tum rotundæ tum longæ, quarum prodigiosa magnitudo, mollities, exiguum durationis tempus, debilitas & mador plantarum illis ortum præbentium, apertum facit præcipuam & maximam compositionis illorum partem à phlegmate male cõcocto pendere, paucissimum vero inesse Spiritum & Sal volatile: Oleum vero verisimiliter nullum, præterquam in illorum semine cum ad perfectam maturitatem deductum est: Adeo ut cum ex mixto quo-

piam



piam non nisi ea quæ illo continentur extorquenda sint, ex ejusmodi fructibus, distillationis beneficio præter aquam quandam limpida nihil amplius expectandum erit, Spiritum paucissimum obtinentem & Sal volatile, ac quantum ad illius conservationem satis est: Eapropter illorum conquassatio sola sufficit, qui postea Cucurbitæ vitreæ immissi, aut fistili interius vitreatæ, imposito tegmine, aut Alembico, distillandi Maris Balneo, aut Cinerum, igne moderatissimo, sicuti de distillatione Herbarum refrigerantium superius à me præceptum.

Cucumerum eadem potest esse ratio, imo & Melonum: In his vero posterioribus cum odor partium volatilium præsentium indicium præbeat, quo Cucurbitæ & Cucumeres destituuntur, illis levis fermentatio accedat opus est, cujus ope pars volatilis spirituosa & inflammabilis à vinculis expediatur: Neque tamen non Aqua limpida postea consequutura est, vi refrigerante illi quam effundunt Cucurbitæ & Cucumeres proxima.

Res ut succedat, pars illorum edulis rite contundenda est, indatur Cucurbitæ vitreæ adeo ut pars hujus tertia vacua sit, imponatur huic Alembicum cœcum, probe loriatum, permittatur digestio in arena, supra Pistoris furnum, per biduum aut triduum integrum: Cucurbitæ adaptetur Alembicum vitreum, detracto priori tegmine, coaptatoque illi exiguo Recipiente probe loriatum, instituaturn distillatio Balneo Mariæ, vel cinerum, igne admodum temperato; separatione facta Spiritus odorati, volatilis & inflammabilis, primo exsurgens, seorsim ad servata Aqua succedanea, quousque in Cucurbita solum superstes sit pars circiter tertia rerum distillationi subjectarum.

Aquæ distillatæ Cucurbitæ & Cucumerum, Spiritus autem inflammabilis & Aqua melonum inserviunt præsertim decorationi vultus mulierum, ac cutis nitore, vix vero in alios usus veniunt. Etiam si non inutiliter exhiberi queant in febribus continuis & intermittentibus, à bile oriundis, sedandi æstus gratia & somni accersendi, interius si adsumantur, vel fronti aut temporibus si admoveantur.

## CAPVT XXVIII.

*De Distillatione Malorum Citriorum.*

**U**Tilitas quæ ex variis partibus malum Citrium componentibus exsurgit, ad illorum simul & semel faciendam distillationem nonnunquam impellit, aliquando ut illæ solum huic subjiciantur quæ scopo consentaneæ sunt: Odor suavis, sapor vellicans & gratus



ram extimi corticis, quam partis acidæ Citrij, clara indicia sunt diversæ qualitatis partium purarum quas intra se continet, manifestumque faciunt non ægre à se invicem hæc posse divelli, imo mediis usitatis adhibitis successum optatum sperandum esse.

Poma Citria, incisa aut contrita, indi possunt Cucurbitæ vitreæ, ad medietatem implendæ, huic accommodanda & loricanda capitellum & Recipiens, maceranda Citria per viginti quatuor horas, postmodum Mariæ Balneo distillanda, cinerum aut arenæ, igne moderatissimo.

Citria integra optime contrita aliquando in distillationem veniunt; commixta columbis, panis albis medullæ, seminibus frigidis & papaveris contusis, boraci, alumini, lacti aliisque liquoribus idoneis, ad eliciendam aquam spirituofam, utilem tum ad erugandam cutim, illique nitorem ac lavorem conciliandum, tum simul ad alborem conciliandum.

Solus Citrij usus in distillationem venire non solet, satis enim ut plurimum est illum accurate depurare, si in usum venire debeat ad dissolvendas margaritas, corallia, aliasve gemmas; vel si ex illo sit parandus Syrupus, Tabellæ, aliave quæpiam Galenica compositio: Liceret tamen, si cui ita visum fuerit, partem maxime aqueam Mariæ Balneo, aut Vaporis, separare ope Cucurbitæ vitreæ, alembico suo instructæ, restibili in fundo Cucurbitæ succo concentrato, usitato acidiori.

Corticem quod attinet, citra alium adparatum in usum venire potest, optime incisus: vel adsumi solus cortex extimus flavus, cultello eximendus: Vtrum volueris, postquam Cucurbitæ vitreæ immiseris, & aquam pluviam distillatam affuderis, adeo ut tribus aut quatuor digitis cortici supernatet, cooperiatur Cucurbita imposito Alembico cæco, cujus postquam loricatæ fuerint commissuræ; cunctaque macerata fuerint per octo vel decem dies, supra Pistoris furnum imposito luto obducto Cucurbitæ capitello vitreo, priori vase detracto, accommodatoque parvo excipulo, suscipiatur Distillatio Balneo Cinerum, aut Arenæ, igne moderatissimo; Proditura est Aqua cui tantillum Olei supernaturum est, sapore acerrimo & penetrandi eximia vi præditi.

Oleum Citri à guttis duabus ad septem vel octo exhiberi solet, excipiendum guttis aliquot sacchari purissimi pulverati, subsequente dissolutione in unciis quinque aut sex propriæ illius Aquæ: Mistura hæc procul à cibo exhiberi solet, in morbis petilentialibus aut epidemicis, ac quibuscunque in casibus utilis est sudorum eruptio, aut feri maligni ad ambitum corporis protrusio, ac insensibilis illius expulsio: Commodissime etiam dari solet in Ventriculi frigidis affectibus: Paratur quoque  
Balsa-



Balsamus, admixto oleo Nucistæ per expressionem elicito, utilis tum adversus aëris inquinamenta, tum ad odoris gratiam: Plurimum etiamnum à nonnullis commendatur hoc Oleum, tum Linimenti forma, tum interius adsumptum, adversus Viperarum ac quorumvis Serpentum morsus: Cui rei non inutile censeo, quandoquidem partes præcipuas recreare ac corroborare valet per os adsumptum; ac præterea, adjuvante propria illius aqua, inquinatos spiritus ad peripheriam corporis impellere idoneum est, massam sanguineam alias infecturos, aditum illis præbentibus foraminibus, à virulentorum illorum animalium dentibus inflictis.

Malorum Aurantiorum, ac illorum partium, distillatio non alia ratione suscipienda quam Citriorum.

Porro satis admirari nequeo institutum cujusdam Doctoris Germani, cui nomen *Fridericus Hofmannus*, Is libro à se edito anno ultimo 3675. Halæ Saxonum, titulo *Clavis Pharmaceutica Schroderiana*, litteram intentavit iniquam universæ nationi Gallorum, ac mihi nominatim, nulla impellente occasione, nulla injuria, nullo fundamento Innixus, sed solum falsis testimoniis, Nominatus Doctor (cujus liber quicquid solidum & eruditum continet ex scriptis Doctoris *Johannis Michaelis* expromptum est) de Citrio verba facturus, rerum inopia, postquam adduxit historiam ab *Athenæo* memoratam, de viro quodam qui, accepto à muliere pomo Citrio, eoque comesto, liber evasit ab inflictis Aspidum moribus, quibus expositus fuerat, scribit pag. 444. 445. & 446. his vocibus usus.

*Hujus historię veritatem confirmat studiosus Medicina Parisiis Gallorum, aliquot retro annis à viperæ morsu lethaliter fere decumbens, & salutifero pomorum Citriorum usu restitutus, Medicina scilicet studiosus dictis Parisiis in frequentia quorundam medicorum de natura, viribus ac veneno viperarum discrepantium, in edibus Pharmacopole cujusdam, ubi haud exigua Viperarum quantitas ex finitimis locis apportata, discendi & curiosi ingenii gratia præsens fuerat, de præsentia materia ultro citroque cum reliquis verba miscens arripit manu, quod antea sæpius illæsus fuerit, Viperam tabulæ impostam, & ipso inscio à Pharmacopoeo Gallo rudè inter forcipem compressam, & hinc ira succensam, hæc dum ille sermonis intentus reflexo capite dente suo canino dextra vulnusculum vix acus magnitudinem æquans instigit, quo animadverso illam projicit, vulnere tamen spreto; Ast vix horæ quadrantis spatium intercesserat, quin dira subsequuta symptomata, syncope, convulsio, continui vomitus, alvū deiectiones cum torminibus & ilei passionibus, cum extremorum refrigeratione, brachium croceo infectum colore intumescebat, facies cadaverosa, labia livida ac tumida oculis desidentibus, pollex tum minime intumescebat nisi sub*



fine, nec ex vulnere influcto ne guttula sanguinis aut ullius humoris extillarit. Improvisus & tragicus hic casus in multas & diversas presentium medicorum consilia diripuit partes, hic ad Theriacam, alter ad Orvietanum, tertius ad cauterium potentiale, sed nimis tarde confugerunt; Tandem miser hic juvenis decumbens, vivacissimus licet, distortus doloribus, Sal Viperarum volutile cum Aqua Theriacali exigebat, inani vera quasi effectus; continuato enim vomitu haustum reiciebat, nec Clysteres ullam attulerunt levationem, tota namque Natura & œconomia haud leviter turbata. Forte autem fortuna accidit & Nobilis quidam exterius, qui commiseratione agri tactus decumbenti pomum citrium exhiberet, quod vix adoratu, non dicam gustu, acide scilicet succo delibatum, incredibile est quam subitanam & presentissimam tulerit opem, omnia momento cessabant symptomata, & non aliter fuerat quam si Iupiter ipse opitulatricem porrexisset manum, Galli vero, pro innata illorum levitate, illud minime observabant: Patiens licet ex virium imminutione antegressa haud parum debilis, muscum tamen suum repetit, & sumpto Electuario quodam ex confectioe Alkermes & de Hyacintho, intermediato pomorum Citriorum usu, non solum illa nocte placide dormivit, sed & brevi iterum ex voto convaleuit.

Ex hac observatione notatu dignissima plurima Natura phenomena, adhuc non ita aperta dilucidanda veniunt: Facile exinde est videre cuius Natura sit venenum Viperarum, quomodo à Vipera in hominem traducatur, equi in massam sanguineam seu Archæum nostrum agat, quales actiones Archæi in morbis curandis & sanandis, quomodo medicamenta huius beneficio operationes suas peragam, & in specie, qua ratione Citriorum acidus succus in venenum à Vipera illatum operetur, illud mortificando & figendo.

Pharmacopœus Gallus, in cuius adibus hac tragoedia incepit, tractatum sub proprio nomine Charus (at alieno sane Marte) edidit titulo, Les Experiences des Viperes, A Paris, in octavo, ubi ait venenum illud agere in massam sanguineam eam figendo & circulationem impediendo, & in sequentibus, venenum, seu acidum aliquod, figere sanguinem &c. Verum hoc si hac ratione eveniret, quomodo succus ille citreus levamen aliquod afferre posset, de quo ille statuit gaudere virtute fixativa, sic enim venenum illud redderetur fixius, & circulatione magis magisque impedita mors tandem acceleraretur, Statuimus itaque perniciem illam dependere ex Viperarum salivari humore in dentium vesiculis contento extra notabilem quantitatem, prout modernorum Italicorum curiosorum experientia patefecit, qualis D. Redisi Archiatri Florentini, qui in quovis liquore haustus innoxius est, sin vero imago iræ, seu idea furiosa bestie illius superveniat, vulnere à dentibus longioribus tricuspiibus in corporis peripheria influcto, qua in dicto; liquore seu vehiculo sigillata, seu ex vipera viva, seu ex mortua fuerit, Archeus, dum exoticum illum hospitem expellere nititur, agitur in furorem, eoque nisu sub veneni tyrannide omnes functiones inturbat,



*bat, dum totam spirituum & liquorum vitalium substantiam sibi assimilando evertit, usque dum ex potestate dotali remedium ex cuius numero in hac morborum ac symptomatum syndrome etiam fuit succus ille citri superveniat, supereminentem, & non vulgarem obtinens bonitatem, qua irati ac succensi Archeæ errores sopiuntur ac corriguntur.*

Hic adscripsissem historiam emissam libro à me edito, de *Novis experimentis circa viperam*, ratione morsus à vipera inflictæ in ædibus meis, digito Nobilis Germani, non item medicinæ studiosi, sicuti statuit novitius noster Author; sed in nimiam molem assurgere nolui hunc librum, illatis duodecim paginis, typis editis, historiam dictam continentibus; ratus præterea satis esse sincere attulisse, ubi se occasio obtulerit, à me hac de re maxime ad rem facientia conscripta, quæ affirmare ausim omnino adversari illis quæ ab illo adducuntur ac falso supponuntur, mihi & rei gestæ plane dissentanea.

Nequaquam hæsitator illico pono Citrio adscribit curationem morsus viperini; etsi contrarium omnino adstruendum videatur, tum ob rei gestæ veritatem, tum ob rationes à me adducendas: Me postmodum in scenam adducit, dicens Medicinæ candidatum (quem introducit) ad fuisse in ædibus cujusdam Pharmacopœi, in quas plures Medici convenerant, disceptatuti de natura & potentia veneni Viperini: Id equidem non latet me præfato à Doctore nimium abesse ut illi potuerim innotescere, etsi gloriari liceat me non ignotum esse pluribus & ordine & Doctrina intra & extra Regnum Illustribus.

Me postmodum utcunque reum morsus inflictæ statuit, asserens studiosum illum manu in mensa arripuisse viperam, illo inscio laceffitam & in iram incitatam, quasi vero animo malefico vulneris author fuerim: Cum ex narratione à me tradita aperte constet quanto studio illum dehortatus fuerim ne manu apprehenderet Viperam, periculum imminens illi objiciens; cum præterea rei prout revera gesta est testificationem exhibere in promptu sit, & quam acriter ut à proposito absterret monuerim: quamobrem adstitibus manifestum fuit periclitari illum voluisse, ac palam ostendere sibi non magis metuendas Viperas Gallicas quam serpentes Germanicos.

Pergens in oratione Author, & enarrans quæ postmodum subsequuta sunt, circumstantiam notatu dignam reticet, videlicet nihil succi flavescens in vulnere à dente inflictæ se exhibuisse: Revera abfuisse necesse est, quod vipera unicum ictum parti inflixerit, proculdubio enim manifestus fuisset si vipera iterato morsu digitum impetivisset: Astute sane intulit absentiam succi illius flavi, quandoquidem alio loco veneni viperini sedem illud constituit, qui autem ab ejus stant partibus, sen-



tenacæ tenaces non sunt, quod perspectum illis symptomata omnia illata esse absque emisso succo flavo.

Neque satis illi fuit non meminisse succi flavi, qui tamen usui fuisset veneni sedes destruendæ, quem in eo latere ac illius sedem esse arbitratus est: pluribus enim rationibus impugnare conatus est ac impotentia arguere, quasi nullarum virium, sal viperinum, etiamsi revera, & citra controversiam Nobilem vendicavit non solum à prioribus symptomatis illum invadentibus, sed etiam à posterioribus: De prioribus enim verba faciens, cum animus illi esset soli malo citrio fanationis gloriam adscribere, multiplicem illorum inducit numerum, superaddita intumescione & colore flavo, quæ, veritate contrariante, brachio affecto supervenisse ait; sui enim immemor postmodum ait pollicem non intumuisse, at demum sub declinationem.

Dehinc ad Medicorum sententias confusus devolutus, ob cuncta funesta symptomata Nobilem ad orientiam consilij inopes, inter nonnulla auxilia ab illo prolata cauterii potentialis (*actualis*) meminit, cum in narratione à me exhibita mentio solum fiat spatulæ ferreæ, iterum atque iterum excalectæ, iteratis vicibus parti demorsæ admotæ ut pori hiarent, eoquo pacto veneni per illos exspiratio juvaretur, inurendæ partis gratia non adplicatæ, cum partem non attingeret; ut non satis admirari queam viro, Doctoris titulo tumido, talia in mentem venisse, ac res in alienum sensum detorsisse.

Retexit orationem artificij plenam, asserens ægrum postulasse Sal viperinum ex aqua theriacali adsumendum, at hoc remedium, sicuti & alia, incassum fuisse exhibita: Sed revera exhibita fuit pulveris viperini drachma una, ex aquis theriacali & cardui benedicti; quæ cum vomitu exclusa fuissent, sicuti & cuncta alia usurpata remedia, in medium coram cœtu à me propositus est Salis viperini ex aqua cardui benedicti usus, ea spe freto à tantilla in ventriculo mora, ob hujus calorem maximam hujus salis partem ad maxime distans corporis partes diffusum iri, eam præsertim per quam venenum iam sibi aditum in corpus fecerat, ac singulas trajiciendo optatum productum iri effectum: Id præterea addo, etiamsi prædictus Nobilis non diu post hoc Sal vomitu excluderet, singulo tamen quoque horæ quadrante exhibitum fuisse, ac sequuta symptomatum dilucida imminutione, maxime formidanda ab octava dozi remisisse, quam continuit ventriculus; ac demum à tranquillitate hac conciliata Nobilem ex meis ædibus in proprias delatum fuisse.

Interim Doctor noster, contemptim habens Sal viperarum volatile, uti & alia remedia in medium adducta, exterum Nobilem pone aulae latentem in scenam adducit, qui erga ægrum misericors illi pomum  
citrium



citrium porrexit, à quo vix dum naribus admoto, vix primoribus labris delibato, efficacia succi acidi mirum auxilium perceptum fuisse asserit, omnia symptomata eodem ipso momento mitigata, ac *si Iupiter*, inquit, *ipse auxiliatricem porrexisset manum*: Projectæ hæc verborum ampullæ forsan illis imponere possent quibus ignotus meus liber, aut ipsa vis salis volatilil viperini, neque norunt quousque se porrigat virtus mali citrii: iis quippe multo minus perspecta futura est vis Salis volatilil Viperini.

At vero ubi constiterit ( id quippe certo certius, ac prodeant in testimonium plurimis probatissime fidei viri ) folius Salis volatilil viperini ope sedata fuisse priora symptomata; neque digitum ullamve corporis partem intumuisse quamdiu in edibus meis versatus fuit Nobilis, atque Sal dictum in usum duxit, Malum autem citrium tantummodo exhibitum fuisse in propriis illius ædibus, tanquam medicamentum in alimento, ceteris remediis permixtum: nihilominus tamen superstites fuisse circa umbilicum dolores, oculos collabentium virium indicia dedisse, vultum pallore fœdatum fuisse, successisse labiorum intumesceniam; Illam vero quæ digito accidit, ab usu demum pomi citrii manifestam fuisse, nec ab hoc prohiberi potuisse, quia tumor ad manum usque diffunderetur, ab hac in brachium, ab isto in humerum, exinde in iecoris regionem, imo vitium ad cor ipsum properasse, incrementa capiens ad initium usque diei quartæ, adeo ut gangrænæ imminens esset metus; Si tandem id concessum fuerit à solo Sale volatili Viperino semidrachmæ pondo ex aqua cardui benedicti exhibito, spatio trium vel quatuor dierum, manifeste & omnino cuncta pesteriora symptomata excitatis sudoribus evanuisse, proculdubio non injuria in Doctorem hunc invehi mihi licuerit, qui suppositia hæc temere intulit, à vero sponte aut erronee declinans in re adeo manifesta.

Nec immerito illi insultare cuivis licuerit, ubi nota fuerit historia verissima adolescentis, cujus Vipera digitum momordit in Elaboratio Chymico Horti Regij plantarum anno 1671. dum experimenta mea publice proferrem, manifestum facturus, adversus sententiam Domini Redi, à solis spiritibus Viperæ irritatis, morsus venenum deducendum esse: succum autem flavum, e gingivis manantem in partes non accersendū quippe qui nihil aliud sit quam Saliva, non modo plane innoxia, sed præterea nullo unquam tempore prævum aliquem effectum editura: Cujus rei, una cum historiæ enarratione, in Appendice meorum experimentorum circa viperam, à me non diu post conscripta, biennio scilicet ab emissio libro meo Experimentorum novorum, in medium profero rationes, nulla argumentorum vi convellendas; quo in loco ostendo me



nedum usum fuisse succo Citri ad figendum Viperae venenum, id quod inepte sentit praedictus Doctor, quin tantum usurpata fuisse Caput, Collum, Cor, & Iecur Viperae, prunis imposita & leviter cocta, quae illico devoranda praebui Iuveni à Vipera isto, super assumendam jubens dozin Salis volatilis viperini: quam cum sub vesperam reiterandam voluisssem, noctem subsequenter tranquillam & quietam illi fuisse, ne unum è prioribus aut posterioribus symptomatis ex iis quae passus est Nobilis Germanus, supervenisse, sed postridie in Ergasterium, in quo à vipera impetitus fuerat, rediisse, ab omnibus incolumem observatum, operi solito invigilantem ac si nihil sinistri accidisset.

Inde colligendum videtur Viperae venenum plane spirituosum esse, ideoque fixationis incapax, atque adeo sola salia volatilia, aut substantias illis abunde refertas, posse spiritibus commotis & excandescentibus obviam ire, ac substantiae quadam similitudine iis se conjungendo, eosdem abducere, ac per cutis poros secum abstrahere, vna cum sudoribus quos excitant, aut insensibili transpiratione, quam adjuvant.

Imposturae nihilominus suae speciem probitatis inducere potuisset Doctor, ac rationi magis consentaneam illam exhibere, si sanationem morsus à Vipera inflicti non succo citrij acido adscripsisset, sed potius Oleo, spiritui & Sali volatili quo pollet cortex ejusdem fructus: Etsi enim viribus Sali volatili Viperino multo inferiora sint, eundem tamen prope in finem tendant; Neque apud me dubium quin roboratis corde & cerebro quodammodo obsistere valeant cacoethiae veneni per morsum communicati, etsi omnino illi superando imparia sint.

Sed si adeo diligens adhibita cura à Gallis ad restitutionem in integrum Nobilis Germani; si successus adeo felix illorum regimini adfuit, quis non miretur Doctorem Germanum, quem pungere perpetuo debet conscientiae stimulus, quod tot & tanta veritati adversa protulerit, tandem inepte effutuisse, *Galli pro innata illorum levitate illud minime observabant?* Caeteris tamen Nationibus Gallorum vigilantia admirationi est, sicuti & ingenij acumen discendi facilitas & ad res percipiendas animi celeritas, ad scientiarum & Artium fastigium consequendum: Ingenij illorum robur & soliditas, laboris tolerantia, in rebus omnibus sagacitas & industria, ad res suscipiendas innata alacritas, promptitudo in executione rerum susceptarum; Illorum candor & ingenuus animus, propensio denique nativa qua fovent Exteros quosvis, omni officiorum & obsequiorum genere devincire sibi studentes.

Neque satis fuit Doctori Gallorum nationem in genere impetere, tela etiamnum in me torquere voluit, ac alteri Opus, à me solo emissum, adscribere conatus est: ratus meo expresso nomine, ac adultera-



to titulo Libri mei, Novorum Experimentorum circa Viperam, atque addendo, ( *at alieno sane Marte* ) ereptum mihi iri ius editi à me Libri, laborum meorum veri partus, mearumque observationum: Imitatus Dominum Redi, qui censuit viros quosdam Nobiles & præstantes, quos edibus meis exceperam, mei libri authores esse.

Præterea, non sufficit illis jus meum invadere, in meo libro quæ non adsunt comminiscitur, in alienam me pertrahere fatagens sententiam, quasi venenum Vipereum, quod spirituosum omnino esse statuo, Acidum posuerim, aperte ab illis dissentiens qui illam tuentur opinionem, sicuti id ipsum conspicuum est libro meo Novorum Experimentorum circa Viperam, pagina 97. in quo hæc verba reperiuntur.

*Ceterum nonnullorum opinio fuit spiritus hos lacefitos, arcano quodam acido pollere, vi sanguinem coagulandi prædito, ac illius circulationem inhibendi; At vero cum ejusmodi Acidum in ipsa sanguinea massa generationem obtinere potuerit, ab illius partibus ad discordiam & dissolutionem vergentibus, cum veneno infectæ fuerunt, ac corruptio illas invadit, sicuti in lacte contingit, quod sponte acescit & corruptionem subit, nullo etsi admixto acido; neutiquam necesse est in Spiritibus Vipera Acidum coagulandi vi præditum supponere, cum gustu explorari nequeat acidi sint illi necne; vel eo potissimum nomine quod ejusmodi Acidum sponte innasci potest sanguini animalis morsu impetiti, adeo ut in Vipera id disquirendum non sit quasi illinc ortum traxerit.*

Neque enim, sicuti Idem obtendit, scripto tradidi præcipuum illius veneni effectum à figendi vi pendere, Dixi enim pagina 96. *Spiritus Vipera concitatos occurrentes sanguini & spiritibus in sanguine animalis commorssi contentis, ipsos impellere & incitare ut viam inveniant, atque intrinsecus particulas sanguinem componentes ipsis concretimis quandam speciem inducere, aut confusionem potius, a qua solita circulatio inhibetur, eoque pacto liber spirituum commeatus ac influxus in partes principes intercipitur, ipsis subsistentiam & vitam largientibus qua irradiatione impedita hæ oneri succumbere coguntur, vel quod carum basis concussa fuerit ab eiusmodi ira percitis spiritibus, atque horum presenti inquinata sint, vel potius quia hi Spiritus Viperini occuparunt commeatus vias atque obstruxerunt, per quas iter sanguini & spiritibus ad eas antea patebat.*

His addo, coagulationem nonnunquam succedentem, ( neque enim semper ) in quapiam commorssi animalis parte, confusionem partium potius sequi à spiritibus inductam, atque impedimentum ab ipsis solitæ circulationi inductum, ac proinde secessionem aut dimissionem partium crassiorum à tenuioribus, cursum solitum peragere tentantium, à concitatis spiritibus interruptum, quam à quopiam Acido deducendam, cum sanguis animalis commorssi consistentiam suam exuat, & colorem quoad totam



substantiam, ac raro coagulatio illi omnimodo accidat, sed solum quoad aliquam particulam; verisimilius adscribendum fit corruptioni contingenti ob motum solitum interceptum, quam cuiusvis Acido coagulandi vim nactus, à spiritibus viperæ concitatis deducendo, aut corpore animalis morfu afflicti.

Quo vero amplius elucescat quam erronea sit hujus Doctoris sententia, qui nequaquam definita natura aut indole veneni viperini, neque indicata agendi illius ratione, vel quas præsertim corporis adoriatur partes; in illas suos effectus deprompturum, hoc solum posito prædictam historiam in plurimorum naturæ phænomenon considerationem lectorem adducere, ulterius non pervadens, statuit succum acidum pomi citrij figendi hoc venenum vi pollere: Cum enim in aperto sit hoc omnino spirituosum esse, oculis impervium, attractum plane subterfugiens, ex his omnino colligendum est, nulla alia ratione hoc cohibendum quam ope substantiarum spiritibus prægnantium, atque illius indoli magis adfinium, quam per acidum Citrij succum, cujus actiones tardæ admodum sunt, & partes crassiores quam ut debita celeritate ad loca à ventriculo distita deferri queant, præsertim ad corporis ambitum per quod venenum introitum nactus est; Necesse, inquam, esset Venenum Viperinum ex substantia constare salina, fixa vel volatili, sed præterea sensibus id obvium esse, imo tactui, non secus ac Salia arte à nobis quotidie præparata, ut figi queat ac coerceri à succo citri acido, nec id quoque ab ipso non expectandum, nisi occursum fieret certo in loco murus: Etsi enim in acidis eximia occurrat dispositio, per quam intime conjungi valent Salibus fixis & volatilibus, id nequaquam tamen futurum si vel minima inter illos & Salia interfuerit distantia.

Cum porro introitus concitatis Spiritibus factus ut plurimum à centro admodum distet, Archæus vero ad partes distitas succum Citrii mali transmittere nequeat, eo in statu quem obtinet cum in ventriculum delapsus est, quandoquidem concoctionem ut illic subeat necesse est, in chylum transmutetur, ex chylo in sanguinem abeat antequam commeet ad partes. Spiritibus dictis interea spatium temporis sufficiens concedatur ad ulteriorem progressum, & rabiem exercendam antequam stomachum attigerint, qui locus est ad quem pertingere valet Succus Citri ore adsumptus; portio autem Spirituum illorum quæ illuc pertingere potest pene exoleta sit, etsi substantia donaretur Salina, fixa aut volatili, commisceri succo acido citri idonea, Admodum verisimile mihi videtur viri istius sententiam à Viris iudicio pollentibus tanquam absurdam acceptam iri, ac neminem non mirandum esse virum, qui insignis Doctoris titulum ambit, turgetque gloria quasi Germania similem non ediderit, dis-



cernendi facultate ipsummet caruisse, nullaque animadversione solida facta naturæ spirituum, uti neque Acidi, quod perperam huc adducit, adeo ridicula invexisse, adeo rationibus destituta, à vero ac vero simili adeo aliena.

Neque minor admirationi locus quod cum D. Domino Redi statuat Venenum Viperinum sedem obtinere in succo gingivarum flavo; ac confusione inducta opinionum, nullo discrimine facto (quippe qui à me diffentiat hac in re) velit imaginationem iræ, aut ideam furiosam Viperæ inductam quo temporis momento dentes alicui infigit (quos perperam tricuspides esse asserit) eandem iræ phantasiâ succo flavo includi, ac perniciosos effectus producere non minus mortua quam vivente vipera; Supponit etiamnum Archéum, ab extranei hujus hospitis præsentia in furorem agi, functiones omnes perturbate agere, ac sibi similem reddere universam Spirituum & liquorum vitalium substantiam, quousque ictus ad succum citri confugerit, cui certissimas assignat vires coercendi & reprimendi tumultus & errores Archei, ira accensi, nulla allata ulteriori explicatione vel veneni Viperini indolis, nec à lius efficaciam, uti neque qualitatum succi mali Citrii; vel allatis ullis rationibus ob quas prædictus succus, ipso authore, effectus supra vires & spheram activitatis exferat.

Hujus Doctoris animus occupatus opinionibus Domini Redi quoad Viperæ succum flavum; ac concepta idea obscura de veneno hujus animalis, quod assignavi spiritibus concitatis, illum impulit ad ineptum ferculum ex utraq; sententia parandum: Illud quoq; animadverto ipsum labori parcendum duxisse, ac pro more antiquorum asserere maluisse succum Citri Venenum Vipereum qualitate abdita figere, aut potestativa, juxta eundem, quam aliquomodo periclitari, experimentisve rem comprobare, aut in examen adducere partes illius succi, uti & succi flavi Viperini, quem veneni illius sedem constituit; Aut venari notitiam indolis spirituum ira percitorum, utraq; opiniones improvide conjungens ad veneni complementum statuendum. Id enim illi perpendendum occurrebat, in succo citri vim equidem corrodingi, imo dissolvendi corpora solida, quæ pervadere valet, inesse, ac speciatim plurimas gemmas: uti & salibus, fixis & volatilibus, se conjungendi, quæ pertingere valet; inutiles vero omnino illius esse vires si vel minima inter utraque adsit distantia: Illud in considerationem adducere debuit succi flavi saporem insipidum, illius visciditatem, crassitiem, lentorem nulla indicia latentis in illo Salis fixi aut volatilis secreti præbere: aut aptitudinem inesse qua per tam angustos meatus, cujusmodi dens viperinus imprimit, se inferre corpori valeat, nedum tanta celeritate penetrare ac ad-



maxime corporis isti loca deferri: Ratum quoque apud illum esse debuit, penetrabilem illam vim, ac rapidam celeritatem spiritibus solis legitime adscribendam: Solis spiritibus furore percitis, quos memoravi adsignandum venenum, & causam lethalium quorumvis symptomatum, morsum viperæ consequentium: Omnino excludendum succum flavum, qui non alia ratione in considerationem venire debeat quam tanquam saliva omnino innocua, id quod non semel à me demonstratum coram plurimis testibus: Absurdum vero omnino esse si quis statuatur spiritus irritatos posse concentrari, ac coherere succo flavo extincta viperæ, vel perniciosum aliquem effectum edere, præterea judicare debuit, etiamsi in succo flavo Sal fixum aut volatilem redundaret, imo merum is sal foret, impossibile esse ut succus citri ore adsumptus (cum debita celeritate ad Venenum accedere nequeat, sed retusis tantum viribus, sicuti id manifestissimum est) in illud vires suas deprimere possit, atque eundem figere; Ac satius multo illi futurum fuisse cum Pythagoræ discipulis obticescere, quam impugnare, & adulterare, cujus criminis est reus, asserta mea verissima libro meo de novis circa Viperam experimentis edita, vel materiam scriptis adgredi, manibus ipsius ignotam, notitiamque omnino subterfugientem.

Cæterum inclytam nationem Germanicam nimio opere veneror, speciatim plurimos studiosos & eruditos quorum fœcunda est Germania, qui universum medicorum chorum sibi devinxerunt, sexcentis editis elegantissimis operibus, quotidie prodeuntibus, quam ut mihi in mentem veniat novitii hujus Doctoris mores imitari, cum me inique adgressus Nationi quoque Gallicæ simul insultavit: Spero autem ne unum in universa Germania Doctorem, nisi mente occupatus fuerit repertum iri, cui non institutum illius improbetur, qui prioribus meis scriptis ac posterioribus de Viperæ, cum illis quæ temere effutiit collatis, quod illi obloqui ausus fuerim mihi succenseat, ac non concedat rem aliter transigi non potuisse; Illud quoque apud me ratum, non exiguum Doctorum in Germania numerum, quibus privatim mihi innotescere concessum fuit, eaque propter glorior, uti & in nonnullis aliis regionibus, non illubenter ex animo opinionem quorundam excussuros qui penna aliena usum me esse, aut indignisse, rati sint, ad emissionem opusculorum quorundam à me editorum, aut in posterum edendorum: Ex scriptis etiamnum meis illud manifestum erit, si cum inique laceffar vim vi repellam, mei genii id non esse ut quenquam vellicem aut calumniis incesfam, vel famam ex alienæ ruina mihi comparare studeam.



## CAPVT XXVIII.

*De Distillatine Fructuum Rubi Idæi & Fragorum.*

**F**Ragorum distillatio, & mororum rubi Idæi simplicissima est inter eas quæ circa fructus instituuntur; Si enim Spiritum inflammabilem ex illis elicere animus non sit, sufficit statim ac collecti sunt illi fructus conquassare, ac Cucurbitæ vitreæ, cui Alembicus superponatur immittere, hunc amylo incrustando, aut glutine ex farina triticea confecto; demum adaptato exiguo Excipulo, suscipere distillationem Balneo Mariæ, neque tepido neque æstuante, unde extrahitur aqua sapore & odore non ingrata:

Sed si Spiritus inflammabilis comparandus fuerit, omnino ad Fermentationem confugiendum, quæ non levi negotio ejusmodi fructibus inducitur, imo citra cujusvis rei additamentum, sive solo usurpato succo, sive alterutro horum fructuum tantummodo conquassato, uti superius monui; Adimpletis enim duobus circiter trientibus Cucurbitæ vitreæ, illique superposito alembico cæco, accurate luto obducto, si per triduum vel quatrimum Cucurbita arenæ cumulo immergatur, supra Pistoris furnum reposita, calor moderatus, cujus vi sensim incallescet materia contenta, partibus dispositionem inducturus est per quam sese mutuo subacturæ sunt: Volatilis præsertim Sulphurea inflammabilis, cum Salina acidam impugnatura est, adeo ut paulatim extricatae partes illæ à crassioribus, superataque Acida, ab hac secedere illæ valeant, uti & à Phlegmate.

Perfectam fermentationem deprehendere erit ex odore Vinoso expressante, detracto Alembico cæco; Illico autem fermentatione subacta materia Cucurbitæ vitreæ immittenda est, hacque alembico suo munita, probe loricato, ad sociatoque illi exiguo Excipulo, luto etiam munito, sursum evehendus erit Maris Balnei calore aut Arenæ, admodum moderato, Spiritus volatilis & ignis rapax, fragrantissimus, primo ascendens, & seorsum ad servandum in densa ampulla vitrea, accurate occludenda: Hunc subsequutura est Aqua leviter odorata, sed exigua quantitate, viribus spiritui multum inferior.

Aqua & spiritus mororum rubi Idæi & Fragorum commendantur potius ad vultus matronarum nitorem & cultum quam alium quempiam usum, etsi non inutiliter admitti possint ad recreandas & corroborandas partes principes, præsertim cor & cerebrum.

Eadem ratione distillationi subjici possunt Cerasa nigra, contusis



optime eum carne illorum nucleis; quorum aqua valet aduersus Apoplexiam, Epilepsiam atque alios Cerebri affectus.

## CAPVT XXX.

*De Distillatione Nucum Juglandium.*

**N**Vcum viridium distillatio non ardui est negotii, illis præsertim qui sequuti methodum Pharmaciae vulgaris illas, prius optime conuassatas, coniectas in Vesicam cupream, adeo ut paulo plusquam media pars ejus adimpleatur, aut capacitatis refrigeratoriij, quæ stanno interius optime obducta sint, superaffusaque aqua fontana aut fluuiatili, ita ut tribus aut quatuor digitis emineat, distillationem instituunt adhibito igne immediato, sed moderato, sicuti distillantur aquæ vulgaræ, quousque supersit tertia pars humidi affusi.

Pharmacopœi autem, qui sedulam in præparandis remediis navant operam, aliquod huic distillandi rationi superaddunt: Aquam enim recens extractam aliis Nucibus viridibus conuassatis reaffusam, iterum distillationi subjiciunt, qua peracta, ex exsiccato utroque magmate, combusto & iminerato modis ordinariis, Sal extrahunt, quod in aqua distillata diluunt, quo efficacius evadat, atque perennare queat.

Etiamsi vero non contemnenda sit hæc distillandi ratio, præstantior tamen occurrit, per quam nimirum Nucum partes omnes utiles educuntur, hac via procedendo, Idonea tempestate accipiantur juli nucum, qui flos arboris censentur; non exigua quantitate; ex his optime contritis in mortario marmoreo, pistillo ligneo, exprimatur succus, qui balneo Mariæ distillandus, aut igne Arenæ, in vasis vitreis vel fictilibus, aquam distillatam reservando: Postmodum ubi Noces virides mediâ sui magnitudinem attigerint; earum accipe quantum libuerit, quas in mortario marmoreo tufas conjice in eadem vasa, ænea vel fictilia, adeo ut horum pars tertia vacua sit, superaffusa aqua ex julis distillata, quousque tres digitos excedat: Demum cunctis his 24. horis maceratis, eodem modo peragatur distillatio quo succi julorum; aqua hac reservata quousque noces ad decentem magnitudinem pervenerint; Ita ut tamen teneritudinem non deposuerint & conditurae idoneæ factæ sint, quo tempore idem numerus qui priorum sumendus, his itidem conuassatis, iisdemque vasis immixtis, aqua priorum nucum superfundenda erit, ac maceratione facta per horas viginti quatuor, eodem quo priore modo distillatio perficienda, qua ratione optima Aqua Nucum pro-



prodibit ; cui major efficacia imprimi poterit , si conservatum & exsiccatum, à cunctis distillationibus residuum magma, crematum & in cineres deductum fuerit , extractumque ex his Sal aquæ stillatiq̃ commisceatur.

Huic Aquę nomen Trium Aquarum inditum , ob tres institutas distillationes , ac tribus diversis temporibus : Eximia illi inest virtus diaphoretica : Cardiaca eadem censetur : Commendatur præsertim ad curationem omnium febrium intermittentium , imo malignarum : Ventriculum & cor roborat, Vteri vapores reprimit ; ad Colicos dolores à flatibus aut pituita subortos utilis : Dosis illius est à tribus aut quatuor unciiis ad septem vel octo.

Nonnulli exsiccatos nucum iuglandium maturarum cortices ex Retorta distillant igne per gradus adhibito , atque ex illis eliciunt spiritum Sale volatili prægnantem , cum oleo obscuri coloris , utcunque crasso , plurimo phlegmati commixta ; postea rectificandum ex Matratio prolixi colli , eliciuntque spiritum Sale volatili præditum cum oleo purpurei coloris remissi , quem magnificiunt adversus venena , in specie ad pestem ; Spiritum exhibendo à septem vel octo guttis ad viginti usque vel triginta ex aqua Nucum distillata : Oleum autem à guttis duabus ad octo vel decem, saccharo purissimo pulverisato exceptis, demum in aqua eadem dissolutis.

Non dissimili ratione licet distillare Putamina Nucum sicca , atque easdem propemodum substantias educere , inter quas oleum præsertim commendatur ad Ulcerum mortificationem & Herpetum curationem.

## CAPVT XXXI.

*De Variis Vvæ substantiis.*

**I**mmensa Priscorum idololatria ex saporis gratia in Vino deprehensa impulsit eos ut Deum quendam Vineis præfigerent, universæque illius progeniei , imo cultibus religiosis has adorarent : Ulterius vero progressa esset illorum superstitio si intimæ omnes, & diversæ quas continet grata hæc planta substantiæ perspectæ fuissent: Illud enim pro comperto habendum Chymicæ Artis ope plura eaque præstantissima ac curiosa elici ex hac planta remedia quam quævis alia ex vegetabilium familia deducta.

Natura, Sol, tempus , imo nonnunquam Ars , ad promovendam ultimam racemi maturitatem equidem concurrunt , sed præterea præsto esse debent vasa, Tempus requiritur, novoque artificio opus est ad susci-



piendam primariam & rudem variarum harum substantiarum distinctionem, ut ab invicem possint extricari, neque enim aliud expectandum esset emolumentum quam quod ex racemorum usu familiari emergere solet, cum in ipsa vinea, aut extra ipsam cstantur, vel ter lixivio limpido ex cineribus sarmentorum immersi ad Solem exsiccantur, etsi posteriores hi foli, vel aliis medicamentis commixti, in usum medicum veniant, missis acinis uva involutis, sicuti & racemi parte lignea, seu scapo, quam ex retorta distillare licet nulla prævia præparatione.

In Vvarum ergo succo diversæ illæ substantiæ, à me suppositæ, confusæ insunt, fermentationis ope, in doliis expectandæ, primo segregandæ, Pars scilicet liquida limpida, inde vini nomen adepta, à Tartarea dolii lateribus adfixa, & à Fæculenta, fæcum nomine ad fundum sedente liberandæ: Separatio nihilominus trium harum diversarum substantiarum non infert earum simplicitatem, unaquæque enim ex diversis præterea constat substantiis, Chymicis operationis variæ ansam subministrantibus, quamobrem illud iterum concedendum, non immerito à me dictum Vvam cætera mixta & præstantia & copia remedium superare.

Ratio & Experientia hujusmodi fermentationis existentiam nobis demonstrant, ex reciproca actione & reactione partium Salinarum, Volatilium & Sulphurearum cum Acidis conredientium; tum ex eo quod mutua hæc actio & reactio infert conjunctionem & conservationem, non vero destructionem, purarum substantiarum spiritualisationem earum quæ hanc adipisci possunt; rejectionem vero & secretionem inutilium & gravantium: Id quod manifestum fit ex eo quod succi partes maxime acidæ, postquam sibi adjunxerunt Salis volatilium quantum admittere valent, simulque corpus compactum crystallinum composuerunt, nonnullis admittis partibus terrestribus, undique dolii lateribus se adfigunt, constituuntque id quod vocamus Tartarum: Inter ea dum pars minus acida, cum maxima portio volatilium quæ superstites fuit in succo, Salinæ & inflammabilis simul conjunctæ, dum adsciscunt sociam ejusdem succi partem aqueam, compositum id constituunt quod Vini nomine gaudet; atque post harum partium actionem & reactionem in fundum reliqua terrestræ portio deturbatur, cui nihilominus Acidi quidpiam adjunctum remanet, nec minima Salis volatilium portio, partim inflammabilis, id quod nos docet experientia.



## CAPVT XXXII.

*De Vini Distillatione.*

**N**Otiones generales à me traditæ de variis substantiis quas Vva in se comprehendit, me iudice commodæ sunt facile insinuandæ animis tyronum Chymix cognitioni varij contextus, ac diversæ proportionis partium mixta constituentium, primæ separationis à Natura institutæ, ad quæ normam cunctarum operationum dirigere debent & instituire, præsertim quoad institutum præsens.

Mearum quoque esse partium censeo ipsos adhortari ad laboris tolerantiam, sicubi maxime in illo perseverantia necessaria est; ac caveant ne fastidium obrepat si res ad votum forte non evenerit, sed potius indagent causas improbi successus, cum sæpenumero extra seipsos illas venari non debeant.

Eapropter ratione habita levitatis ac tenuitatis partium volatilium & inflammabilium Vini, copiæ phlegmatis illi remixti, paucissimi vero Acidi quod illi obrigit, lenior procedendi ratio in usu est, aliaque adhibentur vasa, diversusque ignis modus ad illius distillationem quam cum distillationi exponenda pars tartarea, quæ quod minori phlegmatis copia constet, jam ex parte fixa est ob excedens illius Acidum, atque conjunctionem non exiguæ partis Salis volatilis quod sibi adsumpsit, cum terræ portione abrepta, firmamento quasi illi futura: Non dissimili de causa eadem non debetur distillationis ratio vino quæ Fæcibus, quibus quod minus insit phlegmatis, plus verò Salis volatilis concentrati, minus quoque Acidi quam Tartaro, singulari ideo methodo in distillatione procedendum: Hanc ergo pro Vino inire decet viam:

Immitte Vesicæ cupreæ, probe stanno parte interiore obductæ, vinum optimum, adeo ut plusquam media pars occupata sit; Fornaci idoneæ imponatur, superponatur Alembicus Caput Mauri dictus, itidem stanno obductus, probe loricandus, coaptato demum & probe loricato illius canali serpentino, transversim permeante grande dolium aqua frigida plenum, conjuncto, luto munito Recipiente cum Serpentino, instituenda est distillatio igne moderato, quæ producenda quousque aqua exstillans propemodum saporis sit expers, & flammam non concipiat. Id quod ea ratione distillaturum est vocant Aquam Vitæ, cujus quantitas proportionem respondebit sextæ circiter tantum partii vini Vesicæ infusi.



Curiosi residentiam, evaporatione paulatina facta: ad mellis consistentiam deducere possunt, atque exinde Retorta, in fornace Reverberatoria clausa, elicere spiritum acidum, vino, antequam distillationi exponeretur, commixtum, plurimo adhuc phlegmate turgens, cujus comes erit oleum fuscum, fœtidum, minimæ utilitatis: postmodum igni, si vis, committatur, & incineretur id quod in Retorta superstes est, mediis soliris sal extrahendo.

Notior est Aqua vitæ quam ut eius vires aut vsus scripto tradi debeant.

### CAPVT XXXIII.

#### *De Distillatione Spiritus Vini.*

**V**ini pretium in causa est quod Lutetiæ Parisiorum rarius illius suscipiatur distillatio quam in plurimis Regni Provinciis, ubi viliori pretio comparatur, in quarum plerisque copia Tartari doliis adherentis non prohibet ne generosa vina spiritum emittant præstantissimum, imo majori quantitate quam vina minus generosa regionam in quibus Tartari coagulationi sufficiens tempus defuit, atque obdurationi in doliis, non magis plerumque durabilibus ipso vino ipsis immisso, etiam si dictis vinis Tartarus non desit.

Copia enim, elegantia & præstantia Tartari adscribenda potius sunt iteratis fermentationibus, quas successive varia vina passa sunt, imo plurimum annorum decursu, in doliis crassissimis, diuturnæ vini conservationi idoneis, quam regionis indoli, aut soli vinum producentis, quandoquidem Tartarus Germanicus non minoris est præstantiæ quam quem suppeditat Gallia Narbonensis, itidem crassioré ob vastitatem doliolorum, ligni densitatem, ac doliolorum quibus vinum concluditur soliditatem ac durationem: Adde quod pars tartarea, cum naturaliter à vino secreta fit, ab hac nequaquam imminuitur quantitas, uti neque quicquam decedit viribus partis spirituosæ volatilis & inflammabilis vini; ratum namque id esse debet, quandoquidem vina Galliæ Narbonensis, in quibus Tartarus plurimus deprehenditur, citrius remulentiam inducunt illis quorum Tartaro ad coagulationem tempus defuit, electio nihilominus Spiritus vini potius petenda ab ejus puritate quam à loci natalis conditione: qui si ejusmodi comparandus sit, summa cura defæcandus est, nec minori disquirendum vinum minime adulteratum, aut accipienda optima Aqua vitæ.



Nonnulli jubent in ipsa Distillatione, in summa Vesica, vinum aut aquam vitę excipiente, detinendam chartam emporoticam multipliciter complicatam, vel crassoris panni frustulum, quo dum spiritus hæc facile transmeant, phlegma ibi intercipiatur ac deorsum deferatur, Alii spongiam oleo imbutam, accurate obturantem, adhibent eundem in finem: At hi & illi decipiuntur, pars enim phlegmatis cum spiritus comes sit, proculdubio permeatura est & chartam & pannum, imo & oleum, cujus etiamnum vinum nonnullas secum abstrahit particulas, quarum causa probis illius qualitatibus vitium aliquod induci potest.

Ejusmodi difficultatibus irretiti recentiores artifices, novum vasis genus excogitarunt, cujus beneficio, atque primo factō periculo, consequi licet vini spiritum æque purum quam si plurimas rectificationes modis à me propositis expertus esset: cujus rei factō non semel experimento, mearum esse partium duxi duplicem exhibere, eamque diversam, figuram, mihi familiarem in ejusmodi rectificatione: Missō hoc in casu usū Matratorum proboscide præditorum, capellis propriis instructorum; vel ea de causa repudiandorum quod multi temporis ad rectificationem pauci spiritus iactura fiat, tum quia Parisiis vix occurrant vasa idonea, nedum in locis diffitis.

Vesica (aut globus) alterutrius horum vasorum, ex cupro rubro conflata sit, interius stanno probe obducta, duo ostia obtinens, cujus maximum & præcipuum cum sit in parte superiore, obtinere debet collum arcte amplectens Serpentine partem inferiorem: alterum in latere factum, ac collo paulo inferius, exiguum etiam collum adjunctum obtinere debet, idoneum, si opus fuerit, excipiendę parti siphonis, aut rostro infundibuli, tam affundendę gratia Aquę vitę in Vesicam, quam ad effusionem phlegmatis ope Siphonis, cum extillavit Spiritus: Serpentinum ex stanno purissimo sonoro conflati potest; si solum Capella vitrea imponenda sit, quę amplecti debet partem Serpentine superiorem, infundibuli forma fabricandam: Ex cupro vero Serpentinum conficiendum, si grande Refrigeratorium illi superponendum fuerit: Imo nonnunquam impellit necessitas ut illi robur accedat, addita columna cuprea cava, sed densa, convenientis crassicię & soliditatis, ad fulciendum Refrigeratorium, ac Serpentine flexus sustinendos: Refrigeratorium cupreum quoque esto, ea tantum parte stanno obductum quę Vapores excipit, in Spiritus solvendos, inde in Recipiens stillaturos: Cuncta hæc exhibiturę sunt Figurę, mea cura delineatę, ad quas Lectorem remitto.

Hujus vasis beneficio pars aquea Aquę vitę, occurrēs meatui angusto,



flexuoso, admodum producto, cum illi ascensus ad tantam altitudinem, neque æque expeditam quam Spiritui vini minime concedatur, remeare cogitur, ac in vesicam unde elata est relabi, dummodo debitum adhibitum fuerit ignis regimen: Eapropter collocato vase supra Furnum, data opera constructum, debitæ proportionis, immiffaque in vesicam optima Aqua vitæ, adeo ut tertia pars ejus vacet, commissuris omnibus accuratissimè luto obductis, tam Vasis quam Recipientis, repletoque aqua frigida Refrigeratorio, accendendus erit in foco furni ignis carbonis, moderatissimus, quanquam immediatus, eo usque continuandus quousque spiritus vini purus stillare incipiat, id quod manifestum erit cum injecta ex cochleari parvo argenteo in ignem portiuncula, humiditas quæpiam fundo adhærens deprehenditur.

Eo tempore nihilominus producenda erit distillatio, subdito alio Recipiente, quousque aqua exstillans flammam amplius non concipiat: atque ea ratione obtinere licebit Aquam vitæ, alteri postmodum remiscendam.

Spiritus ille Vitæ, etsi unica vice rectificatus, non modo omnino in auras abit, accensus si fuerit, sed & flammam impertit pyrio pulveri si in parvo cochleari illi suppositus fuerit: Sed id non minimi est momenti quod unica die plures pintæ rectificari possunt, minimo labore & cura, paucisque sumptibus.

Nonnulli Spiritus vini nomen assignarunt Essentiæ subtilissimæ & incorruptibili, & Sulphuris cœlestis vegetabilis, Clavis Philosophorum, Cœli Raimundi Lullii, Corporis ætherei ex aqua & igne constantis &c. Sed missit ejusmodi elogiis, hoc adstruo Spiritum hunc perquam idoneum esse ad excalefaciendum cum penetratione, ad incidendum, attenuandum, resolvendum, transpirationem juvandam, pravos humores discutiendos, interius illum adsumendo & exterius admovendo in morbis ejusmodi auxiliis indigentibus; Menstruum illud esse, ac Dissolvens ad plurimos usus adcommodatum, non modo usitatissimum, sed quo minime omnium carere potest Chymia; Hunc porro non modo incorruptibilis nomine donare possum, sed præterea illi adsignare viam à corruptione vindicandi corpora illi immiffa, atque adversus quamvis putredinem defendendi: Felicissime & in usum venit adversus gangrænam ac quamvis putredinem partes invadentem: Meatus potenter referat, spirituum facilem com meatum promover, ac circulationem sanguinis incitat: Plurimum commendatur in rheumatismis, neque præstantius in ambustionibus occurrit remedium, quarum progressum sistit, non Acidi solum fixatione, quod nonnulli perperam ignis particulis adsignare voluerunt, cum aqua-



æqualiter illæ originem ducant à Sale volatili & Acido rerum comburentium, sed potius copia sua idem acidum superando, conjuncta acido salis volatilium rerum combustarum, contranitente Acido, quo pacto violentia ignis retunditur, furor Archei coercetur, & Natura robur acquirit.

Iste nihilominus Spiritus, specie purissimus, plurimas phlegmatis particulas in se continet, abstrahendas rectificatione ejusdem spiritus, addito sextuplo pondere Salis tartari rite exsiccati, eidem vasi immixti in quo rectificatus fuerat, postquam suo humido accurate liberatum fuerit, ac moderatissimo igne distillando, donec desierit purum prodire: Licet & postmodum idem Sal iterum exsiccare, atque iterum superfuso Spiritu vini, itidem sicuti prius hunc distillare, ad ulteriorem partium aquearum imminutionem: Eo enim pacto proditurus est Spiritus vini odoris suavisissimi, ac multo quàm ante generosior, cui Spiritus vini Tartarificati nomen nonnulli indiderunt: Puritatem vero majorem nancisci poterit, si inditum matratio, prolixo collo prædito, capitulo suo probe loricato instructo, iteratæ rectificationi subiciatur in Balneo Maris trepido, tres tantum circiter partes abstrahendo: Si demum, seposita residentia, itidem ter quaterve rectificatus fuerit ille spiritus, residentiis semper remotis: qua ratione spiritus summe purus obveniet, cujus effectus multo generosiores futuri sunt quam spiritus vini vulgaris: adeo ut posterioris hujus decem vel duodecim guttæ, per os adsumptæ ex liquore quopiam idoneo, & majorem & celeriore effectum edituræ sint quam prioris cochleare integrum.

## CAPVT XXXIV.

### *De Spiritu vini Tartarificato.*

**N**onnulli soli cognominis superficiem attendentes, ab authoribus huic Vini Spiritui impositi, sibi in animum induxerunt satis esse unice vice rectificasse spiritum hunc Sali Tartari affusum, ut Tartarificati nomen gerat, non perpendentes immerito id nominis assignari nisi rectificationis vi secum abstraxerit, sibi que adjunxerit non mediocrem copiam purissimarum & maxime volatilium particularum Tartari cum commixtus fuit.

Iubent quidam Auctores Cucurbitæ vitreæ immitti Spiritus vini libras duas unciam vini Tartari crudi, crassius contriti; Demum Maris Balneo distillari calore moderatissimo, quousque non amplius purus prodeat; Præcipiunt iterum eundem spiritum eodem Balneo rectifi-



cari, affusum drachmæ uni novi Tartari eodem modo contriti, ac calcinatione facta residentiaæ utriusque distillationis, quousque virentem colorem adquisierit, aut circulum, hanc demum cum spiritu vini rectificato commiscendo, cuncta distillari igne adhibito paulo intensiore, ex hac procedendi ratione Spiritum vini Tartarificatum expectantes.

Neque tamen mihi perspectum quomodo spiritus vini ex novem istis drachmis Tartari, aliud quidpiam præter phlegma & portionem nonnullam partis Acidi inexistentis abstrahere valeat; quandoquidem Salina, ab eodem acido fixa reddita, conjungi nequit spiritui vini, neq; una cum illo evehi: Iudico præterea, quo res successum habeat, Spiritui vini proprium fermentum adhibendum esse, insistendo mediis mox tradendis, à me experimento comprobatis.

Eligatur optimum vinum recens, fermentatum, ex natura austerum, quasi immaturum; immittantur Cucurbitæ vitreæ capaci & excelsæ Salis Tartari, exempli gratia, unciaë quatuor; his paulatim affundatur istud vinum, unde subsequetur ebullitio, vel fermentatio, inducta ab actione reciproca partis acidæ Vini in Sal Tartari, ac Salis in idem Acidum: Paulatim, & ex intervallis temporum, affundendum erit Sali ejusmodi Vinum quousque ebullitio desinat; indicio Sal & Acidum sese mutuo téperasse & saturasse, quamobrem hæc meta erit affundendi vini supra Sal: Quo tempore, si animadversum fuerit tertiam circiter Cucurbitæ partem vacare, immergatur hæc Balneo Arenæ, alembicum proprium imponendo, cujus accurate luto junctis commissuris, insertoque ejus rostro exiguo Recipiente, etiam loricato, suscipiatur distillatio igne carbonum, moderatum excedente, quo Sal Tartari, quod paulo ignavius se evehit, alias proprio pondere facibus commistum inhæsurum, sursum vi propellatur, acido se adjungens ab unione cum spiritu vini facta, producta distillatione vi ejusdem ignis, quousque nulla manifesta percipiatur dulcedo in spiritu vini exstillante, aut phlegma spiritus succedaneum sit: Tunc seponendus ac infundendus erit spiritus vini distillatus in lagenam vitream, accurate occludendam, qui proculdubio plus Salis volatilis Tartari obtinebit, quam ullus alius spiritus vini, quamvis aliam præparationem aut depurationem nactus, quibusvis aliis organis eum in finem adhibitis usus quis fuerit: Spiritus enim vini perfectam rectificationem adeptus, aut Sale proprio volatili prægnans, destitutus autem nativo suo fermento Acido, vel alio quopiam ejusdem indolis, nunquam ulli alij volatilitatem conciliare valebit, illique se adjungere: Acidum autem esurinum, naturaliter cæteris vini austeri & immaturi substantiis commistum, admodum idoneum



neum est suscipiendo sali volatili Tartari, quod acidum, minori quantitate vinculis suis coercerat.

Peracta distillatione hujus Spiritus, ac per ebullitionem soluto in vapores subsidentia phlegmate insipido, illaque ad mellis consistentiam deducta, licebit Retorta distillare, observatis regulis, atque ex illa elicere spiritum, cujus comes erit oleum foetidum Tartareum, exigui momenti, interim dum Oleum Salis Tartari, quod volatilitatem adipisci non valuit, in fundo subsidet, imo incrementum suscipit ab adjuncto tantillo Sale fixo, in vino, ad usum adhibito, delitescente, etsi limpidissimo & defaecatissimo; id quod verum deprehenditur ex magmatis calcinatione, ac Salis ex illo per media usitata educatione: Neque etiamnum impediri potest hujus Salis cum Sale Tartari, quod in usum venit, conjunctio, ob substantia utriusque analogiam, uti neque praedictum augmentum, si Acido vini occurrat materia quaequam erodenda, sicuti hic contingit, nam occurrens Sali Tartari fixo, illi cohaeret, se adjungit, ac cum eodem fixam molem adauget, non secus ac si simpliciter igne exsiccata & simul calcinata fuissent, juxta Axioma Physicum Chymicum, *Omne corrosivum rodendo coagulatur, & figitur in Alkali*: Postmodum tamen, etiamsi in hac operatione certamen quoddam inter Acidum volatile & Sal fixum adfuerit, atque interim pars Acidi figatur, atque incrementum det copia Salis Tartari, quod idem acidum prima vice abstrahere non valuit, tandem tamen superior evadit adjuvante sulphure puro Salis volatilis vini, abstrahit enim, ac omnino volatile reddit Sal fixum Tartari, quod prius vino associatum fuerat, si modo hanc viam quis injerit,

Optime calcinato magmate prioris distillationis, ac dissoluto, filtrato, coagulato, ac probe exsiccato Sale, pondus hujus statera examinandum, demum huic curbitae iterum immisso, ad unamquamque semunciam affundenda erit pinta una vini novi fermentatione defaecati, immaturi, austeri, & rite depurati; Superpositoque cucurbitae capitello, accuratissime luto obducto, adcommo datoque illi, probe quoque loricato, Recipiente, erit sepelienda iterum in Arenae balneo, distillationem peragendo adhibito igne priori simili; quoad cetera eadem plane via procedendo, spiritum distillatum in lagena accurate obstrueta custodiendo: Demum magmate iterum calcinato, eductoque ex illo Sali, depurando, coagulando & exsiccando, affundendae erunt totidem vini pintae quot immisse semuncia distillationem instituyendo: Postmodum novum vinum restibili Sali superfundendum erit, eoque iterata distillatione quousque animadversum fuerit Sal, quod forte cum faecibus superest, inutile factum fuisse: Minus quoque impu-



tandum Sali Tartari paucillum quod residuum esse potest, quam Sali fixo vini; etsi maxima illius pars per distillationes cum Sale tartari volatilitatem adeptam sit: Illud etiam pro comperto habendum ab iteratis supra vini faeces affusionibus, ac distillationibus crebris, id Sal omnino volatilitatem adepturum.

Porro, cum Spiritus vini, à quo volatilitatem adeptum est Sal Tartari, hocque secum abduxit, plurimo phlegmati commixtus sit, illius ideo rectificandi incumbit necessitas, id quod commodissime obtinere licet in usum advocando vas mihi familiare ad Spiritus vini rectificationem, si illius commissuræ accurate, uti & Recipientis, luto obductæ fuerint: Vel Matratio uti licet prolixioris colli, superposito alembico, itidem loricato, Balneo cinerum immerso, vel arenæ, addito igne moderato.

Odor & sapor hujus Spiritus manifesta præbent indicia Salis Tartari una cum illo abstracti & volatilitate donati per crebras & repetitas distillationes vini, Sali fixo ejusdem Tartari affusi: Tartarificati cognomen legitime illi congruit, quandoquidem in se comprehendit verum Sal Tartari, ab acido vini abstractum, volatilifatum, quod sibi adjunxit: Imo potiori jure prædicto titulo gaudere debet quam is qui simpliciter exstillatus est ex affusione Spiritus vini Sali Tartari, qui ne minima hujus portione secum abstracta, nullum præterea momentum obtinet quam imminutionem partis propriæ aqueæ: Hic spiritus Alkalizati quoque cognomine donandus est, quandoquidem in se complectitur verum Sal Alkali volatilifatum; vel eo præsertim nomine quod nonnulli præparationem hanc pro genuina volatilifatione Salis Tartari habuere.

## CAPVT XXXV.

### *De Distillatione Tartari.*

**T**artarus substantia est concorporata, ac propemodum lapidis soliditatem adeptam, lateribus & fundo doliorum quæ vinum continuerunt adherens, à musto fermentationis vi secreta, per quam idem mustum in vinum transit: Prædictus Tartarus, à vino ejusque faecibus sejunctus, ex quinque nihilominus partibus constareprehenditur, quas Chymia in cunctorum mistorum compositione animadvertit, Phlegma enim Partem Acidam, Salinam Volatilem & Fixam, Oleagineam ac Terrestrem complectitur, sicuti distillatio id conspicua facit. Etsi vero ob partium illius conjunctionem, ac consistentiam solidiorem quam adeptæ sunt vim ignis tolerare nequeant, quippe quæ non



non solum in aqua calida colliquescant, sed etiam in frigida, sicut calci accidit, cum ignis examen subiit, combinatio tamen illis sat valida obtigit, ut à vino illas in dolio ambiente nequaquam dissolvi contingat, imo quotannis etiamnum incrementum accipiant ab adjuncto vini recens infusi Tartaro, fermentationem ibidem experturo.

Ad ejusmodi distillationem in usum venit Tartarum crudum, elegans, nitens, crasse contusum, vel, si lubet, pulveratur, lotum & efficcatum, vel ipse cremor Tartari; alterutrius Libras quatuor capaci Retortæ argillaceæ immittendo, luto circummunitæ; hacque imposita Furno Reverberij clauso, accendendus est exiguus ignis, eo gradu continuandus quousque pars Tartari aquea propemodum distillando exhausta sit: Postmodum ad commodandum illi capax Recipiens, optime loricandum, ignis paulatim intendendus, tandem ad extremam usque vehementiam deducendus, ac quousque, (Recipiente prius diutius nebulas albicantes exhibente, in guttulas, cui spiritus intermixtus, resolvendas) universus liquor in fundo Recipientis collectus fuerit, atque hoc plane pellucido facto dat: Quo tempore remoto omnino igne, obturatis ostiis & registro Fornacis, Retortaque sensim refrigerata Recipiens, deraso luto, eximendum, inditisque panis albi biscocti & pulverati matratio capaci, prolixi collii, libris duabus, superaffusoque universo liquore Recipiente incluso, Capitellum probe luto incrustatum illi superimponendum erit: coaptatoque etiam, ac loricato exiguo Recipiente, Rectificatio peragenda erit igne Balnei Mariæ, vel Cinerum, igne moderatissimo, quæ & iterum repetenda, bis aut ter, addito novo pane biscocto: quo pacto eliciendus erit spiritus purissimus & penetrabilis, ad omnes usus, quibus destinatur, ad commodandum.

Superius dixi ad hanc distillationem usurpari posse Tartarum crudum crassius contritum, cum enim pars terrestris semper illi commixta, distillatione sursum non evehatur, nequaquam impeditura est ascensum partium volatilium, etiamsi nihil prohibeat quominus conteratur, eluatur, imo ipse Cremor Tartari in usum adducatur.

Non transgredior quatuor libras Tartari crudi capaci Retortæ intendendas, quia cum intumescat initio distillationis, disruptionis periculum immineret si majori quantitate inferretur, ac spatium intumescitioni idoneum non adesset.

Licet &, ex quorundam sententia, liquorem ex Recipiente effusum in cucullum ex charta emporetica madida infundere, infundibulo vitreo inclusum, ut spiritus, transmissa charta, oleum autem nigrum & foetidum inibi hærens, lagenis separatis concludi queant: Sed cum in



unaquaque Rectificatione, Spiritus conjungatur quibusdam particulis Salis volatilil, ac secum abstrahat quas Oleum amplexum erat, eodem quoque tempore obtinere licet Oleum volatilifatum, flavum, purum, facillime sejungendum, cujus vires, & usus interni & externi, multo majoris sunt momenti quam quæ ab oleo fœtido expectari queunt.

Quorundam tamen fuit sententia nullum Sal Volatile commixtum Sali Tartari deprehendi posse, hac ratione fultorum, quod ebullitio quæpiam manifesta esset, ac vasorum incalescentia ab acidi cujusdam affusione dicto spiritui; quod cum non contingat, colligunt id omnino abesse: At consequentia aberrat, nulli fundamento innixa, quia spiritus acidus Tartari, cum fixum reddiderit Salem volatilem à se abstractum, atque idem Sal quasi sub jugum missum sit, ac quodam modo colligatum à dicto spiritu, illius actioni frænum injiciente, ideo nullus expectandus æstus aut ebullitio, quæcunque demum acida illis affusa fuerint.

Id ipsum conspicuum est in præparatione Tartari vitriolati, nam etiam si conjunctio Olei vitrioli cum Sale Tartari illico excitet, & per aliquod temporis spatium, insignem ebullitionem, cum intensa incalescentia materiarum & vasorum, cuncta tamen hæc omnino remittunt statim ac Sal Tartari Acido sufficienter imbutum fuerit, sed postmodum neque ebullitio neque incalescentia ulla metuenda, quantumvis insignis Acidi quantitas Sali affusa fuerit.

Illud etiam compertum habendum partem Tartari acidam, cui eum Salina insignis adfinitas, proculdubio in distillatione quantam potest portionem secum abstrahere, sicuti id præstat pars acida vini recentis immaturi, de qua capite præterito à me dictum: Id quoque censendum in Spiritu Tartari non quærendam fore vim diaphoreticam insignem, nisi hanc qualitatem mutuatus esset à sale volatili quod secum in distillatione abstraxit.

Spiritus Tartari eximie utilitatis censetur in pellendo à centro ad circumferentiam, atque in humoribus acris & mordacibus qui scabiem, erysipelas, aliaque vitia cutanea inducere consueverunt, per sudores aut insensibilem transpirationem expellendis; Nec infelici successu exhibetur provocandorum gratia sudorum in Rheumatismis, Faucium affectibus, Pleuritide, ut & in lue Venerea: Insignium est virium in omnibus Iecoris obstructionibus, Lienis, cunctorumque viscerum, ac in specie Cachexia, Hydrope, Ictero, imo & Mensium suppressione. Dosis est à scrupulo uno ad drachmam unam imo & duas ex liquoribus idoneis: Commiscetur & aliis spiritibus, ac præsertim æquis par-



partibus Spiritus Theriacalis Camphorati & Spiritus Vitrioli, cui composito Misturæ simplicis nomen inditum est, familiarissimi in regionibus Septentrionalibus usus.

Ad eosdem affectus usurpare licet Oleum rectificatum, præbendo à guttis duabus ad octo aut decem, exceptis saccharo purissimo in pollinem redacto, ac liquoribus convenientibus dissolvendo. Quin & remiscetur Oleo nucis moschatae expresso, ad concinnandum Balsamum naribus admovendum, tum in affectibus hystericis, tum cerebri, & adversus aëris inquinamenta.

Massa nigricans, in Retorta post distillationem residua, Capitis mortui nomine non donanda, quandoquidem Terræ, quæ quintum est Principium, commixta est Salis pars maxima, quam Acidi portio fixam reddiderat illi se aduniendo; Minime est abjicienda, sed à terra secernendum elixivatione, filtratione & colatione, usum quippe præbet tum in corro dendis & dissolvendis variis mixtis, tum dissolutis vi Acidorum præcipitandis, uti & ad alia nonnulla, sicuti id in serie manifestum futurum est.

## CAPVT XXXVI.

*De Aceti Distillatione.*

**H**Oc loco non suscipio agendum de Distillatione plurimorum liquorum aciditate fermentationis naturalis aut artificialis adeptorum, quibus varii authores improprie Aceti vocem indiderunt, sed in specie illam quæ legitimi est Aceti attingo, aut, ut verius dicam, Vini in Acetum degenerantis per illius partium alterationem, ac acidi supra cæteras dominium.

Prætermissa ergo illorum sententia, qui nec ratione nec experientia fulti, censuerunt Vinum acorem solummodo contrahere à totali destructione, aut dissipatione partium volatilium & inflammabilium illi inexistentium, Prætermissis quoque à me allatis capite decimo secundæ partis hujus Pharmacopœæ, tam quoad rem præsentem, quam transmutationem musti in vinum: Omissa quoque dilucidatione insignium alterationum utriusque accidentium, ac præsertim postremo huic, alias non intacta; Id solum dixero, cum Acetum ex plurimo phlegmate constet, paucò Sale Volatili extricato, sed multo fixo, plurimoque acido, cunctis adunitis, & quibusdam terrestribus portionibus commistis, Chymix non deesse media partibus illis secernendis idonea, cunctas sigillatim oculis exponenti.



In illa transmutatione quæ sincero vino accidit quando sponte in acetum transit, cum pars illius acida sibi coaptaverit & fixam reddiderit Salinam volatilem vini, phlegmate autem sit gravior, in distillatione illud præcedere permittit, dummodo moderatissimus calor adhibitus fuerit: contra in vini distillatione, pars Salina volatilis & inflammabilis prior sursum evehitur, phlegma autem posterius: Verum id esse facile deprehenditur in legitimo Aceto non factitio, nominatim eo quod in Gallia Narbonensi & Provincia paratur, quibus in locis, quia vilis sunt pretii vina, unicuique semper Aceti tantum in doliorum fundo suppetit, quantum ad usum peculiarem, quinimo & amicorum exigit res familiaris: quamobrem illis in locis nulli Aceti propolæ illud sicuti Parisiis adulterant, ac locis ubi vinorum insignis non adest copia: In illis inquam Provinciis, igne admodum moderato distillando initio phlegma quidem sat insipidum prodit, etsi nonnihil spiritui commixtum: Luteriæ autem vix ac ne vix distillationis ope ullo modo phlegma aceti revera distinctum obtinere datur, ob adulterationes aceto inductas: Quo fit ut fatius sit, & expeditius, nullo facto discrimine, excipere quicquid in distillatione ascendit, quam operam ludere in dephlegmando aceto; animadvertendo solummodo ne sub finem comburatur residentia, ac Spiritus distillatus empyreumatis odorem contrahat.

Res successu non carebit, si Cucurbitæ argillacæ quæ ignis vi par sit, immittatur optimum acetum, adeo ut tertia pars vacua sit; admoveatur alembicus luto modice obductus, imponaturque fornaci adpropriatæ, accenso igne modico, & admoto Recipiente rostro alembici, suscipiatur distillatio, quæ producat quousque duæ circiter aceti partes exstillarint: Demum novo affuso aceto, prius excalesfacto, in vicem prioris distillati, contineturque distillatio, adservatur in grandi lagena spiritus omnis qui exstillavit; Immittendum iterum aliud acetum calens in cucurbita, atque in distillatione pergendum igne moderato, quousque Spiritus sufficiens prodierit quantitas; Residentia autem augmentum suscipiente, ac crassescente, vasa mutantur, ac residentia in Retortam infundatur, ad eliciendum juxta artem ultimum Spiritum, quem subsequitur est Oleum nigrum & fœtidum, superstitite in fundo residentia sicca, in qua continetur Sal fixum & pars terrestres Aceti.

Prioris Spiritus non mediocris copia parari solet & adservari, ob insignes usus in dissolutione Vnionum Coralliorum, Oculorum Cancrorum, Calcis plumbi, ac plurium ejusmodi substantiarum; ut missos faciam usus internos & externos in plurimis morbis ac nonnullis compositionibus.

Spiritus



Spiritus ultimus ab Oleo foetido liberatur ope cuculli chartacei, ex charta emporetica madida, sicuti de Oleo Tartari superius dixi, usurpaturque ad quorundam metallorum dissolutionem, aut rerum metallicarum, quæ prius Acetum pervadere non valet: Nonnulli Aceti Radicati nomen indidere: Non inutile forte esset Oleum adversus vapores hystericos ratione summi foetoris, sed præsertim commendatur ad ulcera mundificanda.

Aceti magna in crucibulo calcinatur, ex quo demum Sal dissolutione facta segregandum, filtratione & coagulatione, quod & in crystallos deduci potest. Nonnulli citra majorem adparatum Sal illud dissolvunt in priore aut posteriore aceti spiritu, ut illi aculeus major imprimatur; Sed intimior conjunctio expectanda est si Salis hujus uncie quatuor Retortæ vitreæ immixtæ fuerint, atque superaffusa alterutris Spiritus libra una, collocataque Retorta supra Furnum Reverberij clausum, suscipiatur distillatio igne per gradus adhibito, illam reiterando cohobatione Spiritus distillati supra Sal in Retorta residuum, pergendo usq; dum Spiritus omne Sal per reiteratas distillationes abstraxerit: Huic Spiritui Alkalifati nomen imponitur, aut Radicati, potiori proculdubio ratione quam posteriori aceti spiritui, puritatem enim majorem cum obtineat, atque proprio Sali intimius conjunctum sit, ad metalla dissolvenda multo efficacius est.

Paratur & Spiritus Aceti ex æquis partibus optimi mellis & aceti generosi, hæc simul per quindecim dies in Cucurbita vitrea capaci & excelsa, alembico suo munita digestionem exponendo, supra Pistoris furnum, demum arenæ Balneo distillando igne admodum moderato: Educitur Spiritus, semel aut bis, si lubet rectificandus, ut tenuitatem & penetrandi vim majorem adsequatur; admodum idoneus dissolutioni margaritarum, corallorum ac similibus gemmarum.

Eadem ratione potest distillatione elici spiritus acidus ex vino Hispano, sicuti & ex Cerevisia, Pomaceo, vino Apite, & similibus succis fermentatione acorem adeptis.

## CAPVT XXXVII.

### *De Distillatione Sacchari.*

Saccharum diversimode distillatur, nonnulli enim immixtum capaci & excelsæ Cucurbitæ vitreæ, capitello instructæ, Balneo arenæ immersæ, distillant igne per gradus adhibito, initio lenissimo, sub finem paulo intensiore, ex quo extrahunt aquam spirituofam acidam, cujus



comes est sub finem Oleum, ipsi supernatans, quod seorsim reponunt, rectificando & separando Balneo vaporoso partem aqueam à spirituosa.

Alii Saccharum pulveratum prius æquis portionibus vitri aut silicum contritorum admiscunt, cuncta ingenti Retortæ vitreæ luto obductæ immittunt, ac distillationem perficiunt igne per gradus adhibito, sub finem intensissimo, atque spiritum eliciunt, cum oleo, plurimo admixto phlegmate, quæ quinquies aut sexies rectificat subsidentia calcinata affusa, repetita qualibet vice ejusdem subsidentia calcinatione, demendi causa oleo & spiritui empyreumatis nidoris.

Alia vero Sacchari distillatio magis curiosa & utilior institui potest, cujus beneficio totum in spiritum inflammabilem transire potest; hæc esto processus ratio.

Accipiatur Sacchari Farinacei libra una, vel Sacchari ad puritatem non deducti, cum uncia una fermenti cerevisiæ; hæc in doliolum coniecta, aut vas aliud quodpiam ligneum, superfundantur aquæ fermentis libræ octo, demum hæc rite commixta, obturato negligenter vase, eo modo sinantur per viginti quatuor horas; qua temporis intercapedine contenta ebullire incipient, nec diu potest adeo insignis succedet æstus, ut vasi crepaturæ immineret metus si exactius occluderetur, ac contentis sufficiens deesset spatium ad citam & vehementem fermentationem suscipiendam; Id quod nemini mirum esse debet, cum Saccharum non exigua fermenti copia præditum sit, adeo ut id ipsum sufficere queat pluribus aliis substantiis; particulis ejus præterea non modice à fermento cerevisiæ superaddito excitatis, & affusa fervente aqua, unde violentior motus illi conciliatur quam plurimis aliis substantiis, destitutis, aut minori multo fermenti nativi copia præditis, ad promovendam & accelerandam sui fermentationem.

Tum temporis totus liquor fermentatione subactus in capacem cucurbitam vitream infundendus, qua suo alembico, exactissime loricato cooperta, sicuti & Recipiente, suscipienda erit distillatio Balneo Mariæ, Cinerum aut Arenæ, igne moderatissimo, unde proditurus est Spiritus inflammabilis, quem subsequetur phlegma, rectificationum beneficio separandum: Postmodum, immissa priori vasi residentia, affusoque illi phlegmate, leviter cuncta cooperienda & obturanda, quæ toto bimestri in cella vinaria macerata, iterato in priore cucurbita distillanda erunt, suo capitello probe luto obducto munita, elicieturque iterum spiritus inflammabilis, sicuti prior rectificandus: qui spiritus rectificati, & simul commissi, deprehendentur æquales esse cum Saccharo distillationi exposito ponderis: Unde conspicuum futurum



turum est ipsum universum in spiritum volatilem & inflammabilem commigrasse.

Sacchari spiritus inflammabilis viribus multum accedit ad Spiritum vini usitatum, excalescit enim, incidit, resolvit ac æque exsiccat, Maxime vero ad affectus pectoris conducit: Id illi quoque insitum ut arctissime oleis aromatum stillatitiis, aquis supernatate solitis, conjungatur illisque se aduniat, idoneaque illa reddat quibuscunque liquoribus intime admittendis.

## CAPVT XXXVIII.

*De Distillatione Mannæ.*

**M**Entem meam satis abunde explicasse circa Mannæ naturam existimo, ac errore illos liberasse qui hætenus inter Roris species & eam reposerunt; quæcunque enim nobis obvia est, aliud nihil est quam succus condensatus ex duplici Fraxinli specie, stillans in Calabria nascentis, vi caloris Solis concrefcens, sicuti plurimi alii succi aut lacrymæ in nonnullis aliis arborum speciebus, ubivis gentium obviis: Ea propter etiam Mannæ distillationem aliorum vegetabilium partium distillationi accenseo; atque saccharum subsequi jubeo, eo quod illius partes multam inter se adfinitatem obtinent, ac in se non minus, imo plus fermenti quam saccharum.

Mannæ distillandæ quidvis adjicere omnino supervacuum est, satis est illam cujusmodi ad nos transmittitur Cucurbitæ vitreæ immisisse, dummodo hujus tertia, aut saltem quarta pars vacet, qua alembico proprio, optime loricato instructa, ad commodatoque ejus restro Recipiente itidem luto obducto, suscipienda est distillatio Balneo Arenæ moderatissimo, hinc prodibit aqua fere insipida, seorsum reponenda; Demum mutato illius Recipiente, intendendo per gradus ignem, atque illum producendo donec nihil amplius exstillet, Recipiens excepturum est Spiritum acidum, qui rectificandus est quo empyreumatis odor abscedat, quem in priore aqua adipiscitur, atque efficaciam majorem consequatur ad provocandos sudores, qui præcipuus est illius effectus.

Venit & in usum ad sulphuris dissolutionem, atque ad eliciendam ex hoc Tincturam, affectibus Pectoris admodum idoneam: Aqua, Spiritus accessione vim nacta, exhiberi potest à drachma una ad semunciam, ex aqua ulmarie vel cardus benedicti, vel quopiam liquore



convenienti ac Tinctura Sulphuris à mememorata, à quatuor ad decem aut duodecim guttas cum pectorali aliquo liquore.

Commodissime etiam distillari potest Manna ex Retorta Balneo arene, igne initio lenissimo, demum paulatim adaucto, & producto quousque nihil amplius ex Retorta prodeat; cohobando postmodum pluribus vicibus, affuso residentia liquore distillato, ac toties distillationi exponendo: quo pacto Aqua spiritiosa proditura est, quicquid utile complectitur Manna obtinens, non solum hidrotica vi eximia prædita, sed & specifica adversus febres omnes per proximos recurrentes, illam eadem dozi initio accessionum exhibendo, atque ex iisdem liquoribus uti de præcedenti dictum.

Spiritus quoque φλογίσιος ex Manna extra hi potest usurpando cerevisiæ ferventum, Aquam ferventem, easdemque Digestiones & Distillationes adhibendo ac ad comparandum Sacchari spiritum inflammabilem.

## CAPVT XXXIX.

### *De Distillatione Cinnamomi.*

**C**innamomi ingens pretium, & difficultas in optimo comparando occurrens, in causa sunt cur in Gallia raro in distillationem veniat, ac plurimis fatis sit Aquam spirituosam ex illo elicere, Sale Oleoso volatili prægnantem, eo quod crebro in usum veniat, imo crebrius, quam Oleum, quod plurimi ex Batavorum regione arcessere malunt quam distillationis laborem subire: Inserturus tamen hic sum methodum & Aquam & Oleum ex arte distillandi, ab Aqua ducto initio,

Accipiatur libra una optimi Cinnamomi, cui leviter contuso, atque indito parvæ Vesicæ cupreæ, interius probe stanno obductæ, affundantur vini albi optimi libræ tres, aquæ Melissæ stillatiæ tantundem, Demum hac ptoprio Refrigeratorio itidem stanno obducto, ac probe loricato cooperta, illique admoto, ac luto optime incrustato exiguo Recipiente, prævia duodecim horarum macerationem fornaci idoneæ imponenda erit, ac repleto Refrigeratorio, inchoanda erit Distillatio igne carbonum immediato, non nimis remisso, ad segregandam partem Spirituosam, Oleagineam & Salinam volatilem Cinnamomi, illiusque ascensum promovendum, pergendo quousque aqua fere insipida exstillet, primæ tamen secretionis facta, ac secundæ aquæ Distillantis, sicuti & tertiæ subsequituræ, ut pote quæ per gradus præstantiam adepturæ sunt.

*Interea*



Interea curæ sit per vices aquam Refrigeratorii detrahere frigida substituta, statim ac illa calorem concipere inceperit, quo vapores educti in liquorem citius solvantur; E re quoque est Refrigeratorium non nimis sublime collocare, quo partis Oleagineæ Cinnamomi ascensus facilior sit, qui non nisi difficilis esse potest, uti & plerorumque aliorum aromatum; Aqua ultimo prolecta usurpanda, si vis, ad distillationem alius Cinnamomi, in vicem aquæ melissæ qua hic usus sum; priorem & posteriorem aquam spirituofas seorsum aut commixtas adseruando.

Aqua Spirituosa Cinnamomi admodum conducit recreandis ac citissime reficiendis principibus omnibus partibus, cordi præsertim: quapropter utilissime exhibetur adversus syncopas & leipothymias: Ventriculi calorem naturalem excitat & fovet, concoctionem promovet, vomitus & nauseas sistit, flatus discutit, ac colicos dolores ab his excitatos sedat: Plurimum quoque in usum accersitur ad facilem partum reddendum, parturientium vires promovendas ac tormina sedanda, Vtilis præterea est provocandis mensibus suppressis, discutiendisque vaporibus ex utero excitatis.

Sola exhibetur à quarta cochlearis parte ad integram si necessitas urgeat: Sed satius est minori dozi usurpare, ubi præsertim repetitus esse debeat usus.

Vt Olei distillatio ex voto succedat, accipienda est libra una Cinnamomi electi, quod crasse contritum, ac inditum parvæ Vesicæ cuprææ, interius stanno probe obductæ, humectandum aspersione pauci vini albi, affusisque libris sex aquæ fontanæ; demum imposito Vesicæ Refrigeratorio, luto optime munito, cunctisque à mane ad vesperam maceratis, perficienda erit distillatio, in omnibus se gerendo sicuti ad distillationem Aquæ Cinnamomi, hoc uno excepto quod distinctio nulla facienda aquæ distillandæ, cum satis sit ut ignis removeatur ubi fere saporis expers effluere incipit: quo tempore concedendum ut refrigeretur & quiescat aqua distillata, separatione facta pauci quod ad fundum secesserit Olei, recondenda in exigua ampulla vitrea densa, accuratissime obturanda: Demum colatura & expressione facta ejus quod in Vesica subsidet, hoc remoto immittetur libra una optimi cinnamomi crasse contriti, desuper affundendo non solum aquam distillatione prolectam, ab Oleo secretam, sed etiam liquorem ex magma expressum; Impositoque vesicæ refrigeratorio, réque omnino gesta sicuti in priore distillatione, in aquæ fundo paulo major Olei copia conspicua erit quam prima vice, itidem secernendi & recondendi; Resistentiæ expressio iterari poterit, in vesicam novam Cinnamomum im-



mitti, ac insuper aqua distillata affundi, cum liquore per expressionem elicito, iterando macerationem & distillationem, quoad cætera ut prius se gerendo; imo easdem & operationes multoties successive reiterare licebit, unde qualibet vice major Olei copia proditura est, quia quum aqua Oleo jam prægnans facta est, facilius ad fundum secedere permittit id quod secum in distillatione abstrahit.

Aqua hæc distillata in usum venire potest pro Aqua cinnamomi vulgari: Sed si eandem in lagena vitrea accurate obturata recondas, postmodum Soli per aliquot dies exponas, æstate videlicet, vel supra Pistoris furnum collocaes alia tempestate, in fundo etiamnum quidpiam Olei se exhibiturum est, illuc secedentis.

Nonnulli præcipiunt, ad distillationem hanc promovendam, Cinnamomo Nitri unciam unam vel alteram conjungi, Salis Tartari, aut Tartari crudi; rati, ob Salia, hoc aroma pervadentia, majorem Olei copiam ex partibus terrestribus eductum iri: Sed, sicuti superius monui, quandoquidem Salia Oleis conjungi & aduniri amant, contingit ut portionem potius quampiam absorbeant quàm quantitatem augeant.

Vires Olei Cinnamomi & Aquæ Spirituosæ parum absimiles sunt; at in minori quantitate illud vires suas exferit, eo quod substantiam multo puriorem obtinet, subtiliorem & compactiorem, Neque enim una dozi guttam unam vel duas transgredi licet. Sed & Aqua magis idoneum est si conficiendæ Opiatæ, Tabellæ, Pilulæ, aliaque remedia solidiora: Utile præsertim ad parandos Balsamos odoratos, pera gestandos, etsi liquoribus commisceri quoque queat, sed excepta prius paucis Saccharo purissimo in pulverem contrito, vel si dissolutum fuerit in tantillo Spiritu  $\phi\lambda\sigma\gamma\iota\varsigma\omega$  ejusdem Sacchari.

## CAPVT XL.

### *De Distillatione Caryophyllorum.*

**C**Aryophilli aromatici substantia non adeo sicca ac Cinnamomum donati sunt, Atque adeo plus Olei obtinent, sicuti id manifestum quando conteruntur, sed præsertim in illorum distillatione; Circa quam non dissimili forte ratione ac in Cinnamomo videretur procedendum; Sed ut successus melius scopo respondeat, putrefactionis quædam species præ ire debet ut Caryophyllorum partes intimæ facilius resolvantur,



solvantur , ac Salina volatilis & oleaginea sine negotio à terrestri abfedere queant.

Non ideo tamen in distillatione Cinnamomi eadem via procedendum, cujus parter subtiles cum multo minori adsint copia, & in auras facessere paratiores sint, diuturniorem macerationem tolerare nequeunt quin copię multum decedat, atque alteratio insignis propriæ illorum substantiæ inducatur.

Adsumatur, exempligratia, Caryophyllorum libra una, quibus grosso modo contritis, & Cucurbitæ vitreæ immisissis, superaffunde aquæ Fontanæ tepentis libras quatuor, Cucurbitam cooperiendo superimposito Alembico cæco, optime loricato; Qua, post moram duodecim aut quindecim dierum supra furnum Pistoris, cum Alembico decrustata, materiæ contentæ in exiguam Vesicam cupream immittendæ, interiorius optime stanno obductam: Refrigeratorio proprio cooperiendam: qua postmodum fornaci idoneæ imposita, accuratèque luto munitis commissuris, sicuti & Recipientis illi adcommodati, perficienda erit distillatio igne carbonum patente sat intenso, aqua Refrigeratorii prout opus immutata, contiuando quousque exstillarint partes duæ liquoris Caryophyllis affusi: Dehinc, cum vasa ex dimidio refrixerint, per decantationem aqua spirituosa supernatans Oleo in Recipiente segreganda erit: Quo Oleo in ampulla, accurate obstruenda, recondito, Vesica decrustata, atque iterum affusa supra residentiam tota aqua stillatitia, rursus imponendum erit, ac luto obducendum, supra vesicam Refrigeratorium, reiterando distillationem, eademque ac ante via procedendo: Quo pacto nonnihil quoque Olei accedet quod prior distillatio abstrahere non valuit, priori, si ita visum fuerit, adjungendum seorsum aquam distillatam ad usus idoneos adseruando.

Sed & potest prægressa per duodecim aut quindecim dies in aqua tepida Caryophyllorum pulveris maceratione, institui distillatio ex capaci Retorta vitrea, in Balneo Arenæ sepulta, igne moderato; Eademque adhibita Olei separatione, & Aquæ supra subsidentiam cohobatione, iterata suscipi distillatio, ut nihil omnino dispereat partis volatilis, Oleosæ & Salinæ in Caryophyllis contentæ.

Nonnulli, nullo liquore Caryophyllis instillato, his crassiore modo conuisis, ac Retortæ vitreæ inditis, distillationi illos subjiciunt, Balneo arenæ, igne per gradus adhibito, eliciuntque Aquam spirituosam, & Oleum volatile Salinum: Empyreuma autem oleo inustum in hujusmodi distillatione superstes methodum hanc repudiare jubet.



Licet tamen commodissime per Descensum Caryophyllorum distillationem moliri, nullo adjecto liquore, si videlicet linteum tenue, debita magnitudini, extensum fuerit & expansum, circumcircaque ad alligatum, supra capax infundibulum vitreum, idoneæ lagenæ impositum, linteo autem superstrata semuncia circiter pulveris Caryophyllorum, demum repleto cineribus fundo lancis argenteæ, aut ex ferro albo factæ, infundibuli orificio proportionem respondeatis, impositisque supra cineres prunis minutis, presse admoveatur fundum lancis supra Caryophyllorum pulverem, ex temporum enim intervallis prunas minutas cineribus imponendo, Oleum & Aqua spirituosæ Caryophyllorum paulatim in subditam pateram stillatura sunt, pulvere exsiccato & insipido supra linteum superstite: quo sublato, alioque Caryophyllorum pulvere substituto, eadem qua superius via procedendum erit; Continuare poteris hanc operationem plura una vice adhibendo vasa, quousque desideratam Olei quantitatem obtinueris, hocque pacto proditurum est Oleum album, fragrantissimum, elegantia & præstantia nulli cedens, nec minori copia quam si alia via quæsitum esset.

Idem successus ab hac operatione in Cinnamomo non expectandus, cujus partes subriles & volatiles in auras secederent, nec deorsum ferrentur, ad fundum vasis secedente una vel altera aquæ insipidæ gutta.

Oleum Caryophyllorum in multa est commendatione ad Cor & Cerebrum roborandum partisque, omnes principes Felici successu adsumitur in morbis frigidis ventriculi & intestinorum, uteri, sicuti & ad calcar addendum lentius progredienti sanguinis circulationi, Scorbuticis etiam opem fert.

Exhibetur à gutta una ad duas vel tres, Saccharo purissimo pulverifato exceptas, ac liquore quopiam idoneo dilutas: Adjungitur etiam Bolis, Pilulis, Opiatis, Tabellis pluitibusque aliis remediis: Vsurpatur etiam in Balsamis odoratis, ad ventriculum inungendum, exceptum Oleo Nucifæ per expressionem elicito: Commodissime & inditur Dentibus carie exesis ex gossipio, ad doloris sedationem.

Aqua Caryophyllorum spirituosæ in eisdem prope usus venire potest, dosi propemodum eadem qua aqua Cinnamomi spirituosæ.

Nux moschata, Macis distillari possunt parva Vesica cuprea interius stanno obducta, imposito illi Refrigeratorio, eandem observando methodum quam ad priorem olei Caryophyllorum distillationem innui: Sed exigua quæ prodit quantitas pretio illorum aromatum impar est: adde quod via perquam facilis est, ac compendiosa, emolumentumque magis accedit Olea hæc per expressionem si extraxeris quam si aliam viam tenueris: Neque refert præparationem huc inferre, quandoquidem à me fuit tradita ubi de Oleis expressis inter præparationes Galenicæ.



## CAPVT XLI.

*De Distillatione Camphoræ.*

**A**Vthores qui de Camphoræ distillatione aliquid scripto consignarunt operam, ut existimo luserunt, spe enim freti se quidpiam perfectius quam quod Natura exhibuit reperturos ac præparaturos, postquam irritum traxerunt laborem, ipsi decepti alios in errorem pertrahere voluerunt, ac publici iuris facere Distillationes experientiæ dissidentaneas. Ex mea enim sententia satius fuisset distillationem non adgredi Camphoræ; quandoquidem conditionibus, qua ad nos adfertur, prædita, puritate, subtilitate, volatilitate ac penetrandi vi superat quicquid distillationis ope educitur, quæcunq; demum cura accesserit, quodvis studium, industria, commixtio à te adhibita sint, aut quo volueris vasorum genere usus fueris: Illius diaphaneitas; candor niui æquiparandus, sapor acer & mordax, odor intense penetrabilis, illius volatilitas, cita dissipatio, insignis ad flammam, imo ipsis in aquis, concipiendam propensio, omnimoda illius absumptio, nullis fæcum vestigiis in vasis, in quibus accensa fuit relictis, summam illius puritatem ac parti non tenuitatem arguunt: hinc ut asserere liceat quicquid Chymia præstantius excogitare satageret illius puritate, atque perfectione à Natura indita inferius futurum, ac nullam partem crassam ejus ope ab illa secretum iri, imo omnino satius esse ut in constitutione nativa permaneat, ac nulla præparatio adhibeatur quam ut vis illi inferatur, aut probæ qualitates immutentur.

Si enim ad justum examen distillationes ab antiquis proposiæ, revocatae fuerint, id conspicuum fiet præter necessario contingentem maximæ partis Camphoræ dissipationem, suscepta illius distillatione, ratione rei ipsius quam vasorum, imo ignis, quem ipsi adhibendum censent, id quod distillando prolectum fuerit, imo si vis rectificatum, omnino probitate inferius futurum ipsa Camphora antequam distillationi exponeretur: Eapropter nullam descriptionem adducere æquum mihi visum est, cum satis sit dixisse si quis sibi comparare voluerit Oleum Camphoræ, vel ejusdem liquorem oleaginosum, nihil præterea requiri quam ut in Oleo amygdalarum dulcium dissolvatur, vel in spiritu vini, vel etiã terebinthinæ: id quod perfici poterit in Matrario accuratissime occluso in Mariæ Balneo posito, aut cinerum, igne moderato: Sola tamen Camphora, citra preparationem ullam, majori efficacia effectum editura est quam omnes illi liquores.



Aquam fortem nonnulli in usum ducunt, vel spiritum Nitri, Camphoram deducturi in substantiam Oleagineam illis Spiritibus supernatantem: At vero hujusmodi præparatio parvifacienda est, nam præter acrimoniã à Spiritibus corrosivis Camphoræ inductam, illam dissolventibus, non minimus sui particulas illi insinuant, quarum vehementia metuenda est; si præsertim Spiritus hic ad usus internos veniro debeat.

Camphora admodum commendatur in epidemicis & contagiosis aëris infectionibus, tam ad hujus inquinamenta profliganda, quam inhibendam humorum putredinem: sæpissime etiam adhibetur adversus Hystericos vapores, rem ore adsumpta quam naribus admota, aut in Enematis dissoluta: Prisci, frigidam rati, ad Veneris ludibria coercenda præscripserunt, unde natus verficulus qui in adagium abiit.

Camphora per nares castrat odore mares,

At cum Experientia & Ratione ducibus calida sit, quicumque effectus ab illa prodeunt tenuitati partium adscribendi sunt, atque eximiã vi penetrabili.

Exhibetur à grano uno ad tria vel quatuor, prius contrita, ac prope modum dissoluta in tantillo Spiritu vini, vel oleo amygdalarum dulcium, demum liquore idoneo diluta: Commiscetur etiam Clyteribus uterinis, à tribus vel quatuor granis ad decem vel duodecim. Aliquando granum unum vel alterum denti carite affacto inditur, aut dissoluta in Spiritu vini; Imo & Gargarismi forma ad dentium dolores usurpatur.

## CAPVT XLII.

### *De Distillatione Terebinthinæ.*

**N**ON suscipio hoc loco singularem modorum omnium varias Resinæ differentias distillandi descriptionem, quandoquidem Terebinthinæ distillatio, quæ Resinæ liquidæ species est, cuius quadrare potest: Accipiantur illius, exempli gratia, libræ duæ vel tres, capaci Retortæ Vitreæ, in Balneo Arenæ collocatæ indantur, illicque coaptato Recipiente, optime luto incrustato, inchoetur distillatio igne moderato, atque illico proditurus est spiritus acidus, aquæ commistus & Oleo æthereo volatili, inflammabili admodum, pellucido: seorsum ad servando: Deinde eundem ignis gradum continuando, elicietur Oleum ad candorem vergens, cui succedet Citrinum, ac postmodum aliud omnino flavum, tandem ultimum Rubrum.

Licebit, si lubeat, cuncta dicta Olea seponere, ac variis ampullis, accurate obturandis, recondere; Sed si vice Recipientis adsumpta fuerit



fuerit lagena oblonga, ad finem usque distillationis linquenda, in illa conspicua erit Oleorum diversitas sibi invicem incumbentium & supernatantium, inter quæ Rubrum infimum obtinebit locum, eminebit illa flavum, huic ciatrinum, citrino album, albo tandem æthereum, dummodo debitum adfuerit Ignis regimen.

Iisdem propamodum viribus pollent hæc Olea, sed efficacia major aut minor est pro altitudinis gradu quem in Recipiente observant, ac tincturæ diversitate: Infimus ordo quem coloratiores obtinent in distillatione, signum præbet evidentissimum gravitatis illorum substantiæ, ac quam parum ideo accedant ad efficaciam & penetrabilitatem eorum quæ summum locum occupant.

In Retortæ fundo conspicua erit Terebinthinæ pars crassissima, Authoribus Colophonix voce veniens, ex qua iterum prolici posset Spiritus Acidus, intensiori reddito igne, ac tandem Oleum obscurius: Sed satius est abstinere, adservando Colophoniam in confectionem unguentorum, emplastrorum vel aliorum externorum remediorum.

Nonnulli præcipiunt in distillatione Terebinthinæ admiscere aquam, alii stupa cooperiri ad tumorem deprimendum, ac prohibendum ne in Recipiens per Retortæ rostrum illabatur: Sed ejusmodi cautiones inutiles sunt dummodo debitum semper adfuerit ignis regimen, præsertim inchoente distillatione.

Sal volatile Terebinthinæ, quod delitescit in parte, Acida Spiritus ætherici, ac in Oleis prius prodeuntibus, plurimum confert augmento efficacix illis adsignatæ, quarum præcipua est urinæ excretioni vasa dicata referare, Eorundem ardorem temperare, Calculi generationem prohibere, ac Gonorrhoeam sistere.

Plurimum etiam conferre dicitur in Thoracis affectibus, imo & Ventriculis, Hecoris & Lienis, sicuti & ad resolvendas contusiones internas, casus ab alto subsequi solitas, ac sananda ulcera & vulnera interna.

Exhibentur à tribus aut quatuor ad decem aut duodecim guttas, ex liquore idoneo: Exterius feliciter in usum venit ad Fistularum curationem rimarum, ac ulcerum labiorum, mammarum & ani, sicuti & ad omne vulneris genus, & in specie nervorum, & purganda ac sananda ulcera tum vetusta tum recentia, ecchymomata discutienda, dolores sedandos, Tumores resolvendes: Valere & fertur adversus Surditatem, instillatis aliquot in Aurium cavitatem guttis.



## CAPVT XLIII.

*De Distillatione Mastiches.*

**S**Vnt qui ad Mastiches Distillationem partes æquas pulveris filicum cum tantillo sale commisceri jubent, ad eliciendum ex Retorta, igne per gradus adhibito, Liquorem album, Oleum Flavum ac tandem Oleum rubrum; imo rectificari demum præcipiunt in exigua Retorta, separandi gratia Olei fusci, infundo à rectificatione supersticis.

Alij misceri Mastichen volunt cum Bolo pulverisata, massam molliorem confici addito vini Spiritu, factaque per quindecim dies maceratione ex Retorta igne patente distillari, secretoque Oleo volatili alteri liquori supernatante, ac Oleo gravi ad fundum secedente, eadem rursus rectificari affundendo recenti bolo & sali.

Et quorundam quoque mente, immissa Retortæ Mastiche pulverata, adeo ut tertia tantum illius pars repleatur, affusa Spiritus Salis ea quantitate quæ ad rite humectandum sufficiat, ex Retorta distillatio perficienda Balneo Arenæ, igne per gradus recte adhibito, unde primo non nihil phlegmatis prodeat, postea Oleum elegans & pellucidum, Spiritui Salis distillatione prolecto commistum; Deinceps Oleum Flavum, ac denique Rubrum: Scorsim quoque hos liquores ad servandos jubent, imo Rectificari.

Reperiuntur & alij qui hac utuntur methodo, Extracta Tinctura Florum verbasci albi & hyperici, ope Spiritus Terebinthinæ, affundunt hanc Mastichi æquali pondere, ac digestionem quindecim dierum instituunt, eductoque igne Arenæ hoc Spiritu, imo cohobatione bis aut ter super Mastichen facta, mutatoque tandem Recipiente, extrahunt Oleum Flavum, ultimo vero Rubrum, imo postmodum calcinato magma-  
te, Sal eliciunt prædictis Oleis miscendum.

Cuius electio optimæ distillationis rationis conceditur, imo & novas excogitare si licet: Me vero quod attinet, censeo ad rectam Mastiches distillationem sicuti in Terebinthina dictum procedendum esse, quia si debirum adfuerit ignis regimen, primo loco proditurus est humor aqueus, non nihil acidus, cujus comites erunt quædam particule Salis volatilis, postmodum Oleum Flavum, quæ rectificatione nequaquam indigebunt; quo pacto, nullo negotio, nullaque inducta Mastichis qualitate aliena ab adjectis rebus extraneis, consequi licebit partes illius maxime essentielles, melius obsecundaturas votis quorum gratia Mastiche in distillationem venit.



Oleum Mastiches distillatum plurimi censetur momenti in Ventriculi imbecillitate, hujusque & intestinorum perverso motu: in sanatione & consolidatione vulnerum & ulcerum, tam Pulmonis & Pectoris quam aliarum partium corporis interiorum, In obstruendis orificiis venarum & arteriarum, sistendaque quaeunque Hæmorrhagia.

Exhibetur ex liquoribus idoneis à quatuor & quinque ad duodecim & quindecim guttas: Ad externos quoque usus utile est; tam ventriculo & universo abdomini illitum, ad juvandum usum remediorum interiorum adsumptorum, quam ad vulnera nervorum ac quarumvis aliarum partium adglutinanda; imo & Injectionibus commiscetur ac Decoctis Traumaticis, si vulnera alius inflicta fuerint: Felicissime & Inunctiones illud admittunt ad membrorum vel fractorum vel luxatorum robur.

Resina vulgaris, Pix nigra, Olibanum, Gummi Elemi, Sandaraca, Tacamahaca, Sarcocolla, Euphurbium, ac ejusmodi, non secus ac Terebinthina & Mastiche distillanda sunt.

## CAPVT XLIV.

*De Distillatione Benzoini.*

**S**ubstantia resinosa Benzoini indicare videtur artifici distillandi rationem, quæ cum reliquis resinis convenire videtur, at gratus illius odor, tenuitas & volatilitas principum illius partium, aliter omnino procedendum suadent; nisi enim accuratæ adsint cautelæ, destructio potius quam legitima preparatio metuenda: qui ergo aberrare noluerit sequenti viæ insistat.

Accipiatur Benzoini electi libra una, pulverifetur & immittatur capaci Retortæ, amplissimi & longissimi colli; affandantur Spiritus Vini optimi libræ tres, optime hæc commovendo & una conjungendo; deinde coaptato, & luto obducto, exiguo Alembico cæco, collocetur Retorta supra Pistoris furnum, adeo ut illius propolis sursum vergat, res contentas per vices concutiendo, promovendæ causa Benzoini dissolutionis in Vini Spiritu: Postmodum Retorta imponenda erit Balneo Arenæ, ad commodando illius restro, remoto Alembico cæco, Excipulum loriatum & vestitum vesica madida, dehinc igne moderatissimo primo extrahendus erit Spiritus vini, subsequenteribus & sursum se evehentibus Spiritibus Benzoini; qui statim ac conspicui erunt, adponendum erit Recipiens ma doris omnino expers, priori detracto; illud leviter luto inersu stando ut per vices excepti flores eximi queant, sicuti & qui collo Retortæ ad hæc suri sunt; Flores hos recondendo in vase Ci



treo accurate occludendo, & Recipiens sedi pristinae restituendo statim ac educti fuerint Flores, ut & qui retortae rostro adfixi fuerint: Perfectae vero loricanda erit Retorta cum ex hac prodire animadversus fuerit liquor crassus, qui primum est Benzoini Oleum, eodem ignis gradu distillandum; quo ulterius producto exstillabit liquor acidus, dein Oleum Flavum, pellucidum, & fragrans, à tandem Oleum crassum & viscidum.

At quae haec sunt substantiae ex Benzoino distillatione eliciendae, quas tamen simul & semel obtinere vix licet, sat enim est ut plurimum Flores aut Tincturam consequi.

Quibus solos Flores indagare animus est, illi sublimatione citra negotium haberi possunt, immittendo Benzoini pulverisati uncias duas vel tres, vasi argillaceo longiusculo, Balneo Arenae imponendo, cooperto longo cucullo chartaceo & denso, cujus orificium proportionem respondeat ollae circumferentiae: circumcirca enim filo crassiori constricta parte cuculli infima, beneficio ignis moderati, infra Balneum arenae accendendi, sursum se efferent, ac interiori cuculli superficiei adhærebunt Flores Benzoini, leves, candidi, ac nivis in morem splendentes, crystallorum longiusculorum & acutorum forma, quorum, odor gratus ac suavis futurus est, ac substantia subtilis & penetrans veri Salis volatilii sulphurei Benzoini nomine donandus.

Neque ardua est preparatio Tincturae Benzoini, quandoquidem hanc nancisci licet in dissolutione illius facta cum vini Spiritu ante Distillationem, quae dissolutio per decantationem lagenae vitreae immissa vera Benzoini Tinctura censenda & nominanda est.

Proculdubio Tinctura haec in se complectitur cunctas Benzoini partes utiles, à spiritu vini dissolutas: feces autem in fundo relictae nihil aliud sunt quam corpora à extranea Spiritu vini intacta neque dissoluta: Illud quoque pro comperto habendum Spiritum vini, qui prior in distillatione Benzoini distillat, secum plurimas particulas Salis volatilii Benzoini abstrahere, cum parte illius Sulphurea singulari adfinitate conlunctas, id quod ex odoris fragrantia deprehendere licet, atque insignibus effectibus ab ipso interius adsumpto expectandis, à drachma semis ad drachmas duas, ex aquis aut decoctis idoneis si sudores excitandi fuerint; vel exterius admoto tanquam cosmetico, vice Tincturae Benzoini, expurgat enim, detergit, ac penetrabilitate superat.

Licet & in praedicto spiritu dissolvere Flores & substantiam butyrosam Benzoini, quae ad eorundem Florum naturam accedit, elicere Tincturam puriorem, subtiliorem, minorique multo copia quam simplex Benzoini Tinctura, aut Spiritus Vini inde deducendus, opus expectatum edituram.

Neque



Neque illud quoque dubium Flores Benzoini partem illius esse maxime essentialem, è qua præcipui effectus expectandi sint, tum ad attenuandos vitiosos humores, ac per ambitum corporis expellendos eos qui illuc vergunt, quam ad incidendum, divellendum, ac per emissaria folita crassiores & viscidiores eliminandos, eos præsertim qui pectori in hærent, Flores dictos exhibendo à tribus aut quatuor granis, ad decem vel duodecim, ex liquoribus idoneis, vel commiscendo Eclegmatis, aliisve Medicamentis thoracis: Commodissime etiam adjunguntur compositionibus odoratis, ad quas potissimum adhibendum Oleum Flavum, quod partem acidam sequi solet: Oleum crassum & viscidum ultimo prodiens quod attinet, in alios usus venire non potest quam ad expurgationem aut consolidationem vulnerum aut ulcerum, Neque disquisitione dignum esset, nisi sponte, nullo fere sumptu, ceteris substantiis succederet.

Storax eadem qua Benzoinum ratione in distillationem venire potest.

## CAPVT XLVI.

*De Distillatione Myrrhæ.*

**M**Yrrha cum Gummi Resinis sit accensenda in qua partes aqueæ & oleagineas superant, omnino distincto modo distillationi subji-cienda; hæc ut succedat, electæ, & sat subtiliter contritæ istius Gummi Resinæ, libra immittenda grandi Retortæ vitreæ, affundendo aquæ vitæ optimæ libras quatuor, illico simul commovendo, ac deinde, imo per vices, interim dum sit duodecim horarum maceratio, ut facilis sit Myrrhæ in aqua vitæ dissolutio, Postmodum demersa Retorta Balneo arenæ, cui ad commodandum erit rite loricatus semiglobus vitreus, inchoanda, initio igne leni, distillatio eodem paulatim intensiore reddito, præsertim sub finem, quo facilius prodeat universa Myrrhæ pars oleaginea, seponendo Spiritum in distillatione prius eductum, ac loricando iterum semiglobum, ad excipiendum quicquid in posterum proditum est.

Cuncta distillata cum fuerint, vasa autem refrigerata, ac secretus humor superfluous aque vitæ ab eisdem parte oleaginea, atque postrema hæc commista æquali ponderi vitrioli ad albedinem calcinati, rectificanda erit immissa exiguæ Retortæ vitreæ ope Balnei arenæ, igne moderatissimo, hinc exstillabit Oleum minus crassum, at multo quam ante purius, ratione vitrioli, quod sibi adsumpsit partes crassiores & terrestriores: Porro, cum Vitriolum proculdubio huic Oleo acrimoniam non nullam impertire soleat, neque dum puritatem requisitam adeptum sit, commiscendum erit æquali ponderi ossium bubulorum aut verrecinorum, contritorum à calcinatione,



& quadruplo aquæ fontis ; quæ simul immiffa Alembico vitreo , ex multis partibus non conflato , quod adcommodatam habeat exiguum Recipiens roftro adpenfum, Arenæ Balneo , igne moderatiffimo extrahetur Oleum Flavum , elegans & pellucidum , polychreftum , Lumbricos videlicet enecandi vi pollebit , venena impugnet , humorum putredini obfiftet , viscerum omnium obftructions referabit , fed præfertim Vteri.

Exhibetur à duabus vel tribus guttis ad feptem vel octo , exceptis Saccharo pulverato, demum liquore idoneo dilutis; Commifcetur etiam Pilulis , Opiatis, variisque aliis remediis

Nonnulli fatis habent Myrrham in aqua vitæ diffolvere , vel Spiritu vini , atque ex hac diffolutione extractum educere , prævia filtratione.

Præparationem Olei Myrrhæ per deliquium tradidi inter cæteras Galenicæ.

## CAPVT XLVI.

### *De Diffillatione Gummi Ammoniæ.*

**A**mmoniæ cognomen huic Gummi impositum ab Ammonis Templo , quo Ethnici quondam Iovis Oraculum consulendi caufa commigrabant , & quia ibi fuit locus natalis istius Gummi , cuius substantia aquea & viscida methodo fingulari indiget parum Myrrhæ præparationi simili.

Ex sententia quorundam admifceri poffent , Bolus , Laterum aut Sili-cum pulvis , Gummati Ammoniaco , Galbano , Opopanaci , aliisque aqueis naturæ confimilis antequam diffillanda Retortæ indantur : Sed etiamfi hæc Gummata facile in Retorta intumescant quando ab intensiore igne urgentur , ac tunc per Retortæ rostrum exitum moliantur , in Recipiens descensura , Diffillatio tamen commode citra ullius rei extraneæ additionem potest institui , ac extra metum successus cuiusdam improperi , dummodo debita inter vasa & ignem adfuerit portio.

Quibus Fornaces & Vasa Retortæ excipiendæ idonea suppetunt , atque rerum contentarum diffillationi peragenda copia, beneficio aëris excalesfacti inclusi , admodum commodam hoc in casu nacti essent occasionem , At cum non omnibus ex æquo contingat ; alia media non defunt , nec incerta , five per Mariæ Balneum , commixta ligni scobe , five Cinerum , five Arenæ , dummodo ignis debite regatur , ac Retorta adsumatur sufficienter capax.

Acci-



Accipiatur ergo Gummi Ammoniacy electi libra una, immittatur Retortæ vitreæ, magnæ, profundæ imo capaci, si ita luberet, decem aut decem portionum similibus ejusdem gummaty: Ejusmodi Balneorum quod libuerit eligendum, cui imponenda Retorta, ad commodandum ejus rostro vastum Recipiens, probe loricatum: Inchoanda erit Distillatio igne moderato, eundem gradum diutius observando, donec animadvertatur distillationem multum progressam esse, ac intumescentiæ periculum abesse, quo tempore intensione igne opus est, imo sub finem is urgendus, ut ex Retorta prodeat ultimum Gummi Oleum, cum Recipiens omnino pellucidum evaserit.

Refrigeratis postmodum sponte vasis, decrustatoque Recipiente, in hoc deprehendetur Spiritus Acidus, præditus Sale volatili Gummi, plurimo phlegmati commixtus, ac simul Oleum crassum & fœtidum, quarum rerum omnium suscipienda rectificatio, has affundendo ossium calcinatorum pulveratorum Libræ uni, inditorum Cucurbitæ vitreæ; huic imponendo Capitellum vitreum bene loricatum, ac superponendo Balneo Arenæ, igne admodum moderato: hoc enim partes Olei crassissimæ, & maxime aquea primæ distillationis, in fundo subsidebunt, interim dum purissimæ & volatiles in alembicum eveherentur, in Recipiens distillaturæ, illi coaptatum & loricatum.

Imo & iterata Rectificatio institui poterit, aliis ossibus calcinatis & pulveratis quicquid distillatione prelectum fuerit affundendo; ac tandem Oleum stillatitium volatile partis Spirituosæ segregando, in quo proculdubio delitescet Sal volatile gummi, dummodo accurate vasa luto obducta fuerint, tum in priore distillatione, tum subsequentiibus ambabus rectificationibus.

Spiritus Gummi Ammoniacy admodum conveniens est ad referendas Iecoris obstructions, Lienis & cunctorum viscerum, quo fit ut felici successu præscribatur in Hydrope, Ictero & Cachexia, imo in Ischuria, sed præsertim in affectibus uterinis, ab obstructione mensium oriundis.

Exhibetur præmissis generalibus remediis, horis matutinis, jejuno stomacho, à quinque aut sex ad quindecim aut viginti guttas, ex liquore quopiam idoneo, exceptas saccharo pulverato, demum liquore convenienti dilutas: Vtilissime quoque adhibetur in quovis Colico dolore, tam per os adsumendo quam enematis admiscendo, quibus commiscetur ab octo vel decem ad viginti aut triginta guttas; Eadem etiam ratione in usum adduci potest ad facilem Partum, ac Naribus inungi ad discussionem vaporum Vterinorum, quæ eadem præstat Oleum non rectificatum.



## CAPVT XLVII.

*De Tincturis Chymicis Vegetabilium.*

**T**incturæ nomen indidit Chymia extractioni aut separationi coloris unius, aut plurimorum mixtorum, ejusque in quempiam liquorem aut menstruum idoneum transitui: Ejusmodi extractio, aut coloris separatio, in se continet portionem purissimæ mixti substantiæ, quæ à proprio corpore secreta dissoluta est & menstruo conjuncta, id & coloribus & viribus suis imbuens.

Vegetabilium Tincturæ in Pharmacia Galenica vſitatissimæ sunt, at fere non nisi usurpationis tempore præparari solent; sin ad aliquod tempus conservandæ fuerint, lagenis illæ excipiuntur, quarum summæ parti tantillum Olei infundatur, ad prohibendum aëris ingressum à quo corruptionis periculum illis imminet: At cum Pharmaciæ Chimiæ scopus sit Tincturas purissimas elicere, ac durabiliores iis de quibus à me superius actum præstare, eum in finem adhibet Menstrua corruptioni minus obnoxia, ejusque indolis ut affinitate quadam jungantur cum substantiis unde Tinctura elicienda est, quæ non minus sibi adsumet utiles facultates Menstruorum quam Mixtorum Tincturam fundere idoneorum: Nonnunquam tamen factis est illam educere ex nonnullis herbis aut Floribus, mediantibus earundem aquis stillatitiis, addito tantillo Spiritu Vitrioli aut sulphuris, juvandæ gratia aquarum penetrationis: tum vero Sacchari cantii, aut alias purissimi legitima quantitas in Tincturis ejusmodi filtratis dissolvenda, ut ad aliquod tempus in lagenis accurate obturatis asservari queant.

At de Vini Spiritu sciendum est illum non solum vſitatissimum menstruum esse, aptissimum extrahendis Tincturis ex maxima Vegetabilium parte, illorum præsertim quæ superfluo non scatent humore, & quorum substantia partes resinosas obtinet, sed etiam maxime analogum & idoneum excipiendis, suoque sinu fovendis illarum partibus purissimis & magis essentialibus, dummodo cautio adsit nequicquam dum maceratio instituitur in auras avolet, & ut ejusmodi Tincturæ lagenis densis & exacte occlusis custodiantur.

Excipitur, exempli gratia, Matratió, aut Cucurbita angustioris colli, certa quantitas summitatú Absinthij mundatarú, illis affunditur optimus Vini



Excipitur, exempli gratiâ, matratio aut cucurbita angustioris colli, certa quantitas summitatum Absinthij mundatarum; illis affunditur optimus vini spiritus, donec absinthium tribus aut quatuor digitis superet, committitur matratio, aut cucurbitæ cum alembico coeco, luto probe obducendo; cum omnia per octiduum eirciter macerata fuerint, pistoris furno superimposita, vel loco cuiuspiam modice calenti, percolanda sunt & exprimenda, vnde elicitur Tinctura viridescens, partibus purissimis & maximè essentialibus Absinthij imbuta, filtranda, & in lagena vitrea duplici probe occlusa adseruanda: dosis illius est à scrupulo vno ad binas drachmas, ex vino vel liquore quopiam idoneo, in ventriculi affectibus, jecoris & vteri.

Eadem ratio est extrahendarum cæterarum omnium Tincturarum ex plurimis lignis, corticibus, gummatibus, baccis, radicibus & seminibus aromatica vt donatis; vt & ex croco, plurimisque floribus cardiacis & cephalicis, imo quorundam fructuum corticibus, eadem dozeos observata ratione, ac in usum adducendi quam jam memoravi de Absinthio loquutus.

Eodem propemodum modo concinnantur plurimæ Tincturæ cephalicæ, cardiacæ, stomachicæ, antiscorbuticæ, &c. ex variis vegetabilium partibus, varia dozi præscriptis comparatæ, quarum descriptiones huc inferre animus non est: Id hoc loco monitum volo, Chymiam plurimam suarum operationum partem à Tincturis inchoare, sicuti id in operis ferie manifestum fiet.

## C A P V T XLVIII.

*De Elixiris.*

**E**Lixiria à Tincturarum natura parum recedunt, ex quibus compositionis maximam partem mutuantur: quoad nominis Elixir etymon dissensus est apud auctores, alij enim deriuant ab *ἐλαρον* & *σύρω*, eiusmodi remedij comparisonem instituentes cum Olei extracto; ex illorum mente mixtorum parte maxime essentiali: Alij deductum volunt à verbo *ἀλεξέω*, ab insigni auxilio quod adferunt Elixiria: Alij à voce Arabica *Alechsiro*, quæ designat cuiuspiam essentiæ artificio comparatam eductionem.

Missâ verò nominum consideratione, definitio Elixiria liquores spirituosos, vsibus internis adpropriatos, mixtorum exquisitorum purif-



lima parte præditos , in ipsos transfusorum mediante infusione aut maceratione.

Spiritus è vegetabilibus educti , vel eorundem Aquæ spirituosæ , ut plurimum Elixiriorum sunt basis ac menstrua, in usum venientia dissolventæ gratia & excipiendæ ipsissimæ medicamentorû essentiæ, illorum compositionem subeuntium ; Spiritus tamen vini omnium maximè idoneum censetur menstruum , quo fit ut crebrius quam quodvis aliud in usum advocetur, si præsertim Elixirio substantiæ quædam oleaginosæ aut resinosæ dissolvendæ sint ad sociandæ ; aromatum præsertim , cum magmate peracta infusione alias restibiles, nisi liquor quispiam ad finitatem coniunctus, ac intime commisceri idoneus occurrat.

Nihil tamen prohibet quin sæpissimè aquæ minus spiritibus turgentes huic spiritui ad socientur , ad istius acutiem obtundendam cum huiusmodi substantiis imprægnatus est , & ut Elixirium commodum & idoneum evadat quod ore adsumi possit, si seorsum exhibendum fuerit : Neque etiam quicquam obstiterit quin tantillum sacchari , aut cuiuspiam syrupi addatur , ad saporis scilicet gratiam : at verò necessitas nulla incidit ut spiritus huius vires infringantur , uti neque Elixirij quando solitarium exhibendum fuerit , sed tantum ex liquoribus quibusdam idoneis ; Eapropter tunc similia Elixiria à quinque aut sex tantum guttis porriguntur , ad quindecim aut viginti cum bina, imo terna cochlearia illorum sumuntur quorum spiritus retusi fuere, additis aquis spirituosis, dulcoremque conciliando adiectione sacchari vel syrupi.

Præparatur, exempli gratiâ, Elixir camphoratum , digestionem committendo, aut in Balneo Mariæ dissolvendo, vel etiam cinerum, camphoræ semiunciam in vini Spiritus vncijs quatuor, exiguo matratico immittendo , quod excipiat alembicum cæcum , utrumque luto optimè communiendo ; Cui dissolutioni Elixirij nomen imponitur, cuius ad summum vna vice viginti guttæ exhibentur, ex vino vel aqua quapiam cardiaca, sudorem ergo elicendorum, corroborandi, malignitatem aëris & venenorum impugnandi, podagricis opem ferendi, ac in quibusvis cerebri affectibus insigne auxilium præbendi : Guttæ necnon aliquot commodissimè ex pauco gossypio dentibus excavatis immittuntur, ad doloris mitigationem.

Elixir Citratum , vel è Citro, hoc modo præparatur, Matratico immittitur semilibra Corticis flavi extimi mali Citrij, centusi, aut minutissime incisi, super-affusisque libris duabus spiritus vini optimi , ac semilibra citri succi depurati , superponitur matratico exiguum alembicum cæcum, accurate luto obductum ; quod spatio viginti quatuor horarum  
super



super furnum pistoris detinetur, demum percolantur & exprimuntur mediocriter omnia, commisceturque æqualis quantitas aquæ stillati-  
tix scorzoneræ, cum sesquilibra sacchari purissimi pulverisati, demum omnibus per chartam emporeticam transcolatis, adjiciatur, si lubet, Tincturæ moschi & ambre griseæ drachma vna; quo modo conficitur Elixir cardiacum suavissimum, cuius exhibendum semicochlear vel integrum, imo ad bina vsque cochlearia, refocillandarum gra-  
tia vitium & recreandarum partium omnium principum.

Præparationem hanc quod attinet, omninò mihi probanda est sententia Schroderi & Rolfinkij, ratione succi citrij huic Elixirio ad-  
diti, ad conciliandum non modo acorem gratissimum, sed & calorem temperandum, spiritusque vini acrimoniam infringendam, etsi contra sentiat Fridericus Hofmannus Hall-Saxo Medicus, qui hoc in casu scriptis Schroderi adversarius, quæ commentariis illustranda suscepit, & in cuius tanquam magistri verba iurare addictus erat, succum citri ab-  
strahendum jubet ab hoc Elixirio, affectibus cordis adproprio, & ad pestis truculentiam obtundendam, nulla huiusmodi accisionis al-  
lata ratione. Hic verò Doctor parum memor est antea se allatorum, quandoquidem alibi, non magis experientia quam ratione fretus, succum citri vnicum veneni viperini alexiterium statuit, cuius indoles, & facultates æquè ipsum latent ac succi citri, quem ab hoc Elixirio intempestivè eliminare satagit.

## C A P U T X L I X.

*De Elixirij Proprietate.*

**E**A est celebritas huius Elixiris, effectus eius autem adeo noti vt nequaquam prætermitti debeat, quinimò huic singulare assigna-  
turus sum caput; Vnanimi Authorum consensu Paracelsus huius reme-  
dij est inventor, at cum notitia illius manca ex illo habeatur, silen-  
tioque menstruum necessarium involuerit, multum negotij facescit  
posteris, vnde orta diuersitas descriptionum apud Authores prostan-  
tium: A Crollio tamen exhibita omnium acceptissima est, etsi  
summa cum ratione reprobandus sit spiritus sulphuris ab ipso præ-  
scriptus, eliciendæ gratiæ tincturæ Myrrhæ, Aloës & Croci, quan-  
doquidem huic spiritui tanta caustica vis inest vt purissimam horum me-  
dicaminum substantiam destruere valeat, eosque pacto artificem sine  
frustrari, ægros autem sperato successu ab vsu huius Elixiris.



Neque etiamnum, si bene sentio, hos in vsus commodius vsurpantur liquores ex quorundam salium vegetabilium aut mineralium resolutione elicti, Alkaest nomine donatorum, quandoquidem Myrrha, Aloë & Crocus imparia sunt ferendæ acrimonix his salibus innatæ, à quibus proculdubio destructio & consumptio imminet partis illorum purissimæ & maximè essentialis: Ex mea vero sententia, hoc in casu, & quovis eiusmodi, disquirenda menstrua quæ similitudine substantiæ convenient cum materiis e quibus pars maximè essentialis ferenda est; Cum autem Myrrha, Aloë & Crocus substantia consentanea, cui permixtæ oleagineæ, extractio proculdubio ad votum futura est si menstrua analogæ aduocata fuerint, cuiusmodi sunt mihi familiaria ad istam præparationem.

Immittantur Cucurbitæ vitreæ, oblongiore collo præditæ, partes æquales Myrrhæ electæ, Aloës Socotrinæ, & Croci purissimi subtiliter tritorum; his leuiter irroratis paucillo spiritu sulphuris, temperati adiectione partium æqualium spiritus vini, affandatur aqua melissæ stillatitia, quousque tribus digitis emineat; demum sedulo commotis materiis, coopertaque cucurbita imposito exiguo Alembico coeco, luto optime obducto, maceratio instituat per quindecim dies super Pistoris furnum, per vices agitationem materierum renouando, vt in hunc liquorem transfundatur quicquid materiæ aqueæ inest his medicamentis, illa videlicet quæ in mensuris aqueis dissolui idonea est: demum luto liberatis vasis, decantato, filtrato, & seorsum reposito, liquore Tinctura imbuto, materiis supernatante, in vicem illius succedat affusio spiritus vini optimi, tertia parte copiosior quam aqua melissæ; Postea accuratè iterum luto obductis vasis, renouata & continuata maceratione, toto bimestri, materiisque per vices commotis, sicuti prius, eodem quoque modo filtrandus erit liquor, purissima horum medicamentorum essentia imprægnatus; quibus novus vini spiritus affundi posset, renouarique maceratio, sed frustra esset hic labor, quod magma effectum sit.

Tinctura ergo ista priori commiscenda per aquam melissæ elictæ: ex his cucurbitæ vitreæ immixtis, Alembico illi imposito, probe luto obducto, in Balneo cinerum collocato, igne moderatissimo eliciendi erunt liquoris partes circiter duæ; demum refrigeratis vasis, & materiis in iis contentis, lagenâ vitreâ densiori infundendum erit id quod in cucurbita superstes est, qua accuratè obturata liquor prædictus in vsus custodiendus erit.

Ne vero recedam à sententia plerorumque Authorum, spiritum sulphuris partem compositionis istius Elixiris constituentium, portioni huius



huius liquoris concentrati superfundi poterit triens aut quadrans spiritus sulphuris, eorumque coniunctorum maceratio per bimestre institui super Pistoris furnum, in matratio, superimposito Alembico coeco luto obducto, toto enim illo tempore Acidum spiritus sulphuris mortificaturum est maximam Aloës & Myrrhæ partem; Intime vero se admiscens & coniungens isti liquori concentrato, perfectionem inditurum huic Elixirio, aptumque illud effecturum vsibus in quos ab Authoribus excogitatum fuit, præsertim Crollio, censenti istud Elixir Balsamum fuisse antiquorum, Balsami naturalis viribus omnibus donatum, ad conservationem corporis requisitis, ac potissimum senum; Mira præstare idem asserit in cunctis Pulmonum affectibus, in contagiosis & epidemicis affectibus, aërisque infectionibus; in corroborando ventriculo, eiusdemque & intestinorum doloribus mitigandis; sicuti & capitis, vertigine sedanda, confirmanda memoria, renum calculis atterendis, præcauenda Arthritide & Paralyfi, curanda febre Quartana, tuenda iuventute & prohibenda immatura senectæ, curandis ac cito ad cicatricem deducendis vulneribus & vlceribus internis; Paucis, illius eam esse efficaciam vt omnes infirmitates tam calidas quam frigidas superare valeat.

Exhibetur à quinque vel sex ad duodecim vsque & quindecim guttas, ex vino vel quopiam alio liquore idoneo. Cum porro istud Elixir, per spiritum sulphuris præparatum, non omnibus sine discrimine conveniat, illis potissimum quorum affectus solum adscribendi sunt vehementiæ symptomatum à spiritu sulphuris inducendorum appositissimum fuerit seorsum adseruasse portionem Tincturæ concentratæ, vt pro re nata remisceri queat tertia aut quarta pars, pondere æstimata, spiritus volatilis salini cornu cervini optime rectificati, aut alterius cuiuspiam spiritus eiusdem indolis, à quo, illis se adiungente, obtundi queat acidorum aculeus, eoque juncto metuendos effectus declinare liceat. Id quod summo iudicio adhibito præstitum obseruavi à peritissimis quibusdam Medicis, quibus cum intima morborum natura probe perspecta sit, felici successu adhibent remedia illos superare apta nata.

## C A P U T L.

*De Extractis Vegetabilium.*

**E**Xtracti nomen obtinet vegetabilium pars purissima, à crassioribus secreta, ac in menstruo quopiam idoneo mediante digestionem dif-



soluta, postea ad solidiorem consistentiam beneficio distillationis, aut humiditatis menstrui exhalationem deducta.

Vt plurimum Extracta initium ducunt à materierum Tincturâ; hæc in essentiam adducitur, consistentia mediam inter Tincturam & Extractum, quæ Essentia tandem in Extractum conuertitur.

Varii quoque succi in extractum abire queunt, superfluo illorum humore in vapores soluto, ac speciatim plurimorum Fructuum, Baccarum & Herbarum; sed multo plura præparantur extracta affusis menstruis illis vegetabilium partibus è quibus eadem elicere animus est, quam solò illorum vsurpato succo, quandoquidem sæpenumero confugiendum est ad liquores extraneos, extractionis & separationis gratia purissimæ substantiæ plurimorum succorum condensatorum, extracti formam præ se ferentium, cuiusmodi sunt Opium, Aloë, Scammonium, &c. vt ab illis secernantur partes crassiores à purioribus requisitis.

Nonnulli scripto mandarunt à præparatione Extractorum abstinendum esse, quia, inquit, metus est ne inter præparandum materierum pars maximè essentialis in auras abeat; Hæc quidem locum habent in quibusdam aromatibus, quorum partes volatiles & tenues, cum ignis impatientes sint, proculdubio per liquoris euaporationem dissipantur, aut accedente distillatione sursum evehuntur, si partes fixiores conseruare scopus fuerit; At non omnes vegetabilium partes eiusmodi dissipationem experiuntur, adde quod sæpenumero illis spretis fixiores tantum exquiruntur: Cum porro secretio purissimarum partium ab Impuris in quibusuis extractis admodum necessaria sit, hanc autem in plerisque consequi non detur nisi menstruo quopiam idoneo dissoluantur; vsus autem plurimorum extractorum non minus ægris conducatur quam Medicorum scopis faueat, immerito à censu præparationum Chymicarum relegaretur.

Extractorum præparatio ut ex voto succedat, studio adhibito indaganda est natura substantiarum partium vegetabilium extractioni subiciendorum, ut conueniens exquiratur menstruum, quod adfinitate cum partibus puris coniunctum valeat dissolutione illorum facta eadem sibi adsumere; & à partibus crassioribus secernere: Qua in re ab illis dissentio, qui hoc in casu, dimisso spiritu Vini, in vsum solum Roris spiritum adducunt, vel aquam pluuiam stillatitiam, tanquam menstruum vniuersale ad quæuis extracta vsurpant; quandoquidem non quæuis substantia in illis dissolui apta nata est, præsertim si sit naturæ resinose, ad quam Chimiæ nullum aptius occurrit spiritu vini: Nihil  
tamen



tamen prohibet quin commodissime veniat in vsum spiritus Roris, vel Aqua pluua distillata ad plurimas alias dissolutiones partium purarum instituendas, præsertim multorum florum ac nonnullarum herbarum quarum præcipuæ partes aqueæ sunt.

Eiusmodi menstrua vsurpari possunt ad præparationem extracti florum Vetonicæ altilis, Croci, Centaurij minoris, Cardui benedicti, Absinthij, quinimo & plurimarum radicum aromatica vt imbutatum; etsi commodius iterum pro omnibus his extractis parandis accedat spiritus vini, adhibito igne lenissimo, si spiritus eliciendus fuerit, spiritu hoc seruato, quippe qui obtineat partes quasdam vtilis quas secum abtrahit; qui & adhiberi potest ad præparationes quasdam eiusdem fortis.

## C A P U T L I.

*De Extracto Opii.*

**O**pium cum sit succus effluens ex incisionibus capitibus Papaverum maturitati proximorum influctis, & Solis radiis condensatus in Græcia; qua in regione vberimus est illius Plantæ proventus, idè ab incolis dictus fuit ὄπιον vel ὄπιον κρητ' ἔροχλω, revera enim succus ille insignis est, qui maiores effectus edere aptus natus est, ac minima copia exhibitus, quam quilibet e vegetabilibus eductus succus: At cum vix occurrere queat Opium sponte, citra aliquod additamentum extillatum, sordes autem quibus scater id quod ad nostras oras transfertur, quod propriè loquendo nihil aliud est quam Meconium, vel succus ex capitibus papaverinis expressus, idè Chimici in id operam nauarunt ut disquirerent rationem idem defecandi & à sordibus liberandi.

Hoc loco immoraturus non sum disquirendæ naturæ & qualitibus Opii, uti nec impugnandæ antiquorum sententiæ, perperam frigidum id statuentium, satis sit statuisse in extractione extracti Opii, tres diversas in hoc substantias ad examen revocandas esse, sub quibus comprehendantur aliæ quinque, Opio cum plurimis aliis vegetabilium partibus communes; prima est aquea, spiritusosa & salina, secunda oleaginea & resinosa, tertia mere terrestris, Cum duæ priores à se invicem dissideant, ideo duo diversa menstrua adhibenda sunt, vnumquodque illorum adpropriando materiam ab utrolibet dissolvendæ, hic vero esto processus.

Minutim diuidatur, ac matratio immittatur Opii electissimi simili-



bra; huic affundantur aquæ pluvix aut fluvialis libræ duæ , agitentur materiæ, obturetur matraticum, Balneo arenæ per decem aut duodecim horas committatur, ignem oderato, per vices agitationem reiterando: demum aucto igne Balnei ad efferuescentiam vsque materierum, liquor supernatans decantandus erit, ac per chartam emporeticam filtrandus, seorsumque reponendus, Postmodum aquæ recentis libræ duæ magmati superfundendæ, obturandum matraticum, eademque materiæ versatio iteranda, maceratio, ebullitio & filtratio totius liquoris supernatantis, in se comprehendentis reliquum substantiæ aqueæ, spirituosalinæ opij; commixto vero huic liquore priori magmati, in eodem matraticio, affundendæ erunt libræ duæ spiritus vini alkoolifati, qui tincturam illico concipiet inchoata dissolutione substantiæ opij resinosa, ipsi analogæ, quæ aquæ commissa dissolutionem respuit; postea cooperto matraticio, superimposito exiguo alimbico coeco optime sigillato, iterata & continuata maceratione & versatione materiæ, sicuti prius, sed adhibito igne multo leniori, filtrandus erit liquor, itidem uti prior servandus: postmodum ab affusa magmati spiritus vini recentis libra una, iisdemque omnibus peractis sicuti prius, Opij substantiam resinosa omnino dissolutam in spiritu vini deprehendere est, terrestri interim opij parte supra filtrum superstitite, vel in matraticij fundo, Etsi vero cæteris omnibus substantiis spoliata censenda non sit, exigua tamen illius adeo superest copia, ut disquisitione ulteriori non indigeat, quin potius superstes hæc terra aliorum vegetabilium capiti mortuo adsocianda sit.

Tunc confundendæ erunt priores & posteriores Opij tincturæ, ac immittendæ cucurbitæ vitreæ, qua balneo arenæ imposta, ac alembico suo accurate luto obducto instructa, sicuti & exiguo Recipiente, illius proboscidi adaptato, igne moderato extrahendus erit spiritus vini, qui iterum usui esse poterit iteratis extractionibus faciendis partium resinosa Opij, aut, si vis, mulcendis dentium doloribus: Demum soluto Alembico, effusoque in exiguam pelvim fictilem probe vitreata universo liquore in cucurbita reliquo, paulatim in auras humor superfluous evaporandus erit, eodem igne arenæ adhibito, massæ tandem debitam extracti consistentiam conciliando, præ se ferentis cunctas Opij particulas purissimas, conflatas ex spiritu volatili salino & sulphureo, oleo partim resinoso, partim volatili, ac tantillo sale semi-fixato, ab adjuncto paucissimo acido Opio incluso; quorum omnium comes est exiguum Phlegma, Et hoc, si bene sentio, purissimum est & optimum Opij extractum, quo melius nemo excogitaverit; hujus optimis successibus astipulaturus



ad stipulaturus tam præparationis causa quam usus, ob innumera jampridem à me facta experimenta, quotidianis usibus confirmata.

Neque etiamnum mirum esse debet si, jubentibus prædictis experimentis, jampridem recesserim, sicuti etiamnum hodie recedo, à torrefactione quam plurimi Authores, etiam celeberrimi, erga opium exercent, absumendæ gratiâ potissimæ partis ipsius sulphureæ, in qua periculum subesse rati sunt, etsi reuera præstantissima sit & maxime efficax opii pars, minime perpendentes ab ejusmodi torrefactione maximam partem Salis illius volatilis absumptum iri cum ipso sulphure, atque eo pacto reliquas substantias effectas fere omnino fieri.

Nec quoque improbandum quod in usum non ducam spiritum acidum Aceti ad extractionem partium purissimarum Opii, etsi non pauci primæ notæ me priores illum admisserint; ducibus enim Ratione & Experientia illud mihi compertum, juxta hanc methodum, cum spiritus Aceti Sali volatili Sulphureo Opii se adsociet, idque fixum reddat, proculdubio omni efficacia id exutum iri, quam depromit conjunctum cæteris utilibus substantiis illud componentibus, quæ etiamnum ab ejusmodi alteratione vim paterentur: quandoquidem illud nondum comprobatum est substantias sulphureas volatiles Acidorum vim impune tolerare posse, etsi maxime crassæ forte quodammodo obsistant: His rationibus inductus Lectorem horror, repudiatis ejusmodi præparationibus destructivis, amplectatur modo à me allatam, cujus ope in Opio perstat quicquid disquisitionem meretur & conservationem, abjecto solum inutili.

Examen partium puriorum ab Opio eliciendarum, Extractum parando, manifestissimum facit incassum in Opio indagatarum iri substantias admodum frigidas, atque inepte illis adsignatum iri eximios effectus ab eodem prodeuntes, etiam minima quantitate exhibitio, quandoquidem id insitum non est substantiis frigidioribus ut granatim exhibitæ, sicuti Opium, aut grano semipartito, effectum exserant, alia præstent quæ substantiarum solum calidiorum effectus esse queant.

Eriam si nemo Neotericorum probæ mentis compos mihi hætenus innotuerit qui in Opio à frigore agendi vim deducat, ea porro quæ olim de Opio, Tractatu à me de Theriaca emisso protuli, satis esse videantur vindicandis ab errore illos qui istam adhuc tuerentur sententiam; aut eos quibus cum ignotæ essent natura & qualitates Opii, etiam laterent veri effectus quos edere aptum natum est, huc tamen adpositissime experimentis, tunc temporis à me factis, aliud insignius nuperis annis in me ipso factum adjicere liceat ut verissimam historiam.



Cum horis matutinis, æstivo tempore, in officina Pharmaceutica, una cum Medico Provinciali, rerum novarum curioso, de natura & effectibus Opii differerem, ipsi manifestum facturus vim somniferam, hæcenus Opio assignatam, non ejusmodi esse qualem antiqui sibi finxerunt, illo præsentem grandem Opii massam mediam discidi, interiore parte elegantissimam & puram; ex media vero cum frustulum purissimum, ponderis duodecim granorum integrorum à me exemptum fuisset, id in globulum propriis manibus concinnavi, factamque pilulam, ipso admodum renitente, infaustumque successum metuente, deglutii; officia interim Pharmaceutica nequaquam intermisi, non secus illis vacans ac si nihil à me adsumptum fuisset, ad horam usque prandii, pomeridianam scilicet, (octava enim ingestum fuit) eo tempore mensæ assideo, sed pro more offa ingesta satietas obrepit, operique iterum in officina mea me accingo ad horam usque secundam, quo tempore cubiculum meum adit, cathedræ insidens somno ad horam unam vel alteram indulturus, qui tamen nequaquam successit, etsi tranquillitate insigni frui licuerit, eaque adeo grata, ut ad sextam aut septimam usque horam quietem protraxerim, quo tempore, cujuspiam ægri causa advocatus, derepente surrexi: at vero cum Opii vapores quodammo- do cerebrum obfuscarent, cathedræ à me desertæ iterum insedi, in qua eadem tranquillitate ad horam usque nonam gavisus sum; transacta horæ cœna cum fames nihilominus nequaquam laceraret, ab ea abstinere in animum induxi, ut melius mihi innotesceret quousque Opii effectus progredi posset; quamobrem lecto totum me tradidit, noctem placidissimam & gratissimam transigens: Id vero observatu dignum, quod palpebras nequaquam commiserim, vigiliis vero indulserim non secus ac si stetissem: Non abnuo tamen toto illo tempore, tum quando decubui, tum quando cathedræ insedi, ex intervallis toto corpore molestum fuisse pruritus, indicium manifestum facultatis in Opio Diaphoreticæ, quæ forte excitandis vigiliis aliquid contulit, etsi nequaquam mihi molestæ forent.

Mane cum hora solita surrexissem, nulli amplius vapores infesti erant, sed tota die sequenti eadem fere cutis prurigo me exerecuit, appetitu tamen reduce; Nocte proxima somnus de more obrepit, sicuti ante adsumptum Opium, nullo amplius pruritu infesto: At postridie mane, tertia scilicet die, vultus meus tumidiusculus animadvertus est, absque rubore, vel ullo dolore; neque tamen propterea non solitis officiis adstiri, Urbem per ambulans, tumore ante meridiem subsidente.

De Opii effectibus asseveranter postmodum pronuntiare mihi licuit,



experimento bis in memetipso, facto, Priore adsumpris granis sex, posteriore duodecim : Constitutionem enim corporis admodum robustam cum nactus sim, cacochymia omnis fere semper expers, à qua Opii naturalis effectus præpediti forte fuissent, ad me potius respiciendum, & ad id quod in me contigit censeo, id quod verissimum esse profiteor, quam ad plurima alia experimenta in ægris observata, quorum alia atque alia conditio & constitutio proculdubio Opii effectus varie commutare valet : Adde quod tanta dosi illis porrigere inassuetum sit, quandoquidem granum unicum, aliquando divisum, ad summum duo exhibentur : Imo si accurata sit adfuerit observatio, vix animadvertere licebit in illis somnum prolixiorum sequutum, etiam si qualitas hypnotica multis terrori sit.

Ex animadversionibus à me factis, ac experimentis diversis temporibus institutis, iis tandem quæ ab exhibitio Opio accidere vidi, colligere est vim diaphoreticam, à me in illo manifestissime deprehensam, effectum esse Salis volatilii ipsi inexistentis, quod coadunitum, ac cum ejus Sulphure concentratum, hoc secum abstrahens, & in motum pertrahens, versus cutis poros humores fuliginosos & acres impellit, somnum prohibentes, doloremque inducentes, At etiam si ab Opio, pondere unius aut bonorum granorum exhibitio, effectus æque manifesti expectandi non sint ac si ad duodenarium numerum porrigeretur, de dispositione tamen illius innata iudicium ferendum ex eo quod majori dozi adsumptum præstare potest.

Effectus insignes ab illo quotidie produci solitos quod attinet, unicus grani pondere dato, imo semigrani, quando præsertim sopiendi sunt dolores, aut intercipiendæ fluxiones, proculdubio Sali volatili adsignandi sunt & Sulphuri ipsi involuto : Multa quoque cum verisimilitudine enuntiandum ab intima ipsius Salis cum Sulphure commixtione, iustaque & mutua horum proportionem, arcanum fermentum emergere sui multiplicativum, dum sibi adjungit particulas homogeneas in ventriculo obvias, ac censendum in auxilium ipsi venire hanc combinationem, adeo ut effectus sequatur, nequaquam deficiente aliquo adminiculo expectandus.

Vapores Narcoticos ab Opio efferendos quod spectat, illius Sulphuri probabiliter adsignandos, metuendi illi admodum non sunt si Opium exigua dozi exhibitum fuerit; si enim parvæ quantitatis ratio habeatur, vix mente aliquis concipiat ab illis spirituum meatus obstrui posse, uti neque illos per quos decurrunt humores in partes influxuri. Verisimile potius est mitigationem dolorum, ac fluxionum



incumbentium interceptionem, ortum ducere à justa proportione Salis & Sulphuris in Opio contentorum, uti & arcani fermenti in illis latentis, quæ particulis homogeneis ipsis occurrentibus conjuncta, illis autem implexa quæ mali causa fuerunt, speciatim Acidis edomitis & subjugatis, insignis suos effectus edunt etsi minima quantitate exhibita sint: Etiam si vero id Sal, idque Sulphur, concurrente illorum fermento naturali, humores ad eandem distantiam propellere nequeant, ad quam pervenirent si majori dozi exhibita fuissent, illa nihilominus cohibere valent, eorumque effectus ad aliquot horas morari, sicuti id quotidie manifestum fit.

Id quoque pro comperto tenendum id Sal & Sulphur eo modo combinata nunquam ab invicem divelli si majori dozi exhibita fuerint, etiam si ratio semper habenda sit temperamenti & constitutionis cujusque singularis: Atque ea potissimum ratione quod ab experientia didici quendam, de quo libro meo de Theriaca verba feci, qui paulatim usui extracti Opii assueverat, illius adaugens dozina ad drachmam semis, imo ter in hebdomada assumens, viginti horis post unamquamque dozina stata laborasse diarrhœa, octies vel novies alvum dejiciens: id quod indicium certissimum est eximia efficaciam emergentis à conjunctione Salis illius volatilis cum Sulphure socio, illorumque fermenti naturalis, quod cum sibi adscivit, indeque robur adeptum est, particulas Salinas homogeneas obvias, atque illorum ope complexum est, sibi intime conjunxit fixaque reddidit Acida, emergunt tandem effectus qui ejus vires excedere videntur, quamdiu nullus sopor insolitus accedit neque à magna neque à minima dosi, nisi id forte contigerit à vitiosa quapiam Naturæ dispositione sicuti in Lethargicis, cujus ratione ineruditi inepte Opium culparent quasi causam effectus cujus nequaquam reum est.

## CAPVT LII.

### *De Laudano.*

**L**AUDANI nomen adsignatum est variis præparationibus, aut compositionibus, quæ Opium tanquam basin admittunt: Vñsus autem cum vulgarissimus sit, proculdubio singulare caput illi debetur.

Antiquorum plurimi, imo nonnulli Neoterici, torrefactionem Opii familiarem habuerunt, Acidis usi Extracti comparandi gratia ad Laudani præparationem, varias etiamnum Aromatum Tincturas addidere & nonnullorum Pulverum cardiacorum, Magisteria, Gemmas, Olea stillati-



stillatitia, plurima Extracta cordialia aut cephalica, Salia quædam volatililia, variasque alias Animalium aut Mineralium præparaciones. Prætermisissis vero supra à me allatis capite proximo, tum de Opii torrefactione tum de Acidorum potentia, ex mea sententia Opii extracti præparatio à me tradita nequaquam inferior est quopiam Laudano, quod simplicitas commendat, præferenda cuicunque artificio comparato, quandoquidem necessitate postulante alia remedia, quæ ex usu fore videbuntur, illi adjici possunt.

At vero nomini ut aliquid concedatur, mirandisque effectibus à Laudani usu sperandis, huc allaturus sum descriptionem omnium earum quæ apud authores prostant maxime rationi consentaneam, quam hausi ex Epistola, à Domino Ioële Langelotio Ducis Holsatiæ Medico eruditissimo, scripta ad Dominos Naturæ curiosos Germanos, Hamburgi impressa anno 1672.

Præcipit is Cucurbitæ vitreæ satis humili immitti libram unam Opii electi, discissi minutissime, affundi succi Cydoniorum maturitatem adeptorum recens expressi libras decem; adjici unciam unam Salis Tartari rite exsiccati, exponi Cucurbitam igni lenissimo per diem unum aut alterum, aut donec superficiem liquoris emineant exiguæ ampullæ, indices fermentationis materiarum proximæ; lubet quoque tunc addi Sacchari pulverisati uncias quatuor, adhiberique calorem moderatum, promovendæ gratia fermentationis, cujus beneficio Opium turgere debet ac omnino dissolvi; cavendum interim monens à vaporibus infuscitandis; Ait etiam tunc parte impura, volatili & spumosa, liquori supernatante, terrestrem fundum petituram; liquorem aurem purum, pellucidum, Rubini instar rubentem, medium locum occupaturum, qui secernendus sit, filtrandus & calore moderatissimo inspissandus ad Extracti usque consistentiam; Hoc demum Extractum Spiritu Vini dissolvi jubet: quo filtrato, & digestionem per mensem igne lenissimo commisso, maturandarum gratia, inquit, & ad perfectionem deducendarum cruditarum Opii, beneficio ignis illius cœlestis, iterum omnia ad Extracti consistentiam condensari, mirandos ex illius usu affectus spondens, quibusvis in casibus, Laudani opem flagitantibus una dozi grani quadrantem, aut ad summum semi granum porrigens.

Istiusmodi Laudani præparatio, commendatione proculdubio digna est, ut pote cum in hac nihil omnino occurrat à quo Opii Natura infringi queat, nam præterquam quod in succo cydoniorum perfecte maturorum nullum validum Acidum deprehendere licet, ea solum illius imponitur quantitas à qua adjuvari possit fermentatio; id vero quod præsens est non solum primo à Sale tartari adjecto propemodum suppri-



mitur, ac deinceps à Saccharo, sed tandem omnino edulcoratur à Sale volatili Spiritus vini, summo cum iudicio ab ipso adhibito; Vapores autem ab Opio per fermentationem elatos quod spectat, proculdubio innocii pronuntiandi non sunt, nam, præter odoris insuavitatem, nemo illis ferendis par futurus est, uti neque illis quos fundit mustum cupa contentum: Exiguam Laudani dozina quod spectat, adsignanda illa videtur unitati & contractioni partium Opii à fermentatione inductæ, ac postremæ illarum compressioni cum ad Extracti formam deductum est.

Nullum ab utraque Pharmacia expectandum est remedium in quo tot tantæque dotes obviæ sint, ac quod plurimis morbis æque opem ferat, aut cujus usus tam longe lateq; valetur ac est Laudanum, aut Extractum Opii, cujusmodi descripsi capite præcedenti; Quietem quippe conciliat, obtusa humorum mordacium acrimonia, somnum abruptum, quorum motum effrænem coërcet; Naturam & singulas partes corroborat, cum à plerisque narcoticis oppositum imminuat, Visceribus omnibus robur addit, calorem naturalem fovet, debilem facultatem retentricem pristino tono restituit; quemlibet sanguinis fluorem in viris æque ac mulieribus compescit, imo & menstruum si modum excefferit; Omnem alvi fluxum cohibet, ac quasunque fluxiones tenues & mordaces, tam in oculos, dentes & aures incumbentes, quam in fauces, pulmones, ventriculum, ac quasvis alias partes tum internas tum externas; Quamvis Cephalalgiam sopit à tenuitate humorum oriundam, interius adsumptum vel linimenti forma fronti & temporibus admotum: Aurium tinnitus & susurros discutit, Dentium dolores sedat, vomitum, exclusis prius noxiis cohibet, sicuti & hypercatharsin ac humorum fermentationem; Dolores colicos flatulentos & à bile excitatos mitigat, uti & quævis tormina in viris æque ac mulieribus, tam ore adsumptum quam clysteribus immixtum; Eximium est in Dysenteria remedium, tum ad coërcendam humorum fermentationem, tum eorundem mulcendam acrimoniam, præmissis præsertim vacationibus universalibus: Commodissime etiam in usum venit ad affectus Renum & Vesicæ, ad placandos illorum dolores & Gonorrhœæ comites, ac corroboranda vasa spermatica debiliora reddita: Quosvis etiam dolores Arthricos demulcet, Rheumatismi familiares, Ulcerum & Ambustionum, quosunque tandem in qualibet corporis parte contingentes, quovis tempore, à quavis causa oriundos, si præsertim prægressa sint remedia universalia, quibus non præviis usus Laudani noxius potius futurus est quam utilis.

CAPVT



## CAPVT LIII.

*De Extracto Aloës.*

**C**VM Planta Aloe plurimis in hortis jam excolatur, ideoque jam notissima sit, descriptionem illius singularem huc inferre supervacaneum existimo; satis sit dixisse in Officinis Pharmaceuticis Aloëri vocari succum illius plantæ condensatum, ad nos ut plurimum ex Arabia aut Ægypto allatum, exsiccatum & pellibus involutum.

Hujus tres designantur species, viliori Caballinæ nomen inditum, tam ratione sordium admistarum, quam quod Equorum gratia solummodo fere usurpatur; nam mediæ fortis Aloë, cum paulo purior sit, & colore hepar referat, ea propter Hepaticæ nomen gerit: Purissima autem, & omnium præstantissima, Succotrinæ, aut Socotrinæ nomen obtinet, tam ratione puritatis, quam Insulæ Socotræ in qua insignis illius copia colligitur: Ideoque sola hæc admittenda est si parandum fuerit Extractum, quotiescunque præscribitur Aloë adsumenda, cujus præcipuæ bonitatis notæ sunt color purpureus, nitens & pellucidus cum in fragmenta minima dividitur, odorisque suavitas.

In Aloë duæ præsertim substantiæ observantur, quarum una salina est & aquea, facile in liquoribus analogis dissolubilis: altera vero resinosa naturæ, quæ commodissime tantum spiritu vini diluitur: Ad prioris dissolutionem usurpari posset aqua communis, sicuti cum Opium dissolvendum est, sed ut plurimum accersuntur liquores vim illius intendere idonei, aut saltem ventriculo robur addere ac intestinis durante illius actione, cujusmodi sunt succi rite depurati Rosarum pallidarum, violarum, cicchorij, borraginis, buglossi, fumaris, &c. Procedendi ratio in utraque extractione adeo illi affinis est quam adduxi in præparatione Opii, ut ineptum foret novam tradere descriptionem; id solum dixero duo vulgatissima Aloës Extracta in Officinis Pharmaceuticis præparari solita esse, prius quidem cum succo rosarum pallidarum, aut rubrarum; posterius cum succo violarum, insignita nominibus Aloës Rosatæ & Aloës Violatæ; ac omnino necesse esse sub finem Spiritum vini accersere si animus fuerit partem Aloës resinosa in Extractum transfundere, etsi nonnulli solam partem aqueam & salinam admittant, resinosa Balsamis vulnerariis destinantes, ad quos usus commodissime revocatur pars ista.

Ambo Aloës Extracta à me memorata iisdem propemodum viribus prædita sunt, eisdemque in usus veniunt, id vero quod cum succo Rosarum



paratur purgandi vim paulo manifestiorem possidet quam quod cum succo Violarum conficitur; Posterius vero quod spectat, latere nolo compositionem Pilularum Angelicarum, apud Pharmacopœos Francofurtenses jampridem titulo Pilularum Francofurtensium venalium, arcani insignis vice habentes, beneficium sibi solis assumpturos.

Accipiatur, exempli gratia, Aloës electæ pulveratæ libra una; Balneo mariæ, Cinerum vel Arenæ, pars aquea salina dissolvatur, in succo violarum recens expresso, Resinosa autem in spiritu vini: filtrentur & confundantur ambæ dissolutiones in pelvi fictili vitreata; igne lenissimo humidum redundans in vapores abeat, donec cuncta in mellis consistentiam condensata fuerint; demum addito duplo pondere recentis succi violarum, eodem caloris gradu in vapores solvatur, donec massa eo usque spissescat ut exinde effingi possint Pilulæ, nequaquam discrepantes ab iis quæ tanta celebritate nominis gaudent, audiuntque Pilulæ Francofurtenses, quarum præstantia sita est in temperatione & mitigatione acrimoniæ Aloës, inducta à succo violarum; cujus acrimoniæ causa plurimi usu illarum interdicitur tum viros tum mulieres, hæmorrhoidum fluore laborantes, hæmoptysi, hæmorrhagiæ, aut cuicumque tandem sanguinis fluore, tum eos qui ulcere pulmonum laborant, aut qui marasmo vel tæbe ob febres lentas affecti sunt, sicuti & mulieres gravidas, reperationis vasorum metu, aliorumve symptomatum ab usu Aloës imminentium; Alias, si abfuerint prænominata, conducere plurimum censent Extractum Aloës ad tuendam probam valetudinem, ventriculum ab humoribus corruptis eluendum, illius tunicis pertinaciter sæpe adhærentium, & ad referandas obstructions Iecoris & Lienis aliorumque viscerum, eluendasque simul latentes in iis sordes, corroboratiffique una partibus

Nonnulli Aloë adjungi voluerunt, præter succum violarum, Rosarum, Fumaricæ, Borruginis, Buglossi succos: Alii quinetiam Cardui benedicti, Chamomillæ, Chamædryos & Veronicæ addi voluerunt, rati ejusmodi succos in partes compositionis Pilularum Angelicarum venire, aut Francofurtensium; sed etiam si maxima illorum succorum pars ad affectus ventriculi, jecoris aut lienis admitti queat, præter incrementum, neutiquam necessarium, ponderis & molis harum Pilularum, à conjunctis illis expectanda non est mitigatio acrimoniæ Aloës, id quod commodissime præstat succus violarum, interim dum insignis immutatio legitimæ harum Pilularum formulæ accedat necesse est.

Ejusmodi Pilulæ exiguæ admodum concinnantur, adeo ut vix dimidii grani pondus unaquæque attingat; Adsumi solent nebulis obvolutæ, aut ex pulpa pomi assi, vel condito aliquo, à quinque aux sex ad quindec-



quindecim aut viginti grana in mensæ introitu, aut, quod satius ante cœnam; cum enim illarum operatio ut plurimum succedere soleat decem aut duodecim horis ab iis deglutitis, per id temporis intervælum somno indulgere licet.

## CAPVT LIV.

*De Extractis Rhabarbari & Sennæ.*

**M**Axima pars purissimæ Rhabarbari substantiæ aquea cum sit & salina, sicuti & Sennæ, menstrua aquea ad illarum extractionem admitti debent: postquam vero hæc substantia rite extracta fuit, tantillum Spiritus vini usurpandum est ad dissolvendam paucillam partem resinofam in magmate reliquam.

Res ut succedat, postquam contusa fuerit, aut minutissime dissecta Rhabarbari electi libra una, Vitreaque cucurbita excepta, affundendæ erunt aquæ distillatæ cichorij aut endiviæ libræ quatuor; demum commissa cucurbita arenæ balneo, subditoque illi igne moderatissimo per horas decem aut duodecim, percolanda erit & validissime exprimenda Tinctura: Postmodum magmate iterum Cucurbitæ immisso, superfusisque adhuc recentis aquæ cichorij libris duabus, maceratio eodem Balneo reperenda erit, eodemque ignis tenore per horas sex; colatis & expressis materiis, magmateque iterum in Cucurbitam injecto, desuper affundenda erit libra una spiritus vini alkoolifati, superimpositoque illi Alembico cœco, optime loricato, eidem Balneo Cucurbitam committendo, iterataque maceratione per sex horas, omnia percolentur valideque exprimantur; demum Tinctura ista præcedentibus affusa, mixturaque hac per chartam emporeticam transmissa, filtratus liquor in pelvim fictilem probe vitreatam infundendus erit; humidi superflui in auras discessum igne moderatissimo procurando, eo usque pergendo donec præcipua Rhabarbari substantia in pelvis fundo extracti forma remaneat.

Ne vero quicquam utilium Rhabarbari partium pereat, exsiccatum illius magna comburendum & in cineres deducendum mediis usitatis, tantillum Salis fixi forte superstitis ex illo extrahendo, Extracto commiscendi, in vase Faventino postea reponendi, optime obturando; ad usum idoneos servando, addita tunc temporis, si libet, gutta una aut altera Olei Cinnamomi, aut Caryophyllorum.



Non est necesse contundere aut incidere Folia Sennæ si illius Extractum parandum fuerit, rite illa expurgasse satis est priusquam in usum ducantur, quoad cætera eodem pede procedendo quo ad Rhabarbari Extractum.

Extracto Rhabarbari lenius & salutaris purgans non datur; nulla quippe vi vitiosos humores ex ventriculo & intestinis educit, sed cunctas partes præterea, in quibus illi residere, corroborat, eorundemque humorum malignitatem castigat: Bilis purgans specificum censetur, ab illis præsertim qui medicamenta elective purgantia statuunt, etsi nullum humores simul confusos ab invicem secernere valeat, unicuique seorsum educere, quin ceteri commixti simul & semel prodeant.

Hoc Extractum Diarrhœa præsentente præscribi solet, Lienteria, Dysenteria, Ictero, Cachexia, cunctisque affectibus Ventriculi, Iecoris & Lienis: sicuti & in febribus Tertianis aliisque biliosis, & ad Vermes necandos; Adsumitur à semisrupulo ad semidrachmam, imo ad drachmam integram, Boli forma aut Pilularum, nebulis involvendo, aut, si libet, in liquore quopiam idoneo dissolvendo.

Sennæ Extractum conducere potissimum censetur vacationi humorum melancholicorum; neque tamen censendum idem ineptum esse expurgandis biliosis, quinimo & quibusvis in ventriculo aut intestinis obviis convenit, Illius eadem quæ Extracti Rhabarbari dosis.

## CAPVT LV.

### *De Extracto Colocynthis.*

**C**olocynthis, Cucurbitæ species, magnitudine & figura pomum Aurantium referens, cortice dempto levis & candida adparer, saporis ad summum amari, substantiis duabus præcipuis est donata, una aquea, salina, altera resinosa, Postrema vero hæc quam in Rhabarbaro paulo uberius, quamobrem nonnulli Authores solum vini spiritum ad illius extractionem admiserunt, inter cæteros Martinus Rulandus, qui cum familiari in usu haberet Tincturam colocynthis, eapropter vini Spiritu utebatur, eiusmodi Tincturam Spiritus vitæ aurei nomine donans; At cum convenientissimum sit Extractum in se complecti æqualiter utramque Colocynthis substantiam, successus melior futurus est hac via procedendo.

Optime



Optime perpurkata Colocynthide ab omnibus granis, puspaque minutissime incisa, illius libra una Cucurbitæ vitreæ grandiori impietatur; hac Balneo arenæ imposita, affusisque Colocynthidi vini albi recentis optimi libris sex, Cucurbita capitello suo cooperiatur; hac optime loricata, adaptatoque exiguo Recipiente illius rostro, Infra Balneum accendatur ignis, qui mitissimus fovendus spatio decem aut duodecim horarum, Demum vasis luto spoliatis, percolata ac valide expressa infusione, liquore expresso seorsum reposito, ac Magmate Cucurbitæ rursus immisso, huic superfundendæ erunt Spiritus vini optimi libræ duæ, nec non is quem effudit vinum ad priorem Tincturam usurpatum, qui in Recipiens extillaverat; Postea superimposito Cucurbitæ Alembico cæco, accuratissime luto obducto, cunctisque per horas duodecim maceratis in Balneo, à priori non absimili, sed paulo minus calente, percolanda erit & valide exprimenda hæc Tinctura, quæ priori remixta, utraque autem per chartam emporeticam transmissa, in Cucurbitam rursus effundatur, qua alembico suo cooperta, accurate loricato, adaptatoque hujus proboscidi Recipiente similiter incrustato, Balneo arenæ educendum erit, igne moderatissimo, quicquid Spiritus vini inerat, ad similes Tincturas adhuc idonei; Omnibus autem exemptis, vasisque decrustatis, in pelvim fictilem probe vitreatam infundendum erit quicquid liquoris in Cucurbita residuum erat, humoris superflui absorptionem igne modico paulatim procurando, donec hæc Tinctura propemodum Roob consistentiam adepta sit: quæ sponte refrigerata lagenæ committenda est, usus tempore aliis Extractis purgantibus remiscenda, cum in vapores propemodum omnis illorum discessit, vel in alios usus adducenda, licet & si lubet, protrahi evaporatio, istudque Roob in verum Colocynthidis Extractum adduci.

Nonnulli istud Extractum præparaturi utuntur Trochiscis Alhandal, compositis ex pulpa Colocynthidis in pulverem deducta, ac mucilaginz gummi Tragacanthi, eum in finem ut obrundatur aculeus, & Colocynthidis actionis vehementia, tum ut condensetur & adaugeatur Extractum, ex se parvæ molis, id quod per me illis licet qui hos in scopos tendunt.

Præcipuus effectus Extracti Colocynthidis est eductio serosorum humorum è maxime dissitis corporis partibus: quo fit ut commodissime in usum ducatur ad vacuandas hydropicorum aquas, remediis lenioribus non obedientes, Conducit in Articulorum affectibus, in Arthritide, Rheumatismo, aliis Extractis illud remiscendo, præsertim Rhabarbari, ad frænandam nimiam illius vehementiam, ac robur



partibus simul conciliandum : Seorsum Pilularum involutarum forma exhibetur, à duobus aut tribus granis ad octo vel decem, vel commixtum aliis Extractis, dozis tunc observata proportione, respectu habito virium cæterorum Extractorum.

## CAPVT LVI.

*De Extracto Esulæ.*

**H**Ac in præparatione, uti neque in aliis, sectator ero antiquorum, radicem Esulæ in aceto infudentium, ne à potentiore hoc acido nimium obtundatur id quod in hoc extracto potissimum disquiritur, videlicet vis specifica ferosos humores evacuandi, speciatim hydropicorum; ratus quippe hanc præparationem per pulchre posse institui nullo ejusmodi usurpato acido, si hac methodo usus quis fuerit.

Mense Maijo, tempore sereno, colligatur quantitas sufficiens Esulæ minoris, totam adsumendo plantam, hæc probe abluta, demum in mortario marmoreo pistillo ligneo contusa, immitratur Cucurbitæ vitreæ, adeo ut tertia pars vacua supersit, demum affuso vino albo recenti optimo, adeo ut quatuor digitis emineat, cooperienda erit Cucurbita imposito Alembico cæco, probe loricato, quæ per horas viginti quatuor Balneo arenæ commissa, igne lentissima, percolanda erit & exprimenda infusio, seorsum reponenda: demum magmate Cucurbitæ rursus immisso, & superfuso spiritu vini alkoolisato, donec id semi digito transverso superet, imponendum rursus erit Cucurbitæ Alébicum cæcum, ac futuris probe undique loricatis, illa per quinque aut sex horas in eodem balneo detineatur, factaque iterata colatura & expressione postremæ hujus infusionis, ac liquore expresso priori confuso, transmissio fiat per chartam emporeticam; quo iterum Cucurbitæ perpurgatæ immisso, Balneo Arenæ imposito, alembico proprio superposito, probeque luto obductis commissuris, non secus ac Recipientis rostro illius adaptati, eliciendus erit Spiritus vini igne moderato; dehinc subsidentia in pelvim fictilem probe vitreatam infusa, in eodem Balneo collocatam, humidum supervacaneum vaporum forme absumendum erit, donec id quod superstes futurum est Extracti consistentiam adeptum sit, id sponte refrigeratum aromatum vi imbuendum erit, instillatis aliquot guttis Olei stillatitii Anisi, Caryo-

phyl-



phyllorum aut Cinnamomi, ad usus reponendum.

Extractum Esulæ potentissimum est Hydragogum, eapropter felicissimo eventu præscribitur à semisrupulo ad semidrachmam, Boli forma aut Pilularum adsumendum, ad exhauriendas hydropicorum aquas, aliquoties usum repetendo auctaque dozi pro re nata.

Plurima alia Extracta ferosis humoribus vacuandis idonea confici possunt, nominatim ex radicibus Iridis nostratis, Bryoniæ & Sambuci, ex illis succum eliciendo, hunc depurando & ad Extracti consistentiam leniter deducendo exceptum pelvi fictili probe vitreata, ad Extractorum spissitudinem; Vel macerando dictas radices optime contusas in vino albo spatio decem aut duodecim horarum, colatura facta & expressione infusionis, filtratione & evaporatione liquoris ad debitam usque consistentiam: Dosis usus ejusmodi Extractorum eadem prope modum quæ Esulæ.

Præparatur etiam Extractum Hydragogum multo vehementius prædictis, ex succo depurato fructus Cucumeris agrestis, lento illum igne inspissando, immisum pelvi fictili vitreatæ ad consistentiam Extractorum, Id quod inde paratur vocant Elaterium, cujus dosis est unius, duorum trium, aut ad summum quatuor granorum.

Mitto Extracta quæ confici possunt ex foliis & seminibus Soli id ancillæ, Laureolæ, Meserei, Ebuli, Sambuci, &c. quorum præparatio difficilis non esset si usitata forent.

Neque inutile fuerit exsiccare horum Extractorum magna, idque comburere, Salis eliciendi causa, illis commiscendi cum perfecta fuerint.

## CAPVT LVII.

*De Extracto, Resina, aut Magisterio Scammonij.*

**E**Tiam si distillando Scammonium ex Retorta quinque substantiæ, (è reliquis partibus Vegetabilium extrahi solitæ) educi possent, nihilominus id laboris non suscipitur, quippe cum remedia alijus præstantiæ inde expectanda non sint, parsque resinosa sola expecti soleat, cujus usus creberrimus est postquam à terrestri secreta fuit.



Res ad votum succedit, si Scammoni electi, purissimi, resinosi & levis libra una subtilissime trita immittatur Cucurbitæ vitreæ, superfundaturque Spiritus vini alkoolifatus, adeo ut quatuor transversis digitis superet; Tunc cooperienda Cucurbita imposito Alembico cæco, accurateque loricatis juncturis, seduloque commotis materiebus, quo facilius subeat Spiritus vini, committenda Cucurbita Balneo arenæ lenissime excalesfacto, inibi spatium viginti quatuor horarum detinenda, per vices cuncta versando; Demum decantata, & seorsim reposita Tinctura colorata & clara, eminente parti non dissolutæ, illi superafundendum tantum Spiritus vini quantum prima vice; impositoque iterum Cucurbitæ Alembico cæco, rite loricato, repetenda erit digestio eodem Balneo per idem temporis spatium, commovendo materias etiam per intervalla; id quod satis futurum est ad integram dissolutionem partis resinosa Scammonij: Tum per chartam emporeticam trajicienda est dicta Tinctura, probeque mundata Cucurbita, illa infundenda erit una cum priore Tinctura clara facta & una commista, qua demum proprio alembico cooperta, luto bene obducta, adaptatoque rostro Recipiente itidem loricato, Balneo arenæ committenda est, igneque moderato exstillandæ circiter duæ partes Spiritus vini: Postea decrustatis vasis, in fundo superstes erit pars resinosa coloris purpurei, pelucidæ, mellis instar rite cocti spissa, nomine Extracti Scammonij donanda, supra quod eminebit pars aquosior spiritus vini, per decantationem secernenda: dehinc leniter excalesfacta Cucurbita effundenda hæc Refina in scutellam lapideam, aut exiguam pelvim vitreatam, quæ charta cooperta Soli exponenda, aut imponenda parti supernæ furni Pistoris exsiccandi gratia, adeo ut in pulverem conterri possit cum ad usum deducenda est.

Parari potest Magisterium Scammonij, infusa pelvi fictili parte Tincturæ Scammonij, superfundendo aquæ frigida limpida pondus octuplum aut decuplû: Hoc enim pacto Spiritus vini, à quo dissoluta fuit substantia resinosa Scammonij, obtusis viribus ab aquæ affusione, prædictam substantiam dimittere cogitur, adeo ut liquor lactis instar se exhibeat, substantia autem resinosa à liquore secreta ad fundum fere tota præceps deferatur, reliqua parte liquori supernatante, aut lateribus pelvis adhærente, unde secernitur decantatione facta liquoris, Gummi Gotte eodem modo præparari potest.

Resinæ Scammonij præcipuus effectus est purgatio humorum biliosorum & pituitosorum: Dosis illius est à quinque & sex granis ad duodecim vel quindecim, conservæ alicui remixta, vel cuiquam alii remedio, forma boli aut liquori idoneo commixta; sed accurate prius trituranda



turanda est, admiscendo amygdalarum quartam partem, vel cujuspiam è seminibus frigidis maioribus mundatis, ad divisionem partium resinæ, & prohibendum ne ventriculi tunicis adhærescat liquori supernatando, hincque oriantur tormina aut hypercatharsis.

## CAPVT LVIII.

*De Extracto, Resina, aut Magisterio Gialapæ.*

**C**VM in Gialapa quam in Scammonio plures sint partes terrestres, aquosæ & salinæ, pauciores autem resinosæ, eapropter commodum fuerit duo diversa menstrua adhibere ad dissolutionem & extractionem ambarum harum substantiarum; contra quam sentiant pluri mi Authores, qui solius substantiæ resinosæ Gialapæ cupidi, contemptis cæteris partibus, solum vini spiritum ad illius extractionem adhibent: Sed vt in commodum cedant cunctæ Gialapæ partes, assumpta illius libra vna, in subtilem pulverem deducta, eaque cucurbita vitrea excepta, illi superaffundantur libræ quatuor vini albi optimi, quibus optime commistis, impositoque cucurbitæ Alembico cæco, optime luto incrustato, per horas vigintiquatuor super balneo Arenæ detineatur, igne subdito moderatissimo, materias per vices commovendo, vasis nequaquam decrustatis, sed tantummodo sub finem, vase enim cæco detracto, ejusque vice imposito supra cucurbitam alembico, ac huius rostri extremo adaptato Recipiente, etiam loricando, nonnihil augendus erit ignis balnei, vt solum exstillet pars illius spirituosa, quæ adseruanda: Dehinc decrustatis vasis, percolato & expresso id quod in cucurbita reliquum est, filtrato autem & seorsim reposito liquore, magma in cucurbitam conjiciendum, desuper affundendo spiritus vini rectificati libram vnâ, vna cum prius exstillato & adseruato: Postmodum materiis probe agitatis, coopertaque cucurbita, imposito illi vase cæco, accurate loricato, per vigintiquatuor horas detineatur in Balneo arenæ, subdito igne moderatissimo; demum soluto dicto vase, in lagenam decantanda erit Tinctura limpida magneti supernatans, superfusaque iterum libra vna spiritus vini optimi, imposito rursus cucurbitæ vase cæco, dicto, bene loricato, cucurbita autem eidem Balneo commissa, repetenda erit maceratio per æquale temporis intervallum; demum filtro traducta, commistaque postrema hac Tinctura cum priore, ambæ, si lubet, commisceri poterunt; quibus in pelvim fictilem vitreatam infusis, humor superfluus calore lenissimo absumendus erit, quovsque residua sufficientem spissi-



rudinem fuerit, & adipisci queat, nacta (quo revera digna est) legitimum Gialapæ Extracti nomen; cui commodissime addi poterit Sal fixum, è magmate combusto, ac in cineres deducto extrahendum.

Sin Resinam quis seorsim consequi voluerit, aut Magisterium Gialapæ, solummodo disquirenda erunt illa in postremis duabus Tincturis, cum spiritu vini elicitis; eadem via incedendo quam innui pro Resina & Magisterio Scammonii obrinendis.

Vires & dosis Resinæ ac Magisterii Gialapæ multum adfines sunt illis quas obtinent Resina & Magisterium Scammonii: Extractum iisdem pollet facultatibus, dozis autem ad semi drachmam vsque extendi potest, tam ratione humiditatis quam aliarum partium Gialapæ pondus & molem Resinæ adaugentium.

Eadem ratione parari possunt Extracta, Resinæ & Magisteria Agarici, Mechoacannæ, Turbith, Hermodactylorum, vtriusque Hellebori ac plurimarum aliarum radicum, quarum partes cum Gialapa convenientiam aliquam obtinent.

## CAPVT LIX.

### *De Extracto Panchymagogo.*

**A** Pud Authores nulla occurrit cōpositio Chimica hoc Extracto tam diversimode prodita, tum ratione simplicium illuc advocatorum, tum dozeos horumque præparationis: Quæ res non paucas controversias excitavit, imo futiles, à quibusdam non minus nitide quam solide dilucidatas: Prætermisissis vero ejusmodi disceptationibus, atque Extractorum descriptionibus apud Scriptores obviis, vnicam exhibiturus sum, rationi admodum consonam, tam ratione electionis medicamentorum, quam dozeon & præparationis eorundem.

Accipiantur Extracti Aloës drachmæ duæ, Extracti Rhubarbari tantundem, Extracti Sennæ vncia vna, tantundem etiam Extractorum Scammonij, Gialapæ, Agarici & Colocynthis, cum semuncia Extracti Hellebori nigri; Vnum quodque prædictorum Extractorum ea ratione quam proposui capitibus præcedentibus præparandum, sed ad eam vsque consistentiam deducenda non sunt, sufficit enim vt mellis crassitiem adepta sint: Omnibus his Extractis confusis & simul commistis in exigua pelvi fictili vitreata, Balneo arenæ imposita, subiecto igne moderatissimo, paulatim humor superfluus, vaporum forma absumendus, leniter per vices rudicula commovendo, donec cuncta simul legitimum



mam Extracti consistentiam nanciscantur ; tum remota à Balneo pelvi. Extractoque fere refrigerato , Olei stillatitii Caryophyllorum guttæ quatuor commiscendæ erunt , ac tantumdem Oleorum Fœniculi , Lavendulæ & Majoranæ ; Tunc Extractum perfectum erit , vase Faventino excipiendum , aut in vesica recondendum , vel aluta oleo leviter illita ad usus custodiendum.

Hanc methodum sectatus si fueris , metuenda non est separatio substantiarum resinosarum ab aqueis salinis concentratis , quam supponunt quidam posse contingere in hujus Extracti præparatione , nisi in pulverem deducerentur & amygdala aliquot adjicerentur , vel semina quæpiam frigida , simul triturlanda ; aut nisi iterum in spiritu vini dissolverentur ; Experientia enim & Ratione testibus , substantiis his , quantum diversis , optime inter se convenit , conjunctimque perstant quamdiu Extractum consistentiam solitam tuetur : Neque substantiæ hæ resinosæ ab aqueo salinis secerni unquam queunt , nisi posteriores hæ in liquore quopiam aqueo solutæ fuerint , à quo resinosæ dissolvi nequeunt : Etiam si vero commode hæ Resinæ Extracto aqueo salino , bene condensato & refrigerato commisceri nequeant , nisi in pulverem confusæ fuerint , prius exsiccatae ; neque rite pulverari non admixto quopiam semine , vel alia quapiam materia oleaginea cujus vi partes ab invicem probe divellantur , hoc compertum est , hæ si recte cum Extracto commixtæ fuerint , sponte ab invicem nequaquam secedere ; Neque etiamnum hac præparatione metuenda præcipuarum aromatum partium dissipatio , quandoquidem non Extractum , quod plurimi Auctores præcipiunt , parandum ex illis , huic commiscendum , sed eorum vice Olea illorum stillatitia usurpantur , in quibus quasi in compendio præcipuæ illorum vires continentur , neque Olea hæc dissipationi idonea sunt , quippe quæ refrigerato demum extracto adduntur.

Zwelferi sententiam quod spectat , censentis commode ope spiritus vini educi posse Extracta ex plantarum partibus , quarum substantia partim aqueo salina est , partim resinosa , pristina tenax sum sententiæ , scilicet priorem ope liquorum aqueorum educendam esse , antequam in usum veniat spiritus vini ad posterioris extractionem ; quandoquidem Spiritus hic rectificatissimus , qualis expetitur , prioribus extrahendis impar est : Miror quoque virum , professione olim Pharmacopœum , scriptis suis collegarum suorum peritiam suspectam reddidisse , neque prævidisse ipsorum castigationi se submittere , cum in observationibus ad septimam classẽ suæ Pharmacopœæ , qua de Extractis , præcipit solum vini spiritum usurpandum extrahendarum gratia



substantiarum harum complicatarum ; potissimum vero quando affert Salia volatilia, speciatim vero Viperinum, facillime cum vini Spiritu coalescere; quandoquidem nulli non Pharmacopœo quotidie palam fit hæc Salia in vini Spiritu nequaquam dissolvi si alkoolifatus sit, totusque flammæ in pabulum cedat: hunc vero eundem spiritum, dissolvendo partes Oleagineas, pluribus Salibus volatilibus commixtas, suo sinu eadem salia indissoluta comprehendere, eorum etiamnum dissipationem prohibere illis supernatando, dummodo lagena accurate obturata fuerit; Ipso præterea etiamnum confitente à spiritu vini dissolvi non posse salia fixa, quæ, sicut & volatilia, potissima sunt pars contentorum in parte aquea illarum Plantarum.

Huic Extracto Panchymagogi nomen fuit inditum, eo quod facultatem obtinet quoscunque corporis vitiosos humores vacuandi; Exhibetur Pilularum obvolutarum forma, sicuti alia Extracta, à semisculpulo ad semidrachmam vel scrupulos duos.

## CAPVT LX.

*De Feculis.*

**F**eculæ in censu præparationum Chemicarum reponi possunt, perperam excogitarum, quibus carere fatius esset quam in earum præparatione tempus terere, si præsertim iuxta mentem eorum, qui priores de iis quiddam scriptis consignarunt, confectæ fuerint: Fæcum quidem nomen imponitur sordibus secedentibus, & in imum plurimum liquorum sponte delatis; sed hoc loco Feculæ vox nihil aliud designat quam substantiam candidam, farinæ more friabilem, ad imam partem præcipitem delatam & congestam, succi aut liquoris quarundam radicum, cujusmodi sunt Paxonia, Arum, Iris nostras, &c. Substantia ista alba & farinacea in umbra exsiccat, vel insolatur, secreto prius per inclinationem vasis liquore: Etiam si vero nemini author fuerim ut ejusmodi præparationes instituat, earum tamen rationem hoc loco traditurus sum.

Accipiantur, si lubet, radices Bryoniæ, vel Iridis, aut alterius cujuspiam plantæ, succulentæ & recens collectæ: hæc probe ablutæ, & à cortice liberatæ, scobina minutim deterantur, expressoque per densam telam illarum succo, per biduum aut triduum in pelvi fictili subsidere permittantur: per decantationem effundatur liquor clarus, supernatans materiæ albæ ad imum detrusæ, quæ postmodum Solis radiis exposita



exsiccat, aut sensim in umbra, vel, si res urget, Balneo Arenę, calore lenissimo, quo pacto obtinemus id quod vocant Feculas radicis usurpatę, quę nihil aliud esse potest quam materia viribus orba, destituta quippe succo ab illa secreto; ę qua nequaquam expectandi sunt effectus in Extractis latentes, quę elicere licet ę succo dictarum radicum, ratione supra ę me jam tradita: Vterius assero pulverem harum radicum, in taleolas divisarum, una cum succo exsiccatum, multo præstantiorem esse cunctis Feculis, ex illorum mente præparatis.

Nomen Chersę, aut Gersę, specialiter indicum est extracto exsiccato, educto ę succo radicis Bistortę, quam etiam dicunt Serpentariam, ę qua non secernitur liquor supernatans fęcibus, sicuti fit in præparatione Fęcularum prædictarum; nam illa una cum suis Fęcibus exsiccat, dividendo & recondendo in exiguis vasculis, Solique reponendo, donec in pulverem deduci queant.

## CAPVT LXI.

*De Salibus Vegetabilium.*

**Q**Vandoquidem præparatio quorundam Salium Vegetabilium, de qua occasione data, verba faciens ubi de distillatione partium plantarum ę me actum, insufficiens sit omnino explicandę rei, non modo maximi momenti, sed etiam amplissime, operę pretium me facturum credidi, si tanti negotio manum iterum admoverem, novas animadversionem hic allaturus, eodem tempore publici iuris facturum methõdum meam, non solum cina præparationes pro trivialibus habitas, sed etiam eas, quę cum paucissimis tantum perspectę sint, occultę delituerunt, aut saltem sub involucris propositę ab illis quibus forte ignotę non fuerunt.

Olim existimatum est Salia Vegetabilium volatilia nequaquam esse, eo quod illud quod mediis usitatis extrahitur ad ignem non exhalat, fusionemque potius experitur quam ut ę fundo vasis secedat cui immissum fuerit: Eiusmodi error admissus non esset si Salium natura probe foret perspecta, illorum præsertim quę ę vegetabilium familia educimus: hoc enim pro comperto habendum duplex, illorum inesse genus quorum unum sapore Acido præditum est, alterum vero Salino; utrumq; horum Salium volatile esse propria indole, non minus quamdiu simul in uno eodemq; mixto commixta sunt, ac quasi cęteris principiis confusa, intermediorũ quasi munere fungentibus, quã cum artificio Chimico ab



invicem sejuncta sunt; at cum junata proprietate facillime sibi copulentur, conjunctionem illorum accidere statim ac à ceteris principiis divellantur; sibi que cum adsumant, si nihil obstat, paucillum partium terrestrium, requisitarum ut basis vices tenere queant, & vinculi, ad mutuam connexionem, simul copulata Sal fixum constituere, quod plerique antiquorum, imo nonnulli neoterici, sponte & propria natura ejusmodi esse crediderunt, non perpendentes fixi qualitatem utriusque horum Salium tantummodo contigisse à conjunctione volatilis cum acido, utriusque autem cum particulis quibusdam terreis, fundamenti vicem præbentibus.

Præterea censeo, etiamsi asseri posset nullam Plantam proprio carere Sale, id ipsum tamen rite discernere arduum esse, aut tale dici non posse quin prius à ceteris substantiis discretum fuerit; via autem ustionis & incinerationis materierum, cum omnium tritissima sit ad ea consequenda, partem sulphuream eo pacto in auras secedere, sicuti & aqueam, quæ dilueus & infringens sal acidum, prohibebat intimam illius cum sale volatili conjunctionem.

Porro dico Salia, illa Acidum & Volatile, ubi liberata fuerint ab illis per quæ præsertim intricata detinebantur, adjuncta autem à partibus ignis acidis, quibuscum magna adfinitate junguntur, paulatim coalescere invicem, sed arctissime; terram autem paucillam tum temporis commistam, ad unitatem illorum conciliandam conferre, nedum impedimento esse, Sal autem inde exurgens revera corpus esse constans ex Sale Acido & Sale Volatili, ac quibusdam particulis terreis, quæ illis se comites adjunxerunt in transitu per filtrum, post dissolutionem in aqua factam.

Illud etiamnum, statuo ab Ustione & Incineratione partium plantarum, contingere colliquationem quandam substantiarum, ac nominatim Salium, qua absente, actione & reactione mutua illa prohiberentur, quæ necessario contingit ad intimam illorum conjunctionem, & constitutionem compositi cujusmodi se nobis exhibet, cujus qualitates admodum discrepantes ab iis quæ in ceteris Salibus observantur, si quando ab invicem secernantur, nobis adparent; Generationem, consistentiam ac formam cunctorum vegetabilium nobis obviorum ambobus his Salibus natales suos debere; Etiam si vero seorsum subsistere queant, propria vero indole corruptioni non sint obnoxia, si adeo contracta fuerint ut impervia sint aëri, mutuas tamen ut stare possint melius conferre operas si intima conjunctione coërceantur, adeo ut efferre liceat illa propemodum ambos Naturæ polos, fundamentum, gluten, & basin omnium illius operum, animatorum simul & inanimatorum, nullamque



que generationem illis destitutam Naturam, aut productionem præstare, & semper illorum subsidium exposcere.

## CAPVT LXII.

*De Sale Cardui Benedicti.*

**C**ombustio & incineratio partium plantarum non semper necessaria est conjunctioni Salis volatilii cum acido ad compositionem Salis cuiuspiam fixi, quandoquidem, docente experientia, illis non concurrentibus, ex Carduo benedicto, Absinthio, Oxalide, Centauryo, plurimisque aliis plantis, licet extrahere Sal ex Acido & Alkali compositum, à natura fixorum non multum recedens, etsi non æque igni obsistere valeat ac id quod extrahi solet ex iisdem plantis in cinerem redactis: Etiam si vero illi subjici nequeat nisi manifestum succedat partium illius decrementum, ac præsertim partis aqueæ, quæ illi arcte se conjunxerat; nec non absque aliqua Acidi imminutione, quod nondum intime cohæserat cum volatili, vel quantitate hoc superaverat; cum tamen istud Sal ignis vehementiam expertum non sit, cuiusmodi adhiberi solet ad Vstionem & ad Incinerationem istarum Plantarum, in se autem partem illarum maxime essentialiam comprehendat, ad Medicos usus magis experendum est quam id quod Incinerationem est passum, quandoquidem obtinet adhuc maximam partem substantiæ plantæ Sulphuræ, e qua eductum fuit, imo quodammodo illius saporem retinet & odorem, interim cum pars plantæ aquea, quæ in unum corpus cum illo coaluit, acrimoniæ illius partem sine dubio obtundit: Ejusmodi Salia Essentialia vocantur, quippe quæ in se plantæ partem maxime essentialiam continent: Illorum color ut plurimum ad fuscenedinem vergit, nisi in crucibulo calcinentur, ac dissolvantur, filtrentur, iterumque ad coagulationem adducantur, etsi multo melius fatius sit illa conservasse, & usurpasse fusco suo colore donata, quam calcinatione adveniente partem illorum Sulphuræam absumpsisse, ac insimul Plantæ saporis & odori vim intulisse, quos non dimiserant.

Exempla à me cum sint allata Extractionis parandæ, depurationis, & humoris plantarum supervacanei absorptionis, comparandi gratia Salis Essentialis; sicuti & eorundem vstionis, incinerationis, elixivationis, filtrationis & coagulationis ad extractionem Salis Fixi, huc iterum venire non debent, ideoque ad iis abstinendum censeo ne ulterius excresecat hoc caput.

Sal Essentiale Cardui benedicti, cum in se contineat plurimas partes



essentiales illius plantæ, admodum idoneum est excitandis sudoribus, præsertim ex propria aqua exhibitum si fuerit : Lumbricis adversatur putredinique humorum ac febrium malignitati : quod è cineribus educitur iisdem propemodum pollet facultatibus, vi tamen purgante magis quam diaphoretica : Postremum hoc porro cum fixius sit, ideoque magis convenit Acidis obtundendis, à quibus fermentationes in ventriculo excitantur, ac partibus imi ventris : Vtrumque horum Salium datur à semisrupulo ad semidrachmam, imo & integram ex aqua propria, inculo, vino aut quopiam alio liquore.

## CAPVT LXIII.

*De Sale Essentiali, Cremore, aut Crystallo Tartari.*

**N**Ullum inter vegetabilia mixtum nobis occurrit quod tantum Salis volatilis Salini, & Salis Acidi<sup>o</sup> suppeditet ac Tartarum; Proprie enim loquendo ambo illa Salia maximam partem materiæ ejusdem Tartari constituunt; neque enim alicujus momenti sunt aqua & terra in illo obvia, pars autem Oleaginea perquam raro expeti solet; Vvæ succus Tartari parens est, Fermentatio mater, Dolium autem uterus: In exemplum singulare id proponi, debet conjunctionis naturalis Salis volatilis Salini cum sale Acido, ac transitus prioris in fixum per postremi adjunctionem; sicuti ad demonstrandam lapidum generationem in nostro corpore, quæ perficitur per adjunctionem salium acidorum ad volatilia, utrorumque autem ad particulas quasdam terrestres.

Commutatio hæc Salis volatilis salini Tartari in fixum multo magis adnaturalem accedit, multoque minori violentia perficitur quam quæ advenit Sali plantarum per incinerationem: Neque præterea ullum alium calorem admittit quam quem proprium acidum parit post excitatam fermentationem: Per actionem etiamnum & reactionem mutuam Salis illius acidi cum Sale volatili salino, & sale volatili sulphureo succi Vvarum dum peragitur fermentatio, idem Sal volatile sulphureum sibi adciscit maximam partem partis aqueæ ejusdem succi, atque salis acidi quantum illi satis est ad sui perfectionem & ut in vinum transmutari queat: Ac rursus per eandem actionem & reactionem alia pars salis volatilis salini conjungitur reliquo acido, ac nonnullæ portionei partis



partis terrestris succi, a qua cum fixitatem obtineat, & ut ita dicam, lapidificationem, crystallorum forma se applicat lateribus & fundis doliorum; Alia autem quædam portio salis volatilis sulphurei mixta paulillo Salino, parti cuiusdam terrestris, vini reliquiis quibusdam, paucissimoque acido ad fundum dolii secedit, fæcesque constituit.

At non satis est Naturam cuncta hæc distinxisse, diversasque substantias in uno eodemque dolio congeffisse, locis discretis has collocasse, etiam in uno eodemque vase, hasque qualitatibus non contemnendis donasse, ut quotidie in usus varios venire queant, nulla etiam accedente præparatione egregia, Neceffe etiam est Chimiã cunctis his præcellere, institutisque aliis & separationibus & depurationibus, in apertam lucem proferre substantias latentes & confusas multo manifestius ipsa Natura; sicuti id ipsum evidenter adparuit ex præparationibus à me allatis circa Vinum & Acetum; conspicuum autem amplius futurum est ex iis quas mox traditurus sum circa Tartarum & vini fæcem.

Prima & omnium simplicissima Tartari præparatio est ejusdem depuratio, quæ perfectior aut imperfectior fieri potest pro artificis arbitrio: Electum enim Tartarum purissimum, maxime pellucidum, ac crystallinum, in tenuissimum pulverem conteritur, quem nonnullis satis est in aqua pura, fontana aut fluviali, concutere ac eluere; donec aqua assumpta nullas amplius sordes à Tartaro auferat, ac non minus pura effundatur quam cum illi affusa est: Eiusmodi tamen Lotio Tartaro ultimam puritatem conciliare nequit, segregat enim solum partes ligneas & terrestres, dummodo arenularum naturam non respiciant, Tartaroque eam dispositionem inducit ut facilius ad quoscunque usus adduci queat: Imo hunc nonnulli potiore illo censent qui in aqua ferrente dissolutus fuit, rati eiusmodi depurationem secum inferre aliquam diminutionem virium aut substantiæ detrimentum.

Secunda & magis intima Tartari depuratio est ejusdem in Cremorem aut Crystallos conversio, cujus præparationis hæc est ratio, Accipiantur, exempli gratia, Tartari prædicto modo loti libræ tres vel quatuor; excipiantur capaci aheno cupreo mundissimo, cui subdatur luculentus ignis carbonum, affusa aquæ purissimæ decupla portione; Postquam ferbuerint per horæ quadrantem, ex intervallis, rudicula lignea commovendo, spumamque demendo, transmissio fiat per manicam panneam, imo iterata colatura prioris liquoris, curando ut totus liquor limpidissimus evadat: Vniverso percolato, sponteque frige facto, nonnihil Cremoris liquori supernatantis occurret, crustæ instar, reliquum vero salis Essentialis Tartari, forma exiguorum Crystallorum



lateribus & fundo vasorum affixum, colligendum, lavandum & exsic-  
candum, ad usum, citra alium adparatum, si lubet, adservandum; Sin  
elegantior experatur, ac in crystallos majores concretus, elixandus  
erit in magna sartagine affusa nova aqua limpidissima; cum vero om-  
nino dissolutus fuerit, aqua autem in tantum imminuta ut cremor su-  
pernatate pelliculæ instar deprehendatur, Sarrago leniter ab igne re-  
movenda, sponteque refrigerato liquore, atque inconcusso, depre-  
henderetur cremor sat densus illi supernatans, Crystalli autem albæ & ni-  
tentes, lateribus & fundo sarraginis adfixæ, hæ lotæ & exsiccatæ ad  
usum reponendæ sunt.

Ingens quantitas Crystallorum Tartari quæ conficitur in regionibus  
quibus Tartarus vulgaris est, in causa est ut non timide in usum ducan-  
tur vasa cuprea, etsi multo satius esset Tartarum decoquere in patellis  
stanneis sonoris; Etsi enim Tartarum cito pervadere nequeat, ac dissol-  
vere æris magnam quantitatem, per moram tamen, etsi brevem, aliquas  
particulas abstrahit, quæ proculdubio cremori aut crystallis confun-  
duntur, sicuti id observare est in Crystallis Tartari ejusmodi in vasis  
præparatis, illorum enim substantia est opaca, color autem candidus  
sed ad cupreum tantillum vergens: præparatæ contra in stanno purissi-  
mo albissimæ sunt, imo utcunque pellucidæ.

Divisio partium Salis hujus Essentialis per usum manicæ inducta, effi-  
cit ut fere forma pulveris in fundo & lateribus vasorum occurrat, adeo  
ut si Crystallorum forma experatur, postquam dissolutum fuerit &  
elixatum in recenti aqua, lenissime postmodum subducendum sit igni  
vas, quo liquore nequaquam commoto, ac Salis essentialis parti-  
bus nequaquam abruptis, crystalli magis integræ & elegantiores ex-  
surgant.

Interim in hoc Sale Essentiali omnino stupenda est vis acidi, justa  
proportione commixti, & volatili coadunati, quandoquidem novum  
corpus cum illo constituens, dissolutionem non patitur in aquis frigi-  
dis, at tantum in ferventibus, imo ab illis separatur, ac iterum in cry-  
stallos abit prout refrigescunt; Hæc tamen vnitas adeo constans  
non est quin artificio dirim nequeat, nam adde quod si dictæ Crystal-  
li igni committantur, & portio partis acidæ crucibulo indita aut re-  
tortæ in vapores dissolvatur, Sal superstes aciditate spoliatum reperia-  
tur, depositaque pristina natura in aqua dissolutionem patiatur, etsi  
ignis vehementiam eludat, in illo fixum & constans permanens; vni-  
tas præterea dicta dissolvi potest addendo salibus illis coniuctis quod-  
dam acidum recens, quod cum diversæ sit naturæ à priore, non pro-  
hibet quominus in aqua dissolubilia sint sicuti cum seorsim existe-  
bant;



stebant; non tamen acidum volatili priori indoli restituendo, quod æque fere uti prius fixum permanet, dummodo proportionem necessariam non excefferit.

Eadem unitas potest præterea dissolvi, Sal istud Essentiale diluendo in aqua, addito Sale Tartari, cujusmodi calcinationis ope præparatur; eo enim pacto cum acidum ab aliis salibus superetur, tantam autem copiam complecti nequeat, id quod cohibere sibique adsumere non valet, pristinam resumit naturam, adeo ut cuncta simul in aqua dissolubilia evadant.

Præcipuus usus Cremoris aut Crystalli Tartari spectat incisionem & digestionem crassorum & viscidorum humorum, quos ad purgationem prædisponit: Felici quoque successu adhibetur in obstructionibus Iecoris, Lienis omniumque viscerum, imo usus ad plurimos diu pro re nata protrahitur, Datur à scrupulo uno ad drachmam ex jusculo vel liquore aliquo calente, in quo prius dissolvatur.

## CAPVT LXIV.

*De Crystallo Tartari Chalybeato.*

**Q**Vandoquidem vis aperiens Salis vitrioli, in Chalybe delitescens, non parvas vires adjicere valet Cremori aut Crystallo Tartari, ideo commodum visum fuit quibusdam utraque conjungere, atque ex his remedium compositum efficere, cui Cremoris nomen impositum fuit, aut Crystalli Tartari Chalybeati.

Ad hujus præparationem prius in pulvèrem conteri debent Crystallorum Tartari libra una, in aquæ libris decem elixari ac dissolvi; sub finem adjiciendo limaturæ Chalybis uncias tres, probeque limatura hac in aqua commota, calide per manicam panneam transmittenda est, postea sponte refrigerata aqua secernantur & exsiccentur Crystallæ parte vitriolica chalybis ab ipsis dissoluta prægnantia.

Alii, eadem observata aquæ proportionem, Limaturæ Chalybis & Crystallorum Tartari, simul hæc ab initio igni committendo, per quadrantem horæ elixant, quoad cætera eandem viam ac primi tenentes.

Nonnulli, prius dissolutione facta libræ unius Crystallorum Tartari in aqua fervente, solummodo adjiciunt unciam unam vitrioli Martis, præparati cum spiritu vitrioli, sicuti suo loco ostensurus sum; demum refrigerato hoc liquore, eximunt Crystallum lateribus & fundo vasis adhærentes, exsiccati curant & ad usus reponunt.



Quidam prudenter admodum prius pulverisatis Crystallorum Tartari uncis quatuor, & drachmis duabus Vitrioli Martis, eadem humectant & in massam redigunt, cum uncis circiter duabus cujuspian aquæ cordialis, quam exsiccatam & in pulverem contritam, additisque aliquot guttis Olei Cinnamomi stillatitii, aut Caryophyllorum, hunc Pulverem donant nomine Crystalli Tartari chalybeati: Ex ejusmodi præparationibus quisquis eliget eam quæ magis arriferit.

Crystallum Tartari chalybeatû censetur remedium specificum plurimorum affectuum chronicorum, ac præsertim obstructionum Iecoris & Lienis, Icteri, Febris Quartanæ, Melancholiæ hypochondriacæ, mensium suppressionis, Cachexiæ, omniumque vitiorum quibus ortum dedere uterinæ obstructiones: Etsi vero non pauci & antiqui & neotetici authores id genus remedii usurpare soleant ad curationem ejusmodi affectuum, ac ut plurimum disquisitione non prægressa illorum originis, nulloque adhibito discrimine, abstinendum tamen judico si morbis his causam præbuerint Acida, eo quippe in casu confugiendum ad præparationes quæ horum aculeos obtundere valeant, nimiam actionem domare, humoribusque fluiditatem conciliare qui ab ejusmodi Acidis fixi redditi fuerunt: Vtiliter solum in usum venit hoc Tartari Crystallum Chalybeatum post remedia universalia, præsertim præmissis purgantibus, ad quæ iterum atque iterum pro re nata deveniendum: Exhibetur à semiscrupulo ad semidrachmam, ex iusculo vel liquore quopiam calente, mane, jejunò ventriculo, pergendo in usu quamdiu usus postulaverit.

## CAPVT LXV.

### *De Crystallo Tartari Emetico:*

**E**lectio adhiberi solita Crystalli Tartari, ad coërcendam & quasi concentrandam vim Antimonij Emeticam, proculdubio probanda fuerit, ut pote rationi consona, illis qui perpensuri sunt partem acidam crystalli, temperando vehementiam, mansuetiores hujus effectus reddere; adeo ut prægressis quibusdam vomitibus, exoneratoque ea via ventriculo parte saburræ & Cacoehymix molestæ, reliquum per inferiora secedat una cum fecibus in prima & secunda regione obviis.

Crystallum Tartari cum sit basis istius præparationis, nolui in censum veniret illarum quæ ex Antimonio fiunt, etsi huic præcipui effectus assignandi sint: Eadem quoque de causa hic silentio prætereo ea quæ Antimonium



monium spectant, uti etiam Aquam compotam, ad hujus CrySTALLI præparationem usurpandam.

Accipiantur CrySTALLI Tartari unciaë quatuor, Croci metallorum tantundem, cum Sale Absinthij præparati, sicuti ostensurus sum cum de Antimonij præparationibus edisseram; illis in pulverem subtilem deductis; huic autem grandi Matratiõ excepto, affundantur libræ quatuor Aquæ Benedictæ Serpilli Mynsichti, cujus descriptionem traditurus sum parte postrema hujus operis; demum obturatum Matratiõ per quadratum Arenæ Balneo committatur, igne moderato subdito, materias per vices versando; Postmodum augendus erit ignis Balnei, adeo ut liquor aliquantisper ferveat, qui calens per manicam panneam transmittendus, superstite croco metallorum in fundo Matratiõ: Tandem liquore probe refrigerato secernenda erunt & exsiccanda CrySTALLA, quæ exsiccata & pulverisata ad usus reponentur.

CrySTALLO hoc lenius & præstantius Emeticum præparari non potest; Eapropter etiam omni ætati & sexui exhibetur, imo & iis qui maxime teneræ sunt constitutionis, atque securius quam quodvis aliud Emeticum ex Antimonio petiitum, aliisve mineralibus: Commodissime in usum accersitur adversus Lethargum, Epilepsiam, Apoplexiam, Deliria, mentis aberrationes, cunctosque cerebri affectus; Ad vitia Ventriculi, subversiones, Ictericum, Hydropem, Febrem Quartanam, Tertianam & Quotidianam, imo & continuas biliosas: In usum etiam accersitur ad expellendum è ventriculo ingestum venenum, aliasque materias morbificas: Exhibetur hoc CrySTALLUM à tribus vel quatuor, ad octo vel decem grana, ex Iusculo vel alio quopiam liquore calente.

Etiamsi porro CrySTALLUM hoc vomitivum quam lenissimam operationem exferat, imo mitiorem quam quodvis aliud Emeticum, non propterea sunt præmittendæ cautiones alias observandæ si artificio provocandus vomitus: quarum præcipuæ sunt ne detur iis qui in hæmoptysin poni sunt, qui Pulmonum, aliarumque partium internarum ulceribus laborant; quibus angustum est pectus; aut qui difficulter vomitu ventricolum deplent: Neque etiamnum porrigi debet mulieribus gravidis: Neque præterea omittenda est exhibitio Iusculi pinguis, ex butyro vel carnibus confecti, illis qui medicamentum hauserunt, inchoante superna excretionem ut facilior succedat vomitus & sine labore.



## CAPVT LXVI.

*De Sale Fixo Tartari, Eiusque in Liquorem Solutione.*

**I**N controversiam adducenda non est Fixi qualitas, ab antiquioribus & Neotericis Sali Tartari adscripta, si mediis ordinariis præparatum fuerit, adhibito igne vehementi; Sed immerito quis in eam abiret opinionem Sale ejusmodi tale ex se esse, cum propria natura admodum volatile sit, eandemque laudabilem conditionem conservaturum esset, nisi, uti alibi innui, à Sale acido, quod compositionis Tartari partem constituit, fixum redderetur, intimam cum illo conjunctionem ope calcinationis admittens.

Ejusmodi tamen alteratio, quanquam insignis sit, destructionem illius non molitur, quandoquidem maxima hujus salis pars pristinae volatilitati restitui potest si à vinculis hoc expeditum fuerit ea propter secreto vel superato Acido, aut si utriusque conjunctio præpedita fuerit: Illorum tamen unitas commodo non omnino caret, quandoquidem fixiore reddito Sale volatili, ejusdem dissolutionem prohibetur, & in plurimos usus hoc in statu venire potest, ad quos Sal volatile solitarium incassum accerferetur, cum igni obistere non valeat.

Subsidentia distillationis Spiritus & Olei Tartari, de quibus jam superius à me actum, non inutilis futura est si igne aperto calcinationi exponatur, mediisque usitatis Sal abstractum fuerit: Quibus porro curæ non est Spiritus, uti neque Oleum Tartari, immittant illi Tartari crudi libras aliquot sacco ex crassa papyro confecto, qui probe ad alligatus, & aquæ immerfus, donec hæc illum tantillum pervaserit, imponendus medio foco ingentis Fornacis, carbonibus probe accensis semirepleta; qui illis omnino coopertus continendus bihorio, igne luculento; quo temporis spatio exacto, igneque extincto, offert se Tartarus calcinatus, massæ nigricantis specie, constantis ex Sale acido, conjuncto Sali volatili, ab illo fixo reddito, ac præterea parte terrestri Tartari illis commista: conteritur postea hæc Massa, atque aquæ non exiguæ quantitati injecta elixationi committitur, traductoque per chartam emporeticam liquore, reaffusa aqua recenti subsidentia, reiteraque ebullitione, sicuti & filtratione, commixtoque hoc postremo liquore cum priore, igne supposito, humor redundans absimitur, superstitite in vasis fundo Sale Tartari candidissimo & fixo, citra alium adparatum, si libet reconduendo in lagena vitrea densa probe oclusa; aut in cella vinaria reponendo, vel loco humido, paropside vitrea excepto, donec in liquorem abierit,



quem improprie vocant Oleum Tartari, quandoquidem revera aliud nihil est quam Sal Tartari resolutus, aut liquefactus, cujus resolutione etiam promoveri potest addita ea aquæ quantitate quæ sufficiat Sali dissolvendo.

Qui candorem Salis Tartari intendere voluerit, aliorumque salium plantarum, fixorum numero adscriptorum, eademque & elegantia & sicca conservare, adeo ut humiditati aëris impervia sint ac insolubilia in humore superfluo prius discussa, subtriplo circiter pondere sulphuris pulverisati illa commisceant; hoc accendant & absument salibus dictis confusum igne carbonum luculento; demum facta elixivatione, hinc filtratione, liquoris evaporationem procurant, ad pelliculam usque in Cucurbita vitrea, igne arenæ; demum sponte refrigeratis materiis, separant & exsiccant Crystalla, imo iterum liquorem supernatantem ad pelliculam usque in vapores solvunt, superstite Sale adhuc ibi contento.

Neque etiam mirum ejusmodi Salia, simplicem calcinationem experta, aëris penetrationem admittere, quia etiam si in sui calcinatione tantum Acidi obtinuerint quantum opus fuit ut fixitatem adipiscerentur, non tamen accessit quantitas requisita ad adimplenda spatiosa quæ ignis particularum actio effecerat, porique illorum sufficienti dilatatione pollent ob quam nullæ non tempore excipiunt humiditatem obviam, aëris præsertim, si illi exposita fuerint: Non, inquam, admirationi locus si non raro in liquorem abiisse videamus, in vasis recondita accurate non occlusis: At vero si Acidum recens occurrat, cujusmodi è sulphure emergit, commixto, simulque accenso in postrema illorum calcinatione, proculdubio id sibi ad plenitudinem adsumunt, adeo ut cum nihil fere vacuum adsit, neque Acidum aëris, neque aliud quodpiam, arctissimam illorum connexionem divellere valeant,

Neque tamen probanda toties repetita ac tam vehemens calcinatio, quandoquidem peragi illa nequit absque insigni nonnullarum partium optimarum detrimento, ac præsertim spirituosæ sulphuræ; id quod manifestum fit ex imminutione odoris & saporis plantæ, nunquam non contingentis Salibus dicto modo calcinatis, in quibus maxima alia pars foret superstes nisi dictam ignis vehementiam perpessa essent: quo fit ut iure merito Salia Essentialia anteferenda sint, igne leni & modico è plantis elicienda, illis quæ igni violento exponuntur, cujusmodi est calcinatorius.

Sal Tartari tanquam norma Salium omnium plantarum fixorum habendum est: Nullum in utraque Pharmacia usitatus, Chimica præfer-



tiū, quæ ipsum usurpat non solum purgantibus & aperientibus commixtum, & ad Acidorum retusionem, fermentationes in corpore nostro inducentium; sed etiam dissolutionis causa ac precipitationis plurimum aliarum substantiarum, potissimum mineralium, sicuti & ad acuenda plurima Menstrua segnia, adhiberi solita ad extractionem Tincturarum variorum medicaminum; ut missos faciam usus externos, tum ad maculas & nævos faciei delendos, tum & curandos cutaneos affectus, à salibus acidis inductos, quæ specificè expugnat.

Nonnulli, prius trituras, & commixtis partibus æquis Tartari & Nitri, pulverem hunc immittunt grandi mortario ferreo, aut æneo, excalesfacto, hocque ope carbonis candentis accenso, calcinationem fere momento temporis absolvunt, obvio in fundo Sale albo, quod pro Sale Tartari habent, etiam si Nitri sal fixum mediam illius partem constituat.

Præparatur etiam Sal Crystallinum ex partibus æqualibus Salium Tartari & Nitri, in pulverem subtilem contritorum, dissolutorum in aqua rosacea excalesfacta, demum filtratorum, coagulatorum, in Crystalla deductorum more Solito, Tartari nitrati nomine donantes; quod admodum confert referendis obstructionibus Iecoris, Lienis, Renum & Vreterum, imo & extinguendis inflammationibus oris & faucium, exhibendo ex liquoribus idoneis à semis scrupulo ad drachmam semis.

## CAPVT LXVII.

### *De Tartaro Vitriolato.*

**E**Tiam si effervescentia intensusque calor in vase ac materiis, à conjunctione Salis aut liquoris Tartari & Spiritus rectificati vitrioli perceptus, plurimos inducat ut existiment sobolem esse antipathix inter Acida & Alkalia, id tamen audacter asseram insignem & innatam horum salium dispositionem ad mutuam & intimam conjunctionem, cum ut in se invicem agant & reagant celeriter impellat, imo quadam adhibita violentia, fervorem & incalescentiam hac de causa, non priore, subsequi: Sicuti autem ambo illa desinunt cum hæc Salia sese mutuo pervaserunt, & ad satietatem quasi sese invicem absorpserunt, adeo ut postmodum tumultus illi non accidant, quæcunque deinceps alterutrius superadditio facta fuerit, utrisque æqua proportionem commixtis, immerito ejusmodi effectus cuiusdam antipathix adscribendus foret; cum



cum revera si quæpiam adforet, proculdubio in alterutrius Salis destructionem illa tenderet, aut, si mavis, utriusque; id quod minime contingit, quandoquidem ab immisso Retortæ Tartaro Vitriolato, eoque igne per gradus adhibito impulso, spiritus Vitrioli extrahi potest priori conditioni fere omnino similis, Sale Tartari in fundo Retortæ, nullam fere alterationem perpeffo, superstite; Illius effervescentiæ causâ vocabulum Magisterij Tartaro vitriolato inditum fuit, etsi præcipitationis prægressæ nulla adsint indicia in conjunctione Spiritus acidi cum Sale fixo; imo quidem coagulatio quædam, inducta ab intima coadunatione & concorporatione Spiritus Vitrioli eum Sale Tartari.

Neque levis est illorum error qui metuunt ne pars volatilis Tartari Vitriolati in auras discedat ab incalescentia & fervore materierum; quandoquidem certissimum est aquam tantum quandam inspidam efferrî; experientia autem & ratione docentibus, cum salia fixa & volatilia conjungi cum acidis æque desiderent, arctè illa amplexantur ac simul intime coeunt, adeo ut non nisi ægerrime ab invicem divellantur; Sicuti id ipsum manifestissimum est in combinatione Salium volacilium Animalium cû Acidis; tunc enim calor & fervor etsi admodum insignes, præter aquam inspidam & in odorem nihil ex se emittunt; Etiam si præcautionis gratia nonnulli præceperint usum exiguorum infundibulorum, ac per angustum illorum canalem infundi leniter Acida super Salia volatilia, accurate vasorum orificia obturando; inani metu dissipationis partis Salis, cujus acidum momento temporis volatilis naturam in fixum transmutat, ob arctam quam cum illo contrahit necessitudinem.

Nonnulla apud Authores occurrit diversitas circa proportionem Salis Tartari cum spiritu vitrioli, ad præparationem Tartari vitriolati; Metienda vero illa est ex majori aut minori copia humores occurrentis in Sale Tartari resoluti; vel potius majori aut minori Spiritus Vitrioli rectificatione; Certissima autem norma fuerit, infusionem inchoatam unius in alterum inhibere statim ac ebullitio incipit, indicium enim præbet Sal fixum & spiritum acidum reciproce & sufficienter sese invicem permeasse & quasi ad satietatem explevisse, ac legitimæ proportionis metam adeptam esse.

Prædictum Sal cum Spiritu commisceri debet in cucurbita vitrea magna & alta, quo ebullitioni supervenienti amplum concedatur spatium: Ex arbitrio artificis pendet Spiritum Vitrioli supraliquorem Tartari affundere, aut Liquorem super spiritum; Id præcipue observandum ut non affatim fiat affusio, sed lenissima sit, & per vices agitentur liquores ut probe invicem coeant; ab infundendo vero cessatio fiat statim ac effe-



vescentia definit, quo tempore Cucurbita Arenæ Balneo imponenda est, igne adhibito moderatissimo, humidum redundans leniter in vapores solvendo adeo ut cuticula sola sit superstes, exurgatve Tartarum vitriolatum album & crystallinum; aut ad omnimodam usque humidi absorptionem, ac consequendam massam aut pulverem candidum.

Compendium tamen operationis obtinere licet, immittendo pro arbitrio quantitatem Salis Tartari albissimi pulverisati fundo Cucurbitæ vitreæ, lenissime superaffundendo tantum optimi spiritus vitrioli quantum absorbere valuerit, ab affusione desistendo cum effervescentia desierit; Eo enim pacto exurgit Tartarum vitriolatum albissimum & siccissimum, adeo ut nulla incumbat necessitas humorem superfluum absorbendi, cum nullus præsens sit.

Ejusmodi præparatio in exemplum generale venire potest, non modo conjunctionis Alkalium cum Acidis, atque insignis alterationis in illorum sapore contingentis, cæterisque qualitatibus à conjunctione illorum oriundis, sed etiam transmutationis liquidæ substantiæ in solidam, in spiritu vitrioli manifestam, qui se socium adjungens Sali Tartari, unicum demum cum illo corpus constituit.

Præparari potest Tartarum Vitriolatum crystallinum modo sequenti; Accipe Tartari albissimi libram unam, in tenuem deducatur pulverem, in pelvi fictili eluatur affusa aqua tepida, quousque cunctæ sordes abscedant; postea exsiccato, & indito Cucurbitæ Vitreæ Tartaro perpurcato, superfundantur libræ duæ Spiritus Vitrioli rectificati, superpositoque Cucurbitæ alembico, abstrahatur humor Arenæ Balneo modice calente; demum vasis refrigeratis, dissolve in aqua calente id quod in Cucurbita reliquum fuerit, demum rite filtrato hoc liquore, igne lenissimo in vapores dissolvatur humor superfluum ad pelliculam usque, tum sponte plane resigescant vasa, in alteram Cucurbitam vitream effundendo liquorem nondum in Crystallum concretum; seorsum reponantur Crystalla, ad usum exsicccanda pergendo demum in evaporatione ac conversione liquoris in Crystalla, donec ex illo eductum fuerit quicquid Tartari vitriolati intra se complectitur: Acidum adactum ab adjuncta spiritus vitrioli copia in hujusmodi præparatione, cum multum superet Acidi proportionem, quam Natura suppeditat in Tartari compositione, efficit ut eadem facilitate dissolvantur in liquoribus, tum calidis tum frigidis, hujusmodi Crystalla Tartari vitriolati, cum Crystallus Tartari vulgaris in liquoribus solum ferventibus dissolubilis sit.

Tartarum vitriolatum præstantissimum est Digestivum, incidens  
Medi-



Medicamentum, & Obstructionum aperitivum: Conducit præsertim liberando ab infarctu Iecore, Liene, omnibusque visceribus, sicuti & Vtero.

Dosis est à semisrupulo ad drachmam semis, ex liquoribus idoneis, Commode etiam commiscetur Opiatis, aliisque remediis aperientibus & purgantibus.

## CAPVT LXVIII.

*De Sale Tartari Foliato.*

**N**ON pauci Authores istius præparationis meminere, aliis involuta nominibus, diversisque allatis conficiendi rationibus, eundem tamen propemodum finem spectantibus; præcipuus enim illorum scopus, si ita loqui liceat, fuit saturare Sal fixum Tartari acido aceri, ac demum omnino explere spatiola vacua spiritu vini, ut perfectius simul coire queant.

Iubent nonnulli Authores repetitis vicibus inebriari Sal Tartari optimo aceto, toties distillationis ope inde abstrahi partem aqueam, has operationes repeti donec affusum Acetum non minus Acidum distillatione prodeat quam cum affusum est; Methodus autem subsequens & compendiosior est & facilior.

Immittatur Sal Tartari amplæ Cucurbitæ vitreæ, superaffundatur affatim tantum optimi spiritus acidi quantum Sal absorbere poterit, adeo ut Sal & spiritus reciproce sese pervadant & mutuo ad satietatem expleant, nullaque in materiis conspicua sit effervescentia, Hoc enim pacto unica vice consequi dabitur quod alias pluribus exequendum fuerit; Sale autem Tartari, & Acido Aceti arte combinatis, non difficulter in vapores Balneo Arenæ, igne moderato, pars aquea Spiritus Aceti migratura est, superstite in fundo Cucurbitæ materia nigricante, qualis antea occurrebat præmissis Operationibus repetitis de quibus supra à me actum: Sponte frigefacta hac materia, in optimo vini spiritu dissoluenda est, ac demum per chartam emporeticam transmissa, ac Cucurbitæ vitreæ indito; aqua absumentur erit Balnei cinerum ope aut arenæ, igne adhibito lenissimo, donec materia plane exsiccata sit: Postmodum rursus dissolvenda erit in alio spiritu vini, reiterataque filtratione, in vapores ille vini spiritus dissolvendus erit, igne quoque moderatissimo sicuti prima vice: Imo eademmet operationes repetendæ



erunt donec relinquatur materia alba, sicca, in folia distincta in vasis fundo, quamobrem authores illi nomen Salis Tartari Foliati imposuerunt, aut Terræ Foliatæ Tartari.

Sal Tartari, imprægnatum acido Aceti, plurimum accedit ad vires Tartari vitriolati; adjectio vero spiritus vini immutationem aliquam inducit; Sicuti enim dominium Acidi in volatile, vini in acetum conversionis author fuit, ita sulphureum volatile vini, hic additum, obtundit aculeum aciditatis aceti, compositique naturam immutat unde novus & diversus prodit effectus ac facultas omnino singularis.

Interim observandum est dum dissolutio instituitur Salis Tartari in Spiritu Aceti, ac dum conjunctio accidit istius Acidi cum Sale fixo, deprehendi præcipitationem ultimæ partis terrestris ejusdem Salis, quæ alias omnino inseparabilis videbatur: ac in dissolutionibus & filtrationibus, quæ ope spiritus vini peraguntur, filtro illam omnino adhærere, eoque pacto massam omnibus sordibus liberam superesse.

Hoc Sal, si lubet, dissolvendum in aqua quapiam cardiaca, quod in crystallâ deductum, ac mediis ordinariis exsiccatum, recondendum in lagenâ vitreâ densâ, accurate obturanda, aut eodem modo adservandum ac foliatum; vel in cellâ vinaria aëri humido exponendum, ut abeat in liquorem purpurei coloris, ad usus reponendum.

Istud Sal inter fixum & volatile ambigit, temperatæ est caliditatis, depurandæ massæ sanguineæ admodum idoneum, leniterque expurgandis, & appositissime, humoribus tartareis, plurimorum morborum pertinacium causis ordinariis.

Præscribitur à granis quinque aut sex ad octo vel decem; vel totidem guttæ dantur cum liquidum est, in juscule diluendo, aqua quapiam aut decocto idoneo.

Sal istud potest usurpari ad referenda & aperienda plurima mineralia, extrahendasque illorum Tincturas, præsertim Martis, addito Spiritu Vini, vel alio quopiam menstruo.



## CAPVT LXIX.

*De Sale Volatili Tartari.*

**S**Al Tartari cum propria natura fit volatile, sicuti alias monui, illa nequaquam immutanda est, in id potius incumbendum ut præcaueatur ne pars acida Tartari fixam efficiat Volatilem; vel indaganda media per quæ ab invicem dirimantur si forte conjuncta fuerint & simul fixa effecta.

Antiquis & Neotericis plerisque cum perspecta non fuerit intima dispositio Salium volatilium & fixorum ad ineundam conjunctionem cum acidis; uti neque unitas fere indissolubilis quam invicem contrahunt simul conjuncta, mirum esse non debet si aberraverint in disquisitione hujus Salis volatilis; maxima autem authorum pars silentium prætulerint, tacite sic innuentes notitiam illorum id effugere, potius quam palam facere iacturam temporis & laborum in illo disquirendo, quippe qui nihil certum tradere possent.

Neque tamen gloriari intendo mihi primum & soli id innotuisse, cum non ignotum sit plurimos eruditos & curiosos in Germania in similes propemodum cogitationes mecum coincidisse, & præparationes authoribus suis dignas protulisse; id vero ausim dicere inter Gallos primum me exitisse qui scripto publici juris fecerit, & publice in Gallia præparaverit: Id quoque dixero me non torvis oculis ( immediate ab emissa in publicum mea Pharmacopœa ) vidisse scripta quorundam Chimica hac præparatione superbire, antea ea parte mutila; quo pacto annuebant illi votis meis, ut scilicet arcanum Salis volatilis Tartari pervulgaretur, iam pridem & toties desideratum.

Istud vero ratum est Sal Acidum & Volatile, in Tartaro naturaliter contenta, ab invicem ægerrime divelli, atque perpetuam dispositionem ad arctam & mutuam conjunctionem nata esse, ac præsertim in ipsa calcinatione, per quam dissipata parte aquea, à qua illorum partes manifeste & sensibilibiter sejungebantur, apertissime constringitur partis terrestris quæ minime est crassa, media interveniens ad illarum conjunctionem, quæ nequaquam divelli potuit ullius dissolutionis ope, aut accuratæ quantumvis filtrationis: Etiam si vero efficaciam violenti istius ignis pars aquea omnino in nihilum abeat, ac proinde Acido insignis imminutio accidat, nihilominus tamen tan-



cum illius superest, quantum satis est ad tuendum unitatem quam juncta incunt per mutuam & reciprocam actionem dum calcinatio instituitur; Adeo ut ad dissolutionem istius unitatis, secretionem Acidi facta, aut superato superstite, à quo adhuc volatile irretitur, cum illius partibus peracta calcinatione, nonnulli Neoterici novum Acidum adhibent, quod tamen ejusdem fit indolis atque in eadem materia continetur cui inerat id cujus maxima pars per calcinationem Tartari absumpta est; Id nec ratione destituti agunt, cum enim Sal Tartari per calcinationem spoliatum sit plurimis partibus acidis per quas coercitum fuerat; superfuerit vero tantum quantum requirebatur ad tuendam fixi qualitatem, pars hujus Salis quæ maxime fixa reddita est, tunc temporis Acidi admodum avida & quasi famelica, id quod naturaliter accidit cunctis Salibus fixis; quo fit ut novo huic Acido citissime se adjungens, cujus partes idoneæ sunt explendis cunctis poris ab actione ignis relictis, recens hæc unitas in causa est ut pars maxime volatilis Salis Tartari libertati innatæ & volatilitati restituatur, odore sui præsentiam promptissime prodens, cunctisque indicibus Salibus volatilibus essentialibus insitis: Neque id admirationi esse debet, quandoquidem ut restituatur Salibus volatilibus Animalium volatilitas ab Acidis intercepta per horum fixationem, ad Salia fixa confugiendum est, penes quæ sola potestas est expellendi ex Salibus Acidis volatilia, atque adsumendi ut sibi intime jungantur: Vnde postmodum volatilia illa se extricant, atque exerunt omnes qualitates quibus prædita sunt.

Præcipiunt iidem Neoterici prægressa calcinatione ad nigredinem usque, trium quatuorve librarum Tartari crudi, grandi olla ferrea exceptarum, illis affundi aquam communem, quæ emineat transversè digiti crassitie, Ollæ postmodum supponi modicissimum ignem, materiis autem optime dissolutis, ac solum tepefactis, paulatim inspergi Tartari crudi subtiliter pulverisati manipulum semis, adeo ut dehinc exfurgere conspiciantur in superna parte liquoris plurimæ ampullæ; pergendoque in paulatina, & per vices facta, novi pulveris supra liquorem projectione, fermentatio augmentum capiat, ampullæ intumescant, numero augeantur ac simul congregentur, elegantique figura racemos referunt: Interim ignis regimen debitum iidem imperant, cujus calor illum non excedat qui adhiberi solet ad fermentationes promovendas, Lenissimam esse jubent pulveris asperzionem, ne



fi una vice plusquam decet injectus fuerit, suborta nimia effervescencia materiæ vasis oras excedant & extravasentur; Ab aspersione vero pulveris abstinendum volunt desinente ebullitione, Postmodum præcipiunt liquorem hunc immitti Cucurbitæ ferreæ capaci & excelsæ, qua cooperta alembico idoneo vire loricato, ad aptatoque Recipiente, itidem incrustato, institui distillationem Balneo Arenæ igne lenissimo, initio potissimum; imo ex intervallis admovenda lintea madida Cucurbitæ ambitui, reprimendæ gratia liquoris effervescentiæ nimie, tandem adaugeri ignem ad promovendum ascensum Salis volatilis, rectificatoque liquore distillato quantum satis est ad Salis secretionem, qui exurgat omnino elegans & purissimus: Asferunt iidem ab hujusmodi fermentatione partium tum Tartari crudi, tum calcinati adeo intimam fieri divulsionem, ut peracta distillatione in magmate nullum fere subsit sal, neque volatile neque fixum.

Tartarum crudum, & Sal Tartari calcinatum cum unius ejusdemque materiæ sint soboles, non ita pronum est statuere quodnam illorum prius in fermentatione volatilitatem acquirat cum præsertim non levis exurgat quantitas, ne mica fere illius in magmate superstitæ, ex sententia prædictorum Auctorum: me judice tamen ob confusionem à fermentatione inductam partibus, ut secretioni ab invicem idoneæ fiant, Acidum Tartari proculdubio adjungit sibi arte tantum Salis fixi quantum complecti valet; portio autem Salis, quæ illi adsociata est, eadem facilitate unitatem suam tuetur ac illa quæ secedens à succo racemorum media fermentatione, potissimam Tartari materiam constituit.

Volatilitas etiam Sali Tartari conciliari potest mediante Oleo nigro ex eodem Tarraro distillato, cujus portio adsumitur; quibus probe concorporatis cum duplici pondere Salis Tartari depurati, hæc massa Retorta vitrea excipitur, accuratissime obturanda, quinque aut sex mensium spatio supra Pistoris furnum, aut in loco quopiam moderate calido detinenda, postea referata Retorta, adjunctoque illius rostro grandi Recipiente, probe loricato, ope Balnei arenæ, igne per gradus adhibito, educitur Sal volatile urinosum, album, crystallinum, odoris admodum penetrabilis, cui commixta est portio ejusdem Salis in liquorem resoluti, comite paxillo Oleo, eadem fere penetrandi vi prædito ac idemmet Sal.



Etiamsi autem quis existimet in Oleo Tartari plurimum Sal volatile contineri, non secus ac in plurimis aliis Oleis, Sal autem volatile e ductum exinde emergere, Admodum tamen verisimile est Sal Tartari maximam illius partem largiri, quandoquidem Sal volatile sat magna ascendit quantitate, & multo major quantitas comparatur ratione habita Olei injecti minori copia, atque in fundo solummodo reliquus est carbo unctuosus, fæces Olei præsertim referens, multo levior Sale Tartari eapropter adhibito.

Censeo etiamnum à diutina digestionem cum referatæ sint & divisæ etiam minimæ particule ambarum illarum substantiarum, atque divulsa singularis unitas inter Sal Tartari & portionem Acidi inita, ac particulas quasdam terræ sicuti & quæ intercesserat Oleum & Salis volatilis portioni, discordia autem inter omnes partes suborta; unde alius illarum situs nova unitate procurata, tunc in proclivi esse ut Sal volatile, & purissima Olei portio se exserant qualitatibus suis instructa, extricata à vinculis à quibus non amplius coërceci queunt.

Adde his fermentum arcanum Salis volatilis, in Oleo Tartari delitescens, cum illi concessum fuerit amplum temporis spatium ad sui exaltationem & multiplicationem, non solum dominium in partem Acidam consequutum esse, sed præterea hanc in propriam suam substantiam quodammodo transmutasse, ab efficacia adjuncti Olei Tartari, in quod acida efficaciam nequaquam exserere valent, quibus quippe, quamdiu solitaria sunt, nequaquam cohærere & conjungi queunt, nisi interveniente salium mediatione: cum præterea Acida, cum difficillime divellant unitatem quam Salia facillime cum Oleis contrahant, figuram enim alienam admittere cogantur, ac naturam salium induere, ut in eandem unitatem venire queant quam Salia cum Oleis iniere.

Alumen à quibusdam Neotericis usurpatum ad conciliandam Sali Tartari volatilitatem, non indignum est quod in societatem admittatur, etiamsi nonnulla quædam occurrant dubia circa diversitatem substantiæ Salis Tartari & Aluminis; at dubium omne removebitur si illud animadversum fuerit ab Alumine nihil improbi afferri aut inutilis in sui distillatione, nec inutili effectu aquam illius spirituosam usurpari, imo intus adsumi, præsertim ad oris affectus & faucium: Neoterici hac ratione procedendum jubent.

Salis Tartari probe exsiccati ac depurati libræ tres commisceantur æquali penderi Aluminis electi crudi, in pulverem contriti, his simul coniectis in capacem Retortam argillaceam, luto obductam, impostam fornaci Reverberij clausæ, adaptatoque illi & accurate loricato capaci



capaci Recipiente, instituat<sup>r</sup> distillatio igne per gradus adhibito, initio leni, sed sub finem auctiori, ad ultimum usque terminum; quo pacto, vasis refrigeratis, plurimum Sal volatile Tartari obvium fiet, odoris & saporis admodum penetrabilem, commista simul Aqua Aluminis spirituosa, mediis ordinariis rectificanda, obrinendi gratia Sal volatile, ultimam puritatem & perfectionem adeptum.

Iidem Neoterici, illis satisfacturi quibus non arrident partes aqueæ & spirituosæ Aluminis, proculdubio sursum evectæ, una cum partibus Salis Tartari in distillatione ascendentibus, repudiato Alumine crudo, ejus tantum caput mortuum admittunt, ex quo contrito & anatico ponderi Salis Tartari siccissimi & pulverisati commisto, per Retortam Sal volatile eliciunt, eadem via incedendo ac cum alumine crudo.

Acidum in Alumine contentum adeo debile est, ac tam parvi momenti, ut nequaquam illi adscribenda videatur volatilifatio Salis Tartari, sed potius parti illius fixæ, à distillatione residuæ, quandoquidem, concedentibus iisdem Neotericis, hunc effectum editi etiam non adscito in societatem Acido.

Causas quod attinet volatilitatis acquisitæ ope Aluminis censeo Sal terrestre postremi hujus, commistum Sali Tartari, obvium habens reliquum Acidum à quo fixum fuit redditum hoc Sal, poris autem magis pervium cum sit, ac illo aridius, id absorbere, vel saltem, adeo imminuere, ut cum tam insignem copiam intra proprios poros continere nequeat, maximam illius dimittat partem, quæ libertate donata volatilis evadat sicuti erat propria indole.

Alio loco enuntiavi substantiam maxime acidam uvarum succi conjungi plurimæ parti Salis volatilis ad constitutionem Tartari; fæces autem in fundo doliorum superstites Sale volatili plurimo cum gaudeant, & spiritu sulphureo, paucissimo pollere Acido, quod pauxillum tantum Volatile fixum reddere valeat: iisdem quoque de causis non levi negotio elicere licet Sal volatile ex dictis fœcibus, neque opus est accedere materias extraneas in auxilium: Eapropter, secreto filtrationis & expressionis ope vino, quod comitem habet fæcum partem maxime crassam, in qua sal volatile delitescit parti terrestri commistum, distillatione autem facta istius vini ad evocandum spiritum illius volatilem & inflammabilem, Soli exponenda erit optime exsiccanda, aut summæ parti furni Pistoris imponenda crassior illa pars, quæ in pulverem contrita proprio spiritu irroranda, vel alio simili alkoolifato, quo mediocriter humefacta, massa ut sponte exsiccetur permittendum,



eodem loco cui prius exsiccanda commissa est, postea immittenda capaci Retortæ argillacæ, luto obductæ, duas circiter hujus partes implendo : qua collocata supra furnum Reverberij clausum, adaptatoque, (accurate loricate), illius Rostro magno Recipiente, suscipienda erit distillatio, initio ducto ab igne lenissimo, per gradus sensim augendo per decem aut duodecim horas, ad ultimum usque terminum; Postmodum sponte frigefactis vasis, iisque decrustatis, nancisci licebit in Recipiente Sal volatile Tartari, parti Oleagineæ commistum, cum plurimo phlegmate, quæ simul infundenda in ingens matratium longiore collo præditum, quod impositum arenæ Balneo, ac Alembico proprio instructum, accuratissime luto communitum, instructamque exiguo Recipiente, luto itidem obducto, Rectificatio celebranda erit igne moderatissimo, eadem via procedendo qua ad rectificationem cæterorum Salium volatilium, Tunc conspicuum erit Sal volatile Tartari prius ascendens, & interiori Alembici parti adhærens, albicante forma & crystallina, unde cito eximendum erit, non minori industria quam celeritate, præcavendæ causa quantum licebit illius dissipationis, ac commixtionis partis Oleagineæ proxime Sal illud volatile consequentis, una cum phlegmate sursum evhendæ, à quo dissolutum fuerat & simul abstractum reliquum Sal volatile.

Affusio spiritus vini alkohollati in has fæces siccatas non omnino necessaria est, quandoquidem Sal volatile ex illis abstrahi potest, non admisso hoc spiritu; at vero eapropter commode accersitur, quod cum sibi adsciscat partem aliquam acidi fæcum, atque secum illam abstrahat dum in auras abit, ab illo liberat Sal volatile, præstatque ut majori copia prodeat quam ulla alia methodo.

Sal volatile Tartari admodum conducit depurandæ sanguineæ massæ, expellendis per poros cutaneos humoribus fuliginosis & acribus, Acidis domandis, fermentationi prohibendæ, illorumque transpirationi promovendæ, aut per lotium vel alvum expellendis : Commode in usum adduci potest ad curationem febrium intermittentium, singulariter vero Quartanæ, Icteri, Hydropum, Cachexiæ, Scorbuti ac plerorumque morborum chronicorum, tum in viris tum mulieribus.

Procul ab alimentis exhibendum, à decem aut duodecim granis ad viginti usque aut triginta, ex liquoribus convenientibus, vel Boli forma, Conservis commixtum, Electuariis aliisque medicamentis : Specificè etiam confert sistendæ gangranæ, ore adsumptum, & parti affectæ



ætæ admotum: Ad dissolutionem etiam plurimorum mineralium exitium est.

Licuiſſet hic nonnullas alias præparaciones Salis volatilis Tartari inferre, ſed ſat multas multas me adduxiſſe exiſtimo; poſtremam autem à me adductam, uſu mihi compertiffimam, nulli inferiorem eſſe, ſive præſtantiæ attendas, ſive præparaciónis facilitati exiſtimo.

Cærerum exempla à me adducta Salium volatiliſſimum alborum & cryſtallinorum, methodo à me propoſita extrahendorum, non modo ex facibus vini ac fabis exſiccatis, ſed etiam ex nonnullis aliis leguminibus, plurimiſque plantis antiſcorbuticis, errore eos liberatura ſunt qui tanquam verum accepturi ſunt id quod Zvvelferus Claſſe decima quinta Pharmacopœæ ſuæ Regiæ, pagina 668. editionis Dordrechtendiſis anni 1672. adfert ubi poſt plurimos ſermones, eundem in ſcopum tendentes, tandem ſic inferit, *Quare vero verius comprobatum manet, nulum ſubſtantiale exiſtens Sal volatile, ex vegetabilibus, uti ex animalibus in dies accidit, arte elici poſſe; niſi ſalem fixum, & hunc ipſum nonniſi præmiſſa incineratione.* Quandoquidem experimenta faciendæ rerum à me productarum illius aſſertiones omnino convellunt, ac ſimul rationes omnes inanes ab ipſo allatas, fulciendæ ergo ſuæ opinionis evertunt: Eſt enim vix quiſquam in animum inducat virum, & eruditum & artis peritiſſimum in errorem labi potuiſſe, agendo de materiis quas crebrius manibus trivit & verſavit; id tamen certum eſt ipſum non ſufficienter animum advertiſſe ad ea quæ protulit; neque adeo aſſeveranter eadem prolaturum fuiſſe, ſi intime ſcrutatus fuiſſet naturam rerum quas tractandas ſuſceperat; Nam exempli gratia, animadvertere potuiſſet Fuliginem, quæ fere ſolum ex partibus Salinis & Oleagineis lignorum, quas ignis violenta actio abſtraxit & in ſublime evehit in caminos, conſtare, diſtillationi expoſitam ex Retorta, & plurimū Salis volatilis effundere, quod revera cenſendum eſt legitimum Sal volatile vegetabilium: Hoc vero clare evincit auctorem hunc hac in re hallucinatum eſſe, quod videlicet apertiffime ſibi ipſi contradicat claſſe decima quinta Pharmacopœæ ſuæ Regiæ pagina 719. quo loco ſuſcipit tradendam (ſibi ipſi adverſarius) methodum præparandi Sal iſtud volatile Tartari, quod nemine renitente Vegetabilis pars eſt; etiamſi illius procedendi ratio, ut ut tædii plena, tendat ad conjunctionem Salis fixi Tartari, cum Sale Acido ſubtiliſſimo aëris, quæ ad ſociare ſaragit: quicquid vero exinde abſtrahere poteſt neutiquam accedit ad facultates legitimi Salis Tartari, cujus modo attuli præparacionem.



## CAPVT LXX.

*De Tinctura Salis Tartari.*

**T**inctura Salis Fixi Tartari in se continet partes adeo puras & insignes ut non immerito huc accersenda sit, à me prætermissa prima hujus Pharmacopœæ editione.

Quicumque hujus Tincturæ præparationem tradidere, inter se quidem conveniunt de perpurgatione hujus Salis, de diurnitate & de vehementia ignis, quem tolerare illi necesse est, uti etiam de colore ex cœruleo & rubro misto qui illi comparandus est antequam egregia ex illo Tinctura elici possit, At nonnullis fatis est Sal hoc depuratum forti crucibulo indidisse, aut cuiuspiam vasi fictili idoneo; id valido Reverberij igni exposuisse, ac, si licet, in Furnum Figulinum immisisse, eoque ibi detinendum donec adeptum sit colorem elegantem ex rubro & cœruleo mistum.

Alii satius ducunt liquandum Furno anemio commisisse, forti crucibulo exceptum, ac per plures horas fusioni exposuisse, donec id intensum colorem adeptum sit; Imo aliquando confugere necesse habent ad crucibula ferrea, eo quod perrarò optima crucibula, etiam Germanica, diu ignem fusorium, Sal hoc continentia experiri possunt quin diffillant, illudque in ignem effundatur.

Vnicuique liberum relinquo huic vel illi methodo insistat, dummodo igne vehementi accenso, diuque prorogato, color intensus conciliatus fuerit, isque erubro cœruleus, huic Sali omnino conciliandus si modo ex illo Tinctura elicienda sit: Sed sedula diligentia adhibenda est ut fervens fustum hoc sal coloratum effundatur in mortarium ferreum probe excalesfactum, utque illius pulverisatio cita sit, postmodum in optimum Matratium vitreum densumque infundatur, prius excalesfactum, illi paulatim affundendo tantum spiritus vini rectificati quantum satis est ad intimam penetrationem & humectationem, postmodum superaddendo eundem vini spiritum donec Sali superemineat quatuor transversis digitis: Tum in collum hujus vasis introducendum erit collum alterius Retortæ vacuæ, sed multo minoris, deorsum vergens, adeo ut ambæ illæ Retortæ sibi invicem commissæ efficiant Alembicum cœcum dictum, juncturisque accurate luto obductis, Balneo arenæ vas committendam erit, accenso igne valido per aliquot dies



dies conservando, ac eousque donec ( ex intervallis leniter commovendo materias ) spiritus vini rubro colore intenso imbutum se exhibeat : Tum juncturae solvi possunt, ablato luto, Tincturam decantando in lagenam idoneam, qua accurate occlusa, Sali relicto affundenda erit æqualis quantitas optimi spiritus vini, juncturas iterum loricando, repetendo & instituendo easdem macerationes & commotiones in eodem Balneo, donec spiritus requisitum adeptus sit colorem : Postmodum utraque Tinctura Cucurbita vitrea excepta, hacque proprio Alembico cooperta, probe loricato, Mariæ Balneo tepido extrahenda erunt tres partes circiter spiritus vini; in fundo postea Cucurbitæ conspicua erit Tinctura Tartari, prædita omnibus qualitatibus quæ illi adsignari solent, in lagena vitrea densa, accuratissime obturanda, servanda.

Tinctura hæc in se complectitur purissimam partem Salis Tartari per spiritum vini dissoluti & volatilitate donati, à quo odorem gratissimum adipiscitur, illi non absimilem quem fundunt uvæ floridæ.

Etiamsi spiritus vini abstraxerit, & intime huic Tincturæ conjunxerit Salis Tartari partem tenuissimam; nonnullis porro verisimile forte videatur Sal in Retorta superstes propriis dotibus destitutum esse, hoc tamen ratum esse debet, si id dissolutum fuerit, iterumque filtratum & coagulatum, priori candori restitutum iri, idoneum redditum prioribus usibus; Imo censeo verisimile esse, ob diuturnam cum spiritu vini conjunctionem, acrimoniam ex parte retusam fuisse, aculeos vero nactum esse à particulis istius spiritus admissis, si in liquorem, loco humidiori repositum, dissolvatur, liquor autem iste transmissus fuerit per vitrum pulverisatum, infundibulo vitreo exceptum, liquorem exoriturum esse multo leniorem, Cosmetico, aliisque usibus aptiorem, eo qui ex sale Tartari absque spiritu vini conficitur.

Tenuitas substantiarum ex quibus constat hæc Tinctura, idoneam eam efficit ut pervadere queat singulas partes corporis, omnes obstructions referet, massam sanguineam puram reddat, ejus circulationem promoveat, ac roborato calore nativo parem illum reddat expellendis supervacaneis, ac functionibus omnibus perficiendis: Scorbuticis miram adfert opem, hydropicis & Ictericis: Meatus Iecoris referat dienis, Mesenterij, Renum, Vesicæ & Vteri, è corpore humores impuros tum per manifestos ductus, tum per insensibilem transpirationem expellens.

Exhibetur quarta pars cochlearis, dimidia, integrum cochleare, ex vino, jusculo, vel alio quopiam liquore idoneo, mane jejuno ventriculo, pergendo in usu prout necessitas postulaverit.



## CAPVT LXXI.

*De Sale volatili Oleoso.*

**E**Logia insignia quibus *Sylvius*, Medicus Lugduno-Batavus, afficit Sal volatile Oleosum, cui creberrimo in usu fuit ad curationem plurimorum morborum, cum plurimos impulerint ad disquisitionem preparationis illius, non immerito succensendum videtur erudito illi Viro, quod cum plurima scripta egregia in publicum emiseric, hujus vero remedii sæpius meminerit, descriptionem tamen silentio involverit: Ex quorundam tamen mente, consideratio morborum, quorum causa id adhibere solitus erat, examen porro aliorum remediorum ipsi familiarium, ad ejusmodi affectus, aut similes, in notitiam illius deducere potuit, ac forte arcanum detegere, substantias Oleosas cum spirituosis & volatilibus iusta proportione commiscendo & conjungendo.

Eapropter nonnulli jubent guttas aliquot Oleorum stillatitiorum, saccharo purissimo pulverisato excipi, demum dissolvi in aquis spirituosis aromaticis, admixto postea Sale quopiam volatili vegetabili, aut animali.

Alii existimant Sylvii scopo satisfactum iri si quædam portio Salis volatilis in aqua spirituosa & oleosa, majoranæ, lavendulæ, aut cujuscumque plantæ odoratæ, olei nonnihil obtinentis dissoluta fuerit. Alii miscent Spiritus oleosos aromatum cum Salibus volatilibus, vel spiritibus illorum Salinis; qui revera nihil aliud sunt quam eadem salia in phlegmatis aliqua parte resoluta.

Harum procedendi rationum cum propemodum in omnibus idem sit scopus, in nulla vero absint partes oleosæ, & salinæ volatiles, ipsis abnegandum non est nomen Salis volatilis oleosi; at cum necesse sit nosse proportionem diversarum substantiarum quæ constituere debent compositionem Salis volatilis Oleosi, meliorem normam tradi non posse censeo ea quam proposuit Dominus *Tilingius*, Rintelij Medicinæ Professor, libro cui titulum facit, *Prodromus Præxii Chimiæ*, edito Rintelij anno 1674. in quo illius descriptionem tradit pagina 342.

*Accipiantur, Eo monente, Vncia una Spiritus aromatici (cujus postea adducit descriptionem) Salis volatilis Ammoniaci drachma due, Tincturæ*



*Caryophyllorum gutta sex* ; hæc lagenæ simul commixta committantur, probe obturandæ, Mistura hæc per noctem quiescat, liquor autem limpidus factus decantetur, separandus à tantillo pulvere ad fundum delato ; Eo pacto adipisci licet Sal volatile oleosum, aut potius Spiritum aromaticum Sale volatili prægnantem, aut, si mavis, Sal volatile temperatum, odoris & saporis gratissimi, quod tenuitatis partium gratia admodum convenit attenuandis & discutiendis vitiosis humoribus, atque per habitum corporis excutiendis : Commodissimus etiamnum est illius usus in cunctis morbis frigidis, iis præsertim quos inducit succus quispiam, aut fermentum acidum, quorum effervescentiam compescit, effectusque metuendos arceat.

Salis istius volatilis dozis est à guttis quinque ad decem, ex aqua quapiam distillata idonea.

Descriptio Spiritus Aromatici ab ipso allata hæc est.

R. *Cinnamomi electi uncias duas*  
*Rosarum rubrarum unciam unam & semis*  
*Seminum Anisi*  
*Fœniculi ana drachmas sex.*

*Galanga.*

*Caryophyllorum, ana unciam semis.*

*Cardamomi.*

*Seminum Oryacanthæ ana drachmas duas.*

*Santali Citrini.*

*Nucis moschata.*

*Cubebarum ana scrupulos duos.*

*Cuncta optime conterantur præter Rosas, & commixta simul indantur Cucurbitæ vitreæ Affundantur Spiritus vini optimi libræ sex.*

*Aquæ pluvie libra una.*

*Cucurbitæ Alembicus proprius imponatur, luto accurate obducatur, Imponatur Cucurbita Balneo Arenæ ; adaptetur Recipiens rostra Alembici ; digerantur materia igne lenissimo per horas viginti quatuor, demum distillationi subjiciantur, eadem via incedendo qua ad eliciendos Spiritus quorumvis Aromatum.*



Spiritus iste calefacit, attenuat & exsiccat, cordi & stomacho robur addit, conducit in cunctis affectibus frigidis.

Dosis est à drachma una ad duas vel tres ex liquoribus adpropriatis.

Varietas substantiarum medicamentorum, in compositionem hujus spiritus Aromatici venientium, plurimas macerationes exposcere videtur; sed præterquam quod partes maxime subtiles Aromatum à crassioribus facile sejunguntur, contusio præcedens, & digestio, ad horas viginti quatuor instituta, penetrabilisque vini facultas omnem omnino ex animis scrupulum dimovent.

*Finis Libri Primi.*

Pharmacopoeæ Regiæ Chimiçæ.







# PHARMACOPOEÆ REGIÆ CHYMICÆ.

LIBER SECVNDVS.

PARS TERTIA.

Continens Præparationes Chymicas

## ANIMALIVM.

### CAPVT I.

*De Remediis ex Homine desumptis.*

**V**EGETABILIA, quorum præparatio subiectum fuit Libri præcedentis, non sola in hominis obsequium à summo Deo condita fuere, quandoquidem non tantum ex pluribus animalibus maximam partem alimentorum ipsi largitus est, sed præterea industriam & rationem concessit per quam ex unoquoque sigillatim illorum plurima & optima remedia comparare potest: quin imò & ex ipsissimo illius corpore, adhuc vivente, atque aliorum hominum vita: functorum, præstantiora & utiliora medicamenta quam in quovis alio animali latere voluit: Adeo ut Arti Chymicæ abunde suppetant quæ elaborare queat, exinde desumpta, præparationesque ex illis præstantissimas perficere.

Nam præter illas quæ ex Cranio, aliisque illius ossibus confici possunt, ex sanguine, pinguedine, carne, mumia, aut cadavere balsamato & exsiccato, præparationem etiam admittunt ungues, capilli, lo-



tium & cætera illius excrementa ; mulierum itidem secundina &c. adeo ut certissimum sit nullam adesse partem , neque excrementum aut superfluum quid in utroq; sexu, quod Chimiæ ad valetudinem illius obiectum esse nequeat , aut curationem plerorumque affectuum quibus tum vi tum mulier exponuntur.

Artifices ex hominis partibus, atque ex animalibus, extrahunt substantias à Plantarum partibus non absimiles, at non eadem proportione, Animalibus enim minus terre concessum est, minus acidi, sed multo plus salis volatilil quam Plantis ; Plus quoque Olei quam quædam harum obtinent, sed minus quibusdam gaudent : Paucissimum Acidum quod animalibus inest, exiguaque hujus efficacia, cum paucissimum Sal volatile coërcere queat, Idem autem Sal cum insigni reperiatur copia, mirum esse non debet, cum nihil adsit quod ipsum prohibeat quo minus à cæteris secedat substantiis, si non levi negotio ab illis sejungatur, & prius ex Retorta prodeat & expellatur, Recipiens ingressurum, demum à fundo Matratij proboscide præditi in summum Alembicum reversurum cum rectificatio peragitur, sicuti id contingit dum præparatio illius instituitur.

Oleum quod attinet, suapte natura cum fat sit volatile, imo multum accedat ad indolem, quinimo particeps sit propriæ substantiæ istius Salis, ideo fit ut in rectificatione presso pede id consequatur, non secus ac in distillatione ; Præterea assero, etiamsi quædam animalia aliis ut pabulo fruuntur, homo autem fere vitam traducat carne plurimorum animalium vescens, perpendendas nihilominus Plantas tanquam primum & præcipuum maximæ partis animalium alimentum, illorum potissimum quæ homini in pabulum cedunt ; Et credendum à volatilitate Salis plantarum maximam animalium partem, ac præsertim hominis, volatilitatem proprii Salis adipisci.

Id quoque ratum esse debet qualitatem & copiam Salis volatilil animalium pendere ab exaltatione (quam inducit calor naturalis ventriculi) substantiarum quæ illis veniunt in alimentum ; Prædictam autem volatilitatem omnino requiri, quo quam citissime & æqualiter (sicuti contingit) diffundantur ad partes à ventriculo maxime distitas, non secus ac ad illi finitimas.

Neque etiamnum dubium quin partes hominis principes copioso ejusmodi Sale volatilil gaudeant, quandoquidem non modo partes sensu destitutæ, cujusmodi sunt ungues & capilli, sed & omnia excrementa, imo vilissima, non mediocri illius copia diffluunt.



## C A P U T I I.

*De preparatione Cranii Humani.*

**N**Vlla ratione impellor ut Cranii humani ustionem aut calcinationem adprobem, uti nec magisterium, ex multorum sententia inde parandum, quandoquidem combustioni exponi nequit, aut calcinationi, quin optimæ illius partes in nihilum abeant: neque in magisterium deduci quin depravatio insignis illi inducatur, eapropter illorum descriptionibus immoraturus non sum, ratus quippe satius multo esse lima cranium deterere, illiusque pulverem adsumere, juxta methodum Galenicam, quam ad media ejusmodi adedè destructiva; atque a legitima præparatione devia confugere, cum in calcinato cranio nihil aliud superstes esse queat, consideratione dignum, quam constringendi vis, ac quædam acida obtundendi & absorbendi.

Optima omnium Chimica præparatio Cranio humano conveniens ejusdem est distillatio, cujus instituendæ gratia duo vel tria crania hominum strangulatorum accipienda sunt, aut morte violenta peremptorum, sed prius proba valetudine fruuentium: comminuantur illa, aut ferra in minutissima frustra dividantur, capaci Retortæ argillacæ (de grés) immittantur, luto probè obductæ, nulla ratione habita repleta sit an secus, quandoquidem eque rite procedit distillatio, dummodo in reliqua operatione conditiones necessariæ observatæ fuerint: Retorta hæc superponatur Furno Reverberii clauso, qua operculo suo fornicato instructa, accensoque in cinerario igne carbonum lenissimo, ocludendum erit operculi spiraculum, nec non Foci ostium, imo ferè omnino Cinerarii, ignem æqualem & lenem per bihorium fovendo, aut quousque percipiatur operculum tantisper incallescere, Tunc ignis è cinerario in focum transferendus erit, quo tantillum aucto, capax Recipiens accommodandum erit rostro Cornutæ, cujus commissuræ accurate luto muniendæ erunt, nec diù post aliquid aëris admittendo per operculi spiraculum, eundemque ignis tenorem per duas horas conservando, aut donec phlegma stillare incipiat in subiectum Recipiens, demum paulò liberiore aëris ingressu concesso per operculi registrum, auctoque ignis gradu, inde conspicui erunt spiritus volatiles salini, oleo comite, vel nubecularum candidarum forma ex Retorta prodeuntes: servatoque ignis eodem tenore duarum circiter horarum spatio, gradu uno iterum is auctior fiet, operculi spiraculo magis



ac magis , proportione servata , referato , quo tandem omnino recluso , intensiorique igne ad ultimum usque gradum reddito , in eo gradu is servandus erit , donec nullis amplius ex Retorta exsurgentibus nebulis , Recipiens plane pellucidum fiat , postea ut sponte refrigerant vasa concedendum , quibus decrustatis obviumerit oleum , cum parte spirituosa salina & volatili cranii , plurimo phlegmate involuta in Recipientis fundo contenta : quæ variæ substantiæ rectificandæ erunt , eas simul immittendo matratio oblongiore collo prædita , Balneo arenæ imposito , operiendo capitello suo vitreo accuratissime luto obducto , non alia incedendo via quam a me indicata ad rectificationem instituentiam salium volatilium vegetabilium.

Nonnulli Authores jubent oleum a cæteris substantiis secerni ante rectificationem , postremas has simul commixtas per chartam emporeticam transmittendo , cui oleum inhæret , ad usus solum externos adservantes : At ii non percipiunt oleum id plurimum sal volatile comprehendere , Illius facultates & vires non plurimum absimiles esse qualitatibus ejusdem salis , imo commodissime in usus externos venire posse , si præsertim rectificatio accurata fuerit , quamobrem multo satius est in rectificatione id cæteris substantiis remixtum linquere.

Idem Authores , rati optimam fore rectificationem huius Olei , præcepere postquam exceptus fuerit liquor salinus & aqueus Retorta oblongo collo donata , paulatim , mediante exiguo infundibulo , affundi spiritum salis donec nulla amplius ebullitio conspicua sit , quia , ex illorum opinione , præmissa hac filtratione , immissoque hoc liquore in cucurbitam vitream , capitello suo obductam , sursumque eversa ope Balnei arenæ parte aquea , licebit , continuando ignem Balnei , sursum in alembicum evehere , aut ad latera Cucurbitæ sal volatile a spiritu salis fixum redditum adfigere , sed ab iis animadversum non est id quod imminet a mutua actione & reactione hujus spiritus Acidi cum spiritu volatili , neque ab illis prævisum quando simul hæc fixitatem reciprocam adepta sunt , sal volatile sublimationem postea omnino respuere , quandoquidem , ipsis ultro concedentibus , successus nullus postmodum sperandus est quam ab additione & coniunctione dupli ponderis salis Tartari , aut alterius cujusdam ejusmodi naturæ alkali , cum salibus istis eo modo commixtis , quod valeat , Acido se adjungens , sal volatile pristinae libertati restituere.

Quicumque Authores de Cranio humano aliquid conscribere , imo de simplicissima præparatione , unanimi consensu id commendatum voluerunt ad curationem cunctorum cerebri affectuum , ac præsertim Epilepsiæ



Epilepsiæ & Apoplexiæ, At sal & oleum volatile ejusdem cranij, cum non modo liberata sint a parte terrestri & aquæ, at plurimum etiam viribus evecta ope distillationis & rectificationis, ideoque idonea sunt producendis effectibus proculdubio generosioribus, quorum & tenuitas partium, & saporis penetrabilitas, uti & odoris, indubia sunt indicia: Id quoque pro comperto habendum ventriculi calorem com meatum ipsi præbere non minus facilem quam celerem, non solum in cerebrum, sed etiam in corporis partes dissimilissimas.

Exhibentur ore, nullo fere discrimine, sal & oleum, sal vero præferendum censetur, quod volatilitate paulo maiori gaudeat, purius sit, elegantius, gustui minus insuave & odoratui.

Salis dosis est a granis sex, octo, vel decem, ad viginti usque vel triginta, ex Aqua quapiam, Decocto, Conserva, aut Opiata Cephalica.

Dosis olei rectificati est à duabus aut tribus guttis ad octo vel decem ex iisdem liquoribus, conservis aut opiatis, sed prius id excipiendum est sacchari purissimi pulvere, si modo liquoribus intimè commisceri velis: Possunt & eodem tempora iungi, ac loca circa suturas, naribusque immitti.

Ex quibusvis hominis Ossibus substantias non multum absimiles ab iis quas suppeditat cranium elicere licet, non dissimili methodo ac in illorum distillatione indicatum.

Potest præparari Extractum, aut Essentia Cranii humani hac ratione.

Minutissimè scobina deterantur Cranii Humani aliquot uncia, matratio immittantur, illis superfundatur Spiritus vini cephalicus (cujusmodi descripturus sum postrema parte hujus Pharmacopœæ) adeo ut pulverem superet totis quatuor transversis digitis, accuratè cooperiatur matrarium, maceratio fiat per quindecim dies super Pistoris furnum, liquor prægressa expressione in torculari valida & cohobatione: eo immisso Cucurbitæ vitreæ capitello suo probè luto obducto instructæ, Balneo Mariæ commissæ, accommodando illius rostro exiguum Recipiens, eliciendus erit spiritus, donec liquor consistentiam mellis adeptus sit, utrumque demum seorsum vasis idoneis recondendo.

Nonnulli Acetum stillatitium ad extractionem hanc perficiendam usurpant, sed ineptè admodum, quandoquidem salis volatilil naturam in fixam transmutat: Neque etiam metuendum ne spiritus vini cranium humanum eo modo scobina detritum sufficienter penetrare valeat, adeo ut necesse sit ad spiritum Aceti confugere, vel ad



aliud quid corrodingi vi præditum, quandoquidem illud compertum est succum, purissimamque cornu cervini substantiam, facillimè in aqua dissolvi, in qua ejusdem rasura ferbuerit, etsi cranium humanum tenuius comminui solet quam cornu cervinum.

Extractum hoc, vel Essentia, ad Epilepsiæ curationem admodum conferre censetur, Exhiberi solet ex aqua quapiam cephalica a semis scrupulo ad semidrachmam: Nec non illi commiscere licet Spiritum antea ex Extracto eductum, a scrupulo uno ad drachmam.

## C A P V T I I I .

*De preparatione Chimica Sanguinis Humani.*

**I**llis nequaquam consentio qui existimant sanguinem humanum calentem, recensque venis eductum haustumque, remedium esse specificum adversus Epilepsiam, quandoquidem præter horrorem ex ejusmodi potu abominando concipiendum, sanguis è corpore exiliens nihil in se continet absimile illi quo donatus est sanguinem potans: Illud præterea sciendum sanguinem vasis propriis egressum, illico insignem immutationem perpeti, quantumvis studium adhibeatur ut dispositionem naturalem conservet, tantum enim abest ut venis vel arteriis excipiatur eodem in statu quo adsumptus fuit, quin omnino necesse sit in ventriculo propriam naturam exuat, colorem & consistentiam naturalem, adeo ut vix alius effectus expectandus veniat quam ab ordinariis alimentis ingestis.

At vero mediante distillatione, ac separatione partium sanguinis puriorum ab impuris, remedia eximię efficacix expectanda sunt, non modo adversus Epilepsiam, sed etiam cunctos cerebri affectus, hac methodo.

Circa Majum mensem non mediocris copia dematur sanguinis è venis pedum aliquot juvenum integra valetudine fruientium, neutiquam ruforum: illico sanguis iste excipiatur una vel pluribus cucurbitis vitreis grandioribus, quarum tres partes ad minimum vacent. Ab accommodatis capitellis, exiguisque Recipientibus, Balneo cinerum, igne moderato, exstilletur universa pars aquea, adeo ut quod reliquum fuerit in cucurbita siccum omnino adpareat, neque tamen combustum, quamobrem debito ignis regimine opus est, præcipuè sub distillationis finem.

Demum sponte refrigeratis vasis, reconditaque aqua distillationis prolecta.



prolecta, sanguis in cucurbitis exsiccatu eximendus, & grandi Retortæ vitreæ immittendus, impositæque Retorta tripodi ferreo in Furno reverberii clauso, adcommoatoque illi probè loricando capaci Recipiente, iterata instituenda erit distillatio, igne per gradus adhibito, initio lenissimo, at tandem intensissimo, quo pacto nova exstillanda est aqua, cuius comites erunt oleum & sal volatile sanguinis, mox subsequutura, ex Retorta nubecularum candicantium forma exurgentia, li- quidam formam in Recipiente adipiscencia.

Postea vasis sponte frigefactis, cunctisque substantiis commistis è Recipiente in matratium oblongioris colli effusis, huic imponendo proprium capitellum accuratissimè loricatum, cuius rostro exiguum Recipiens applicatum fuerit, Rectificatio Balneo cinerum igne admodum moderato perficiatur, eadem procedendi via quam indicavi ad rectificationem olei & salis volatilis plantarum, imo iterari potest rectificatio olei & salis volatilis, ubi opus fuerit, si extremam puritatem quis optaverit.

Nonnulli animadvertentes Aquam è sanguine eliciendam sicuti modò dixi, exiguis pollere viribus, sanguinem super plurimos discos effundunt, folique exponunt, aut in quodam æstuario reponunt ut quam citissime exsiccet, demum ex Retorta more solito distillant.

Omnes authores sal volatile sanguinis humani ad Epilepsiæ curationem magni faciunt: Imo Ipse *Helmontius* asserit ex illius usu adultos omnimodam sanationem sperare posse: Neque minori efficacia pollet in cæteris cerebri affectibus, sanguinis massam puriorem reddit, præsertim scorbuticorum, fluidiorem illam efficiendo ac circulationem liberiorem reddendo, Neque minoris est præstantiæ in affectibus uterinis, & in superanda febrium malignitate, imo etiam contagio sese propagantium, nec non curatione hydropicorum, & ad podagricorum solatium, Vires hujus salis volatilis, & olei rectificati, non multum discrepant ab iis quas suppeditat cranium humanum, Eodem etiam modo in usum duci potest, & ad usus externos usurpari oleum, leniendorum gratia dolorum podagricorum & rheumatismo affectorum, imo & utilissime adversus Paralyfin.

Secundinæ muliebris distillatio perfici potest methodo a me proposta in distillatione sanguinis humani.

Hoc loco equidem memorandæ essent Tincturæ, Extracta & aliæ Mumie præparationes, ab Authoribus variis descriptæ & plurimum commendatæ, At, si bene sentio, eæ quas proposui sanguinis & cranii humani, cum eliciantur è partibus nullam dissipationem experientis, omninò ad quovis usus commodius trahi queunt quam quæ sup-



peditare valet subjectum inſigne, alterationes perpeſſum, ab injuriis temporum, aut hominum artificio.

## CAPUT IV.

*De Diſtillatione Urinae.*

**U**rinae hominis ſapor acris & falſedinis particeps cum gravi odore, ſi præſertim diutius adſervata fuerit, apertum faciunt cunctas corporis humani partes ſale volatili plurimo conſtare, quandoquidem adeo inſignis hujus quantitas in iſto excremento deprehenditur.

Eligendum lotium juvenum vinum bibentium, quod cunctis aliis præferendum, ſed alia atque alia eſt methòdus extrahendi ſal illius volatile, poteſt enim putredini exponi urina, ſimo recondita per triginta aut quadraginta dierum decurſum, ad faciliorem extricationem partium ſalinarum volatilium, demum decantato in vitreas cucurbitas liquore fæces ſuperante, Balneo Mariæ inſtitui diſtillatione, aut cinerum, ſed calore admodum remiſſo, demum ter vel quater liquor diſtillatione prolectus rectificari, imo tandem in uſum adduci matrarium oblongiori collo præditum, ad ſalis rectificationem.

At etiamſi peropportuna ſit hæc procedendi ratio, nihilominus viroſus odor urinae conciliatus per putredinem, ac diuturnitas temporis ad hanc præparationem neceſſaria, ut à plurimis neglecta ſit putrefactionis inductio in cauſa fuere, ſatis enim eſt hodierna die evaporationem Balneo Mariæ commiſſiſſe, vel cinerum, igne admodum modico accenſo, ad ſuperfluae urinae humiditatis, ſtatim ac illa emiſſa eſt, cum verò ad craſſitudinem Roob deducta eſt, diſtillatione ſuſcipitur Balneo Arenæ, igne moderato, in capaci & excelsa cucurbita vitrea, anguſto collo donata, capitello ſuo probe loricato inſtructa, & Recipiente eodem modo incruſtato: Demum eodem Balneo diſtillatus liquor rectificatur, immiſſus matrarium oblongioris colli, capitello ſuo cooperti, accurate luto obducti, eliciturque ſal volatile album & cryſtallinum, admodum penetrabile, quod conſequitur liquor non minori fere partium tenuitate, & penetrandi vi præditus, quippe qui nihil aliud eſt quam reliquum ſal volatile in exigua phlegmatis portione diſſolutum, ſeorſum in lagenis vitreis denſiſſimis adſervandum, accuratiſſime occludendis.



Sal volatile urinæ potentissime Acida domat, à quibus ut plurimum fermentationes in corpore nostro excitantur, plurimorum morborum origines, in omnibus jecoris obstructionibus admodum commendantur, lienis & mesenterij, ad defæcandam massam sanguineam, curationem scorbuti, cachexiæ, icteri & affectuum hyponchodriacorum, Felici eventu præscribitur in Lethargo, Apoplexia, Epilepsia, & convulsionibus, sicuti in hysteris suffocationibus. Plurimum valere asserunt adversus dysuriam & stranguriam, imo & ad dissolvendos renum & vesicæ calculos.

Vsurpatur sal urinæ, spiritus specie exstillans, ad eliciendam variarum gemmarum & lapidum Tincturam, quinimo & Silicum calcinatorum, qua in præparatione cæruleum colorem acquirit, specificumque remedium adversus urinæ difficultates perhibetur, exhibendo id à scrupulo uno ad drachmam, ex liquore quopiam idoneo.

Dissolui etiam potest sal urinæ, usurpandum linimenti forma, ad quosvis dolores sedandos, ac præsertim podagricos & rheumatismi comites: Exhibetur sal urinæ à decem aut duodecim granis ad viginti vsque aut triginta, ex vino albo vel alio quopiam liquore, mulierum etiam hysterica suffocatione detentarum naribus offertur, discutiendorum gratia vaporum ab inferis partibus suscitatorum, symptomaticaque cerebro molesta excitantium.

Oletum humanum, cui nonnulli Zibetti Occidentalis nomen indidere, cum à sole exsiccatum, retro odore exuto suavem induit, suis quoque pollet viribus: ex Retorta enim distillatum, igne per gradus adhibito, fundit oleum speciatim commendatum ad curationem Herpetum exulceratorum, Achorum, ac cujusvis scabiei: Imo nonnulli asserunt cancrös id domare & curare, ac Podagricos dolores demulcere, partibus affectis id admovendo.

Adduci huc posset Pinguedinis distillatio, capillorum, unguium, ac plurimarum aliarum partium & excrementorum hominis, nisi molestiam Lectori parere metuerem, quandoquidem extraordinariæ præparationes illis non debentur, ac proculdubio exempla à me producta, aut producenda, cum mihi de cæteris animalibus sermo futurus erit, illis satis esse debeant qui Chymiciæ notitia imbuti fuerint.



## CAPUT V.

*De Distillatione Viperae.*

**Q**uæ observatu digna in Vipera occurrunt, sedes fere primaria quam occupat inter Animalia Chymice præparanda, insignes item controversiæ de ejus veneno excitatæ, impellunt me ut præter ea quæ à me ante aliquot annos allata sunt, libro de Theriaca edito, illo præterea quem emisi de primis ac postremis circa Viperam experimentis, imo nuperrime hac ipsa Pharmacopœa, capite de Trochiscis viperinis, capite item de Citrii distillatione, impellunt inquam, ut rursus huc inferam præparationem illarum Chymicam, propriumque patrocinium suscipiam adversus scripta a patronis Domini Redy emissa, post iteratam meam defensionem, ad ea quæ vir celeberrimus adversus mea experimenta conscripserat, dum interim idem tacitè mihi consentire videtur.

Viperæ Distillatio optima est & usitatissima præparatio illius Chymica: omnes illius corporis partes ad id opus adduci possunt, aut solum adsumi quæ præstantissime censentur, quandoquidem ex cunctis idem phlegma elicitur, idem oleum, idemque sal volatile, Id præprimis admodum consentaneum est, ut quæ partes distillationi submittendæ sunt, prius in umbra exsiccantur, nec Retorta excipiantur humore suo donatæ, quia plurimum augendus esset ille qui prodire solet cum aridæ distillantur.

Accipiantur ergo Capita, Caudæ, Corda, Jecora, Trunci, Pellis, imo, si lubet, Axungia, Renes, cunctaque interanea multarum Viperarum utriusque sexus, frustulatimque divisis illis partibus, omnino fere adimpleatur ingens Retorta vitrea, vel argillacea (de grés) luto optime incrustata, demum furno Reverberii imposita, operculo suo fornicato instructa, admoto illius rostro amplo Recipiente, accendendus exiguus ignis, in cinerario toto bihorio fovendus, adeo ut paulatim tantum incalescant Fornax & Retorta, demum igne è cinerario in focum translato, eodem in statu per duas alias horas servandus erit, quibus præteritis per graduum unum intendendus, tantillum aëris concedendo referato operculi spiraculo, qui eo in statu productus per duas alias iterum horas, diductoque paulo amplius prædicto spiraculo, ignis tertii gradus admittendus æquali temporis spatio: Postmodum omnino aperto operculi registro, urgendus ignis donec ex Retorta nihil omnino prodeat, ac vapores omnes Recipiente conclusi



conclufi in fal abeant, aut in liquorem convertantur, quo tempore a diffillando defiftendum: deinde fponfe refrigeratis vafis, decruftato Recipiente, probeque fale in liquore diffoluto, cuncta infundenda erunt matratio oblongiori collo prædita, quo Balneo Mariæ commiffio, inditroque proprio operculo rite luto munito, fuccedat rectificatio igne moderato, tunc conspicuum erit fal volatile afcendens, album & crystallinum, in lagena vitrea denfa, accurate occludenda recondendum, pergendoque in rectificatione, feorfim adferuanda erunt oleum & fal volatile reliquum, in aliquota phlegmatis portione refolutum, fimul diffillatione educta in parvum Recipiens, abiectis iis quæ in fundo Retortæ refidua funt, poft educta quæcunque volatilia, falina aut oleaginea aderant.

Refiduum vero in Retorta poft viperarum diffillationem quod attinet, ex fale volatili, aliisque fubftantiis eductis, colligendum eft illas reliquias exigui effe momenti, ac quod falis fixi forte fuperftes eft indagine indignum effe, ideoque ibi fubfiftendum, quinimo neque Antiquorum, neque Neotericorum præceptis obtemperandum, quibus cum probe perfpecta non fit indoles volatilis falis Animalium, mira fe præftituros ij rati funt calcinationem in auxilium aduocando, confequuturi fal, a prædicta calcinatione abforptum.

Vis fpecifica qua præditum eft fal volatile viperinum, expugnandi venenum à morfu ipfius inflictum, ficuti a quorumuis ferpentum, plurimorumque aliorum Animalium, non vnica illius dos eft, eximium enim præbet remedium aduerfus peftem, morbillos, variolas cunctoque morbos epidemicos febrefque malignas, quamcumque putredinem impugnat, febres ab illa ortum ducentes curat, cuiusmodi funt Intermittentes pleræque, Acida vero obtundendo Quartanæ remedium eft fpecificum: Præftantius nullum occurrit remedium ad defæcandam maffam fanguineam, fluiditatem naturalem illi conciliandam, circuitumque promovendum, quo fit ut convenientiffimum fit curationi affectuum Scorbuticorum, ficuti & ad iuvandam diaphoresin humorum acrium & fuliginoforum, Scabiei quoduis genus parientium, Eryfipelata, Herpetes, Achores, aliaque cutanea vitia.

Neque vllum æque generofum proftat remedium Lepræ curandæ, maculæ enim cuti Viperæ infulptæ illius figuram referre videntur: Aperit quippe, penetrat, incidit, attenuat, ad corporis ambitum impellit, ac per poros cutaneos extrudit impuritates maffam fanguineam confpurcantes, vniuerfumque corporis habitum, Naturam admodum iuuat & roborat, idoneamque functionibus omnibus rite obeundis reddit, Illius enim auxilio adiuta alimentum quibufvis partibus necesse



fatium transmittit, quinimo illis quæ eo non fruuntur vicio aliquo singulari affectæ, expellitque per lotium, per alium, aliasque vias, quoscunque vitiosos humores: omnes meatus & ductus cerebri potenter referat, expellitque pituitam frigidam & viscidam, spirituum com meatum & transmissionem præpedientem, adeo vt insignem opem ferat in Lethargo, Apoplexia, Convulsionibus, Paralyfi, aliisque Cerebri frigidis affectibus.

Neque minorem opem præstat in Syncope & Palpitatione cordis, Asthmate, Pleuritide, Tussi recenti & inveterata, aliisque Pectoris affectibus.

Ventriculum quoque roborat, alimentorumque concoctionem adiuvat, Iecoris obstruiones referat, Lienis omniumque viscerum, sanguinem concretum dissolvit, abscessusque internos remouet, si modo recentes fuerint, imo & externos illis si admotum fuerit, vel eiusdem oleum: Vapores ex inferioribus partibus elatos discutit, sed præsertim ex Vtero: Paucis, vix in tota medicina remedium magis vniuersale occurrit, aut quod præsentiori sit auxilio, eoque insigni, ac pluribus morborum speciebus obviam eat.

Doses, sicuti & vsus ratio, ad affectus tum internos, tum externos, propemodum eadem sunt quæ Salis volatilis cranii humani, sicuti & eiusdem Olei, quod viribus etiam ad id accedit.

Etiam si vero sal & oleum volatile, è Viperis per Retortam eductum, partes sint maxime essentielles, in Retorta autem sal fixum omnino paucum superstes sit, viperæ parti terrestri intime commixum, si cui tamen eiusmodi sal disquirendi libido sit, id consequuturus est si prius contrita in tenuissimum pulvetem subsidentia, carbonis instar nigra, in Retorta post distillationem residua, excipiatur latere, vel allo quopiam vase idoneo, immitaturque furno figulino, ibi derelinquenda ad perfectam vsque calcinationem, nam postmodum elixiuatione facta, filtratione, humoreque superfluo absorpto, in fundo vasis obvium erit sal fixum, etsi exigua admodum copia, parte interim terrestri (vero capite mortuo) in colatorio subsistente.

Istius Salis vires multum inferiores sunt illis quas obtinet sal volatile, cuius neque odorem exhibet, neque penetrabilitatem possidet, neque saporem cum in illo lixivialis sit, oris partibus acrimonix sensum imprimens, qua caret sol volatile, non sine fructu tamen commisceri potest remediis purgantibus & diuretiis.

Fixationem salis volatilis Viperini quod attrinet, susceptam ope Acidorum, speciatim per spiritum salis, etsi admodum necessaria non sit, quibusdam tamen in casibus repudianda non est, præsertim in gratiam cibi fastidio



fastidio laborantium, quibus, deficiente Acido, Ructus fatui erumpunt: etsi enim consentaneum videatur saporem figuramque exteriorem salis ea ratione fixi redditi, purum dissentanea esse ab illis quæ in sale marino occurrunt, discrimen tamen non leve subest, quandoquidem sal volatile, etsi quoad speciem immutatum adpareat, integritatem tamen servat, sicuti id fit manifestum, ex eo quod commixtum duplo ponderi salis Tartari, aut alterius cuiuspiam salis fixi, idque vase idoneo exceptum, sublimationem admittit, pristinas vires & puritatem servans, interim dum Acidum spiritus salis, quod ipsum deseruit adhæsurum sali Tartari, in fundo vasis cum eodem sale subsidet.

Eiusmodi Sal volatile Viperinum, fixum redditum, cum exiguum usum præster, ac nullo negotio illico, commixto quoque acido, fixum euadat, supervacaneum censeo preparationem singularem huc inferre, sola quippe sufficit salis spiritus super id sal volatile affusio, dum adhuc phlegmati suo remixtum est & in illo solutum, in affusione pergendo quousque nulla amplius ebullitio adpareat, humidi superflui absorptionem procurando ad siccitatem usque salis.

Missa facio plurima salia Viperina, essentias, elixiria & opiatas, plurimaque alia remedia Chimica composita, quorum descriptiones apud plurimos auctores obviæ sunt, ratus scilicet horum omnium compendium & nullo non tempore in sale viperino latere, ideoque superuaneas esse quasvis alias preparationes multo labore susceptas.

Quoad controversias ratione Veneni Viperini excitatas, à me solis huius animalis efferati Spiritibus adscripti, etiamsi meam mentem sat nitide explicasse me existimem, tum priore libro, tum posteriore Experimentorum circa Viperam a me emissorum, inducor tamen ut aliquid reponam ijs quæ Dominus *Denisius* protulit sexto suo Adversario de Artibus & Scientiis, quo utriusque mei Tractatus meminit, statim ac posterior luci traditus est: etsi enim libri mei desiderio teneri se profiteatur, animadversionibus suis illum dignaturus, sincerum de eo iudicium pollicitus, ex illa tamen quam iniit via manifestum est parum accurate ab ipso euolutum fuisse, aut potius oculos tantum emissivos coniecisse, quippe qui quæ maxime consideratione digna sunt prætermiserit, procul a se remoturus quæcunque dissentanea sunt opinionibus Domini *Redy*, sententiam meam impugnantis.

Revera prædictus Adversariorum auctor apertum facit inique se de me sentire, irretitus opinionibus Domini *Redy*, neque enim solum illi satis fuit posterioris mei libri titulum subtrivisse, sed præterea in illum transfert quæcunque a me tradita sunt adversus



ductus felleos, per quos, ex sententia antiquorum, succus flavus ad gingivas viperæ deferretur.

Ejusmodi vero occupatio præterea evidens est in ejusdem Adversarij ferie, quo medicum illum Italum inventorem statuit Glandularum Salivarium in Vipera, etiamsi ex illius scriptis manifestum sit, sicuti id ipsum a me adnotatum quibusdam in locis mei operis, ipsum ambigè tantum & ex coniectura de duabus solum Glandulis salivalibus verba fecisse, quas fingit situm obtinere infra fundum Vesicularum succum flavum continentium, quo in loco nequaquam conspicuæ sunt, Id quod etiam patet ex iis quæ ad Amicum scribit de duabus prædictis Glandulis, illum monens ne sententiæ suæ subscribat, quandoquidem, ut ipsius ait, ex mera coniectura loquatur, ac forte chimerica, cum priore meo libro palam faciam, ex accuratis descriptionibus a me allatis, uti & ex figuris, ad vivum mea cura delineatis, insignis numeri Glandularum conglomeratarum, situm pone orbitas oculorum obtinentium, & ad temporum latera istius animalis, admodum a vesicularum fundo distitarum, unde constat Dominum *Redy* plurimum aberrasse in fictitiis suis Exploratis, iniuriam vero ab illis mihi inferri, qui inique, inter quos Dom. *Denisius*, primam inventionis illarum laudem mihi detrahunt.

At vero illud manifestum est nullum ipsi alium scopum fuisse in prædictis Adversariis, dum tuetur opinionem de situ Glandularum salivarium infra vesicularum fundum, quam patrocinium suscipere, inique tamen, sententiæ Domini *Redy*, de fictitia succi flavi malignitate, si enim a partibus steterisset improbæ illius sententiæ, repugnante experientia, opinionis falsitatem vel oculis deprehendere licuisset, qua experientia duce veritatem esset assequutus.

Ex quibus evidens mera illius simulatio, dum mihi adharere velle videtur quoad falis naturam, (quæstionem enim nequaquam attingit) quo astute indicet sibi mecum non convenire quoad naturam & facultates succi flavi, ea omnino silentio involuens quæ firmis rationum momentis fultus adduxi, manifestum facturus veneni plane illum esse expertem, Illud quoque prætermittens quod experimenta a me facta publicis in conventibus peracta fuere, cum ex opposito a Dom. *Redy* allata singularia sint, solam fidem propriam testem adducente.

Sed præterea, Dom. *Denisio* satis non fuit, quantum illi licuit, subtrahere ea quæ in posteriore meo libro Dom. *Redy* sententiam aperitissime convellunt, nam impune sibi credidit licere a veritate desistere, ac quæ meæ menti omnino reluctantur adstruere, ut apertius faveret partibus quas tuendas susceperat; cum vero id illi non liceret, vide-

licet.



licet res ipsas convellere, ab iis ad vocabula contentiosum animum avertit, insinuare conatus, cum de spiritibus efferatis verba feci, substantiam me omnino spiritualem intellectam voluisse: per ideam autem vindictæ & iræ, a me viperis adsignatam, existimasse animalia iisdem animi pathematis quibus homines adfici, ab ingruentibus vehementibus passionibus, in illorum spiritibus animalibus contingentibus.

At vero arguties eiusmodi imponere nequaquam poterit solidis ingeniis, nemini enim, qui ad sermonis mei tenorem adverterit, in mentem venerit dubiusne fuerim, num venenum Viperinum substantia sit materialis necne, quam quidem tanta tenuitate & subtilitate donatam credidi, ut cum in sensus non incurrat, merito spiritualis nominanda sit, aut, ut verius dicam, spiritiosa, ut contradistinguat a succo flavo, cujus partes sensibus sat obviæ sunt & crassæ, ut ab his percipi queant, adeo ut cum spirituum efferatorum memini, semper partes humorum maxime commotas audierim, ex massa deductas, & genitas, a vehementia actionis suscitatas, ob impressionem extraordinariam ab objectis in corpus inductas: si vero asserui eiusmodi spiritus omni vinculo determinato carere, quando animal laceffitum non fuerit, id a me non immerito prolatum, quandoquidem tunc temporis forte non adhuc geniti sunt, vel si geniti, adeo intime cohærent cæteris humoribus, ut nulla sedes peculiaris illis adsignari queat, nisi quo tempore inde discedunt cerebrum impeturi cum animal excandescit, At vero hoc ulterius comprobatur me nunquam ancipitem fuisse num hi spiritus latitudinem obtinerent, ac proinde in loco aliquo consisterent, atque fidem facit quod alias asserere mihi non licuisset hos ex ore viperæ mediante morfu in sanguinem alterius animalis commeari posse, tumultus exoriri solitos excitaturos.

Adeo ut admirationis causa subsit, quod Dom. *Denisus* adeo à recta ratione aberraverit, ut opiniones, a quibus omnino sum alienus, mihi adfingat, circa Viperæ naturam emittens, cum morsui sese accingit, mentem meam adeo perverse explicet, mihi imponens, quasi crediderim spiritus laceffitos Viperæ quidpiam esse materiæ experts, ea ratione inductus quod dixerim venenum illis spiritibus insitum, effectum tantum esse Viperæ indignabundæ, tunc temporis vindictæ ideam concipientis, venenum vero illico fatiscere & annihilari, statim ac irritatio desinit; nemo enim probæ mentis ex prædictis colligat credidisse me horum spirituum naturam mere spiritualem esse, si enim in legitimum detorqueantur sensum a me prolata, cuivis manifestissimum fiet figurato me usum esse loquendi genere, in eum utique finem ut omnium captui me adcommodarem, Imaginationis voce nihil aliud audiam.



quam partem cerebri organicam istius animalis, in quam spiritus hi, a massa sanguinea secreti, omnes confluunt per vindictæ ideam, nihil aliud quam eorum determinatam inclinationem ad organa ad sui defensionem constructa: Per iram autem & excandescenciam, tumultuosam agitationem & violentam, qua corpuscula hæc de loco in locum commeant: Quando vero adstruxi venenum hoc ad nihilum deduci si quando istud animal ira percitum non fuerit, nihil aliud inducere in animum volui, quam tumultu extraordinario non amplius exagitatibus humoribus, hos pristino statui restitui, per quem cum spiritus hi non amplius percellantur, ab illis divelli nequeunt, adeo ut metuendi non sint effectus funesti alias ab illis excitati soliti.

Cæterum admirandi maior causa subest quod Döm. *Denisius*, silentio involuens verissima mea experimenta, mihi impingat & adfingat ea quæ nunquam in mentem venerunt, nedum a me scripto consignata, quando profert a me observatum fuisse ab hausto sanguine Viperino, vel eodem in vulnus quodpiam infuso, nihil quicquam sinistri ideo emergere. At ex illius scriptis adnotare est probæ fidei ipsum non admodum litare, ac quicquid in mentem venerit effutire, veritate suse deque habita.

Id nihilominus concedendum ipsum magis rationi consona prolaturum fuisse, si in conscribendis adversariis nullus alius ipsi fuisset scopus quam ut compendiosè proponeret id quod in meis Experimentis maxime observandum occurrit, simulque adduceret potissimas rationes quibus sententiam meam fulcio, sicuti id præstitum a Præclarissimis Academicis Londinensibus, qui in suis Ephemeridibus honorifice de meis libris meminere.

At vero hæc procedendi ratio illi non arrisit, ut enim acrius tueretur partes à quibus stetit, satius duxit in alium transferre id quod meum est, scriptisque meis alienum sensum adfingendo, quæ ad rem nequaquam pertinent inferre, omnino prætermittis iis quæ scitu necessaria erant, adeoque, quod iustitiæ est, rationem amplecti. Adeo ut iure merito cum illo exostulare queam, idemque exprobrare quod Martialis Posthumo *Causidico*, hic enim illius agens causam contra vicinum qui tres capras illi surripuerat, dimissa facti narratione ad Syllam digrediebatur, bellum Mithridaticum &c. Nam posthabitis iis quæ vera continet Liber meus, quem examinandum susceperat, illa subticet, in scenam adducens Dominum *Redi*, huic adsignans quæ revera mea sunt, quinimo vim intulit veritati priorum scriptorum viri illius, mea autem in alienos omnino sensus, mentique meæ plane dissentaneos detorquendo.



Hic quoque missum faciam Dominum Fridericum Hofmannum, Medicum Germanum, qui nuper nonnulla conscripsit adversus mea experimenta circa Viperam, capite de malo Citrio, libro cui titulum fecit, *Pharmacia Schroderiane clavis*, quandoquidem a me illi satisfactum cum de distillatione Citrij actum, adeo ut iterato respondere supervacaneum sit

Interim neque dissensus opinionum, neque scripta ratione minime fulta, quæ reliqui Domini Redi affectæ circa venenum Viperinum emiserunt ab editione meorum librorum, a mea me sententia dimovebunt, Veneni scilicet Viperini naturam solummodo adscribendam esse spiritibus animalis illius exandescencia percitis, nequaquam autem succo flavo, cæterisque partibus corporis: vt adhuc dubius sim verat ingens Experimentorum numerus quibus suffragatur ratio, adeo ut illorum testimonio potius standum sit quam illis quæ me priores auctores aut posteriores scripto tradidere.

Revera vix mihi decipi licuit fundamentis illis innixo, vti neque in usu capitis Viperini, colli, cordis, iecoris, sicuti & salis illius Viperini contra Viperæ morsum: Neque etiam à proposito divellar, nisi quidpiam se offerat rationi magis consentaneum, cui revera venenum Viperinum assignari queat, prodieritque in medium remedium quodpiam & celerius & tutius illis quæ felicibus experimentis ad curationem illius morsus mihi innotuere, aut quod efficacia maiori polleat capite viperino contrito, aut lapidibus quibusdam in Hispania repertis, vel quibusdam Amygdalis Indicis, quorum admotionem nonnulli miris laudibus extulerunt, inefficaciam autem expertus sum coram summis quibusdam Viris, imo Celsissimis.

## C A P U T VI.

*De Preparationibus Chymicis Cornu Cervini.*

**A**Vidissimus cum sit Cervus Viperarum, quarum vorax est, (tenuitatem partium illarum modo notam feci) pede celerrimus sit, quorantia ligna, quæ capite gerit (cornuum nomine a cunctis Medicis donata) deponat, admodum sit longævus, inde manifestissime constat id animal vitæ principiis insignibus pollere, ac proinde ex illo in medicos usus plurima depromi posse: Illud quoque notum in illius corpore non exiguum remediorum numerum exquirere posse vtramque Pharmacia, Chymicæ autem amplam se exercendi segetem occurrere, præsertim



præsertim circa cornua, quorum variæ conditiones diversas exposcunt præparandi rationes.

Primum illorum tempus, primusque status dictorum cornuum, cui præparatio debetur, fuerit a medio vere ad exitum vsque illius, tunc enim temporis partibus subtilibus & volatilibus admodum turgent, quæ cum desinunt suppeditare alimentum necessarium præcedentibus, has loco dimovent, forasque expellunt, quo recentioribus locum cedant, non alia fere ratione qua succi vere in arbores ascendentes, nova folia novosque fructus in præcedentium vicem propellunt: Partes ejusmodi subtiles & volatiles copiosissimæ cum sint, exiguo temporis spatio novos stolones emittunt, primo exortu tenerrimos, atque per aliquot hebdomadas, sanguinolento quippe succo turgent, sed de die in diem soliditatem consequuntur, ac magis magisque quamdiu augmentum capiunt, donec omnimodum complementum obtinuerint, ac tandem recentibus cornubus erumpentibus eandem sedem cedant quam prioribus concesserunt.

Accipiendi sunt hi stolones cum altitudinem septem aut octo pollicum obtinuerint, hi per taleolas dissecti, crassitie circiter coronati argentei, cucurbita vitrea excipiantur, huic Balneo Mariæ commissæ, & Alembico suo optime lutato coopertæ, exiguum Recipiens adaptetur, distillationeque eliciatur liquor igne moderato, donec taleolæ siccitatem adeptæ sint. Liquorem hunc vocant *Aquam Typhorum Cervi*, admodum vtilem, ex plurimorum sententia, partui promovendo, roborandisque mulieribus parturientibus: Conducit necnon admodum cordi tuendo, partibusque principibus adversus febres malignas.

Segmina exsiccata, in Cucurbita residua, duplici nomine vtilia esse queunt, harum contritarum enim pulvis seorsum adservari potest, aut eadem immitti vitreæ Retortæ, qua, basi suffulta, arena munita, in furno Reverberij clauso posita, adcommodataque eius rostro luto probe obducto capaci Recipiente, suscipienda erit distillatio, igne per gradus, secundum artem adhibito, hoc enim pacto exstillabit sal volatile, oleum, plurimumque phlegma, postmodum rectificandâ in matraccio oblongioris colli, sicuti monui de sale volatili viperino.

Aqua Typhorum cervinorum exhibenda procul à cibo, à cochleari vno ad duo: licet & eodem tempore eidem dosi adjici scrupulus vnus, aut semidrachma prædicti pulveris, aut salis volatilil, à quatuor ad septem aut octo grana.

Vsuo vsitata fuit præparatio, antiquisque familiaris, cornu cervini, quam Neoterici etiamnum nonnulli in usum advocant, etsi non adeo commode, nisi sola illius pars terrestris vsurpanda sit, neque accer-  
fenda



tenda sunt Oleum & Sal volatilia, proculdubio vi ustionis, aut calcinationis dissipanda: Sed etiam si destructionis potius quam præparationis nomine donanda sit, cum peculiare in usus pars terrestris venire queat ad plures rectificationes, imo in ea quæ suscipitur proprii illius Salis volatilil, vel si usurpandum sit tanquam remedium adstringendi vi præditum ac Acida subigendi, Hoc à me eapropter adducendum, si ejusmodi conditionis exoptetur, postquam in oblonga frustra ferræ ope divisum fuerit, posse illa imponi lateri, ac in furnum Figulinum immitti, ad perfectam usque vasorum coctionem detinenda, donec ad albedinem calcinata fuerint.

Licet & prædicta frustra in Furno Reverberij clauso calcinare, eadem inter Retortam & operculum fornicatum reponendo, derelinquenda quandiu peraguntur distillationes Spirituum corrosivorum, ac præsertim Spiritus Vitrioli, ad quem longa ignis productione opus est: Eo modo calcinatum cornu cervinum, satis est crasso modo contudisse, si ad Rectificationes perficiendas solum usurpandum sit, At vero si ore adsumendum fuerit, seorsum, aut aliis remediis adstringentibus commixtum, tunc super Porphyrite lævigandum est, quapiam aqua cardiaca irrorando, eadem ratione qua teruntur Gemmæ & Lapides, donec in Alkohol deducantur.

Hodierna die alia Calcinationis species multo minus destructiva in usum advocatur, cui Philosophicæ nomen impositum est; ratione mediiorum lenium & industriam sapientium, per quæ id consequi licet: Eam ob rem, postquam in oblongiora frustra serra dissectum est cornu cervinum, unumquodque eorum in suo extremo crassiore filo constringendum est, idque filum baculo dimenso adpendendum est; transversim hic ponendus intra Capitellum magni Refrigeratorij cuprei, intus stanno obducti, adeo ut segmina hæc intra collum vasis suspensa, quamdiu opus fuerit admittere queant vapores ferventis aquæ, sursum ex vesica assurgentes, in quam infusa fuerit Aqua Cardus benedicti, Scabiosæ, Melissæ, aut alia quæpiam distillationis gratia: At quia hos vapores excipere cornu cervinum necesse est, toto triduo vel quadri-duo ut ex voto calcinatio succedat, unica potro herbæ distillatio tamdiu protrahi nequit, eadem ideo fragmenta iterum suspendenda sunt per totidem distillationes, quot necesse erit ut prædictum in statum deduci queant.

Sal volatile cornu cervini cum intime cæteris partibus commixtum sit, unaque cum illis corpus admodum solidum constituat, vapores ab aqua feruente emissi insignem dissipationem parere nequeunt, quo fit ut etiam si secum abstrahant partem aqueam & mucilaginosam, non tamen



inducant insignem oleagineæ consumptionem, uti neque volatilis Salinae, adeo ut exigua portio superstes fit in cornu cervino eo pacto calcinato, quapropter etiam optimo jure anteponenda est illi quæ igne nudo & patente ac vehementi instituitur, ut pote præstantior: hic quippe quicquid vtile est absumit, sola superstita parte terrestri, cum exiguo Sale, ab Acido materierum combustibiliura fixo reddito.

Cornu istud Cervinum non minus priori candidum est, & triturationis capax: Potest & super Porphyrite conteri, ad usum usurpandam à semiscrupulo ad semidrachmam, in liquoribus idoneis id dissolvendo, aut aliis remediis commiscendo, ubi præsertim Adstringendi & Corroborendi una scopi adsunt, Acida obtundendi, Venena oppugnandi aut Lumbricos interimendi.

Illud nihilominus pro comperto habendum Cornu cervinum, citra majorem adparatum scobina detritum, in pulverem adductum, ignem inexpertum, neque ullam utilium partium dissipationem passum, præferendum esse Cornu cervino Philosophice præparato, si præsertim Acida obtundenda non occurrant.

Quod attinet ad magisteria cornu cervini, à quibusdam authoribus descripta, quandoquidem non alia ratione perficiuntur quam ejusdem dissolutione & præcipitatione ope spirituum aut Salium corrodendi vi præditorum, à quibus proculdubio præ actionis vehementia depravatio optimis partibus inducitur, Ex mea sententia fatius multo fuerit eadem non præparasse, sed substituisse cornu cervinum descobinatum ac in pulverem subtilissimum contritum.

Separatio partium purarum cornu cervini ab impuris, earumque Rectificatio, præparationes sunt omnium utilissimæ: Eapropter id in fragmenta minuta discissum, distillandum ex Retorta in Furno Reverberii clauso, igne per gradus adhibito, eadem ratione procedendo ac in distillatione cranij humani.

Eodem quoque modo Rectificare licet substantias inde exstillatas, sed quandoquidem Sal potissimum volatile illorum disquiritur, præter media à me allata ad cranij rectificationem, commisceri poterit cum cornu cervino calcinato, ac in pulverem crassiozem contrito, ter imo quater rectificando, quo depositis impuritatibus, ac odore empyreumaticis quem id distillatione contrahit, tandem purius & candidius in Alembicum efferatur, eoque in statu diutius adservari queat, reconditum in ampulla densa accurate occludenda.

Hoc loco non immorabor in recensendis facultatibus, dozibus, neque usu Salis volatilis Cornu cervini, uti neque illius Olei, quandoquidem eadem ratione in usum adduci potest, iisdemque in affectibus ad quos Sal volatile & Oleum Cranij humani.



Cornu cervinum calcinatum, crassius contritum, usurpatur ad distillationem medullæ aut axungię cervinæ, quinimo & humanæ, ac quarumvis pinguedinum aut partium unctuosarum Animalium; Materias prædictas igne leniori colliquefaciendo, tantum illis commiscendo istius cornu cervini quantum absorbere poterunt; demum excipiendo Retorta, ac in fornace Reverberij clausa igne per gradus adhibito distillando, at multo illo remissiori qui ad distillationem ejusdem cornu cervini admitti solet.

Per Retortam distillare licet fragmenta Eboris, non secus ac Cornu cervini, atque inde elicere Sal volatile sicuti & Oleum, facultatibus non multum absimilia ab illis quibus donantur Sal & Oleum volatile cornu cervini; relictis in Retorta frustis Eboris intus & extra nigerrimis, dummodo Distillatio ope ignis ultimi gradus peracta fuerit; Hæc Eboris fragmenta Pictoribus in usum veniunt ad illum colorem nigrum effingendum quem vocant *de Velours* pannin holoserioco: cujus præparatio perquam difficulter succedit si igne patente Ebur combustum fuerit, cujus inæqualitas in causa est ut frustra neque probe, neque æqualiter nigrescant, sed semper intermistū sit quid candicans aut cineritii coloris.

Licet & si lubet, eadem Eboris frustra lateri insternere, ac furno Figuli immittere, in eo sinenda donec ad candorem calcinentur, ac in Spodium, antiquis dictum abeant, quod destitutum propriis Sale & Oleo volatilibus, non pluris æstimandum est quam cornu cervi igne aperto calcinatum: Rationes à me adductæ de nigredine in lignis post distillationem ex Retorta superstitæ, & quod in cineres converti nequeant, quantumvis vehemens & diuturnus ignis adhibitus fuerit, quamdiu conclusa manent, neque aer illa ambire nequit, Hæc inquam rationes cum non minus spectent nigredinem Eboris, easdem huc iterum allaturus non sum, eo Lectorem curiosum remittens.

Sanguis Cervinus eodem modo quo Humanus distillari potest: Possunt & distillationi subjici Pinne, Coste aliaque Balænarum ossa, monocerotis marini, omniaque Ossa, Vngulæ & Cornua aliorum Animalium Terrestrium, Aquatiliū & Volatiliū, non dissimili ratione qua cornu cervinum.

Facultates & usus Salis volatilis & Olei ex iis eliciendi plurimum ad ea accedunt quæ funderè queunt similes partes aliorum Animalium: Nonnulli tamen Medici Sali Volatili & Oleo è pinnis Balæne extrahendo, vim specificam assignant ad solatium, imo & curationem Arthriticorum; adsumpto ore Sale volatili, partibus autem afflictis Oleo delibutis.



## CAPVT VII.

*De Preparatione Bufonum.*

**E**T si in Bufone Natura reposuisse videatur horroris & abominationis simulachrum, facultates tamen nequaquam contemnendas in se is continet; Mitto imperium quod concessum aiunt in Mustelam, invitam in os Bufonis patulum illius irrepentem, ibique suffocandam; Missas quoque facio Philosophorum disquisitiones circa nativam illius industriam in pugna quam adversus Araneum inicit, hic enim cum invadere nequeat illud animalculum, cum pendulum ex filo à se deducto Bufonem impetit pupugitque, illico remeans, castraque sua repetens, in illum lotium ejaculatur; locum ictum plantagini adfricat, in eaque medelam quærit; pugnamque redintegrans lotium rursus in illum effundit, spiritibus laceffit turgens: Id adduxisse mihi satis sit, præter partes utilissimas quas Chymicum artificium in illo comperit, ex ejus cadavere exsiccato perendam esse curationem aut auxilium adversus plurimos imminentes morbos.

Bufonum exsiccatio præbet primam & maxime vulgatam præparationem tam ad illorum Distillationem Chymicam, quam usum Galenicum; Eapropter alligandus illorum est filo crassiori pes posterior, ac suspendendi in aëre libero, ubi derelinquuntur non solum quoad sponte intereant, sed & omnino exsiccentur; demum si Chymice distillandi, prius frustillatim dissecti in Retortam argillaceam conjiciuntur, aut vitream probe luto circumlitam, qua imposta fornaci Reverberij clauæ, admotoque ejus rostro capaci Recipiente probe lutando, igne per gradus adhibito elicitur Sal volatile & Oleum plurimo phlegmati adsociata, Recipiente simul excepta; quorum postmodum instituitur Rectificatio Balneo Arenæ, igne moderato in Matrario oblongo collo donato, inditoque illi operculo rite loricato; quoad cætera eandem in eandem viam quam indicavi ad distillationem & rectificationem puriorum viperæ substantiarum, à quarum facultatibus non multum recedunt quæ ex Bufone depromuntur, dozibus item & usus ratione simul convenientes.

Speciatim tamen commendabile est Sal volatile Bufonum ad Hydropicorum curationem, si præsertim commixtum fuerit paucò Sali fixo, mediis ordinariis ex eo quod in Retorta à distillatione residuum est eliciendo.



Bufo exsiccatu manu detentus, aut sub axilla, vel pone aurem colloque adpensus, specificum Hæmorrhagiæ narium habetur remedium: Coërcet etiam menses immodicos, & hæmorrhagias muliebres superfluas, umbilico admotus: Os Tibiæ anterioris, quod vocant brachium Bufonis, denti admotum illius dolorem sedat, Helmontio teste & quorundam Neotericorum experientia: Pulvis totius animalis contriti Bubonibus impositus, aut Anthracibus pestilentibus, eorum malignitatem ad exteriora evocat, sicuti & Bubonum venereorum, Hydropicorum aquas etiam expellit Renum regioni impositus, vel ex vino albo haustus scrupuli unius quantitate vel semidrachmæ.

*Helmontius* plurimi facit Amuleta, quæ præparari jubet expulvere Bufonis exsiccati, ac ex illius pede alligati penduli excretis ab ore quæ moriens in suppositum catillum cereum evomit; asserens ejusmodi Amuleta esse specifica tam ad præsertionem Pestis quam ejusdem curationem.

Bufonis vires quæ insunt omnes ab Auctoribus assignantur Lapidi (aut Offi) qui nonnunquam occurrit in dictorum animalium grandiorum & vetustiorum capite, vocantque Lapidem Bufonitem.

## CAPUT VIII.

*De Præparatione Ranarum.*

**R**Anæ cum omnis plane veneni sint expertes, prius frustillatim dissectæ, immitti possunt cucurbitæ vitreæ, in Balneo Mariæ collocandæ, alembico suo munitæ, deinde igne lenissimo elicienda Aqua, quæ plurimum commendatur ad Dolores internos leniendos, singulariter vero Renum, Vreterum & Vesicæ.

Ea peracta distillatione, id quod in Cucurbita restibile est excipi potest Retorta argillacea, luto obducta, qua imposita Fornaci Reverberij clausæ, admotoque ejus rostro capaci Recipiente, accurateque incrustatis juncturis, suscipienda Distillatio igne per gradus adhibito, eadem methodo qua ad viperarum distillationem, unde emanatura sunt Sal & Oleum volatilia, quæ commixta occurrunt, una cum multo phlegmate in imo Recipiente, demum ad Rectificationem iuxta artis leges deveniendo.

Oleo & Sali volatilibus eadem adscribuntur vires illis quæ insunt Oleo & Sali volatili Bufonum.

Comburunt etiam possunt Ranæ in olla, & in cineres redigi, quorum



usus est ad cohibendam Vulnerum hæmorrhagiam si illis inspergantur; vel Narium, si naribus insupplentur, commiscentur etiam remediis Pilos producere apris natis: Interius nec non exhibentur à scrupulo ad drachmam ex propria Aqua, sistendæ causæ hæmorrhagiæ, superata prius virulentia.

Authores esum Ranarum commendant adversus venenum Serpentum, sicuti & vinum in quo fuerint suffocatae ad conciliandam illius abominationem: Iubent etiamnum admoveri carbonibus pestilentialibus, quorum virus pestilens foras educere aiunt.

Vires etiam singulares adsignantur Cordi, Iecori, Pinguedini ac quibusdam Ranarum partibus, sed Ova præsertim plurimi faciunt, vel sperma, mense martio obvia in paludibus innatantia, quæ præsertim à pleni lunio colligi, ac distillari solent Balneo Mariæ, inter ferventem & tepidum medio, Aquam sic exstillatam usurpando, tam interius ad sistendum vomitu erumpentem sanguinem, aut alia quapiam via, aut adversus inflammationes internas; Tam exterius admovendo, ad extinguendum Erysipelatis fervorem, faciei rubores delendos: Pruritusque mulcendos, inductos ab humoribus acris, tum acidistum Salis.

Vtilissime illa utitur Crollius ad præparationem Pulveris quem nominat Sperniolam, cujus tradidi præparationem paginis 267. & 268. hujus Pharmacopoeæ; Vbi quoque tradita est descriptio Aquæ Spermatis Ranarum absque igne præparatæ, refrigerationi multo plus idoneæ illa quæ Mariæ Balneo exstillatur.

## CAPVT IX.

### *De Distillatione Cancrorum Fluviatilium.*

**F**acultas refrigerans & humectans Cancrorum fluviatilium, eõs commendabiles cum reddat phthisicorum restitutione, eorumque quos febres lentæ conficiunt, aut morbi chronici, ideo in id elaborandum ut horum animalium humiditas naturalis conservetur illam distillatione eliciendo; Eapropter etiam fere negligitureductio Salis eorum volatilil, etsi illo non careant dicta Animalia, sicuti experientia id manifestum facit si contundantur & per Retortam distillentur in Furno Reverberij clauso, eadem ratione procedendo sicuti ad distillationem aliorum Animalium, vel eorundem partium, nec dissimili modo Rectificando



ficando Arenæ Balneo, ex Matratio oblongiore collo donato, substantias distillatione eductas.

Astacorum Distillatio usitatissima hæc est, Prius probe contundantur & Cucurbita vitrea excipiantur, hac Alembico suo instructa, optime commissuræ luto indrustentur demum Balneo Arenæ imposita, igne lenissimo, extilletur Aqua ad siccitatem fere omnimodam materierum in Cucurbita: postea sponte refrigerato Balneo, decrustatoque Alembico, Aqua distillata magmati affunditur, Iterumque imposito, ac loricato Alembico, iterata suscipitur distillatio, eadem methodo qua priori: Imo cohobatio repetitur Aquæ distillatæ super materias quinquies vel sexies, quo melius Cancrorum partes solidæ referentur, facilius dirimantur, & sursum una cum aqua partes volatiles evahantur.

Peracta istius Aquæ distillatione, magma reliquum igne patente calcinatur, quo in cineres deducto, lixivium ex eo paratur, mediisque ordinariis Sal extrahitur: Postmodum, si aquæ stillatitiæ commistum fuerit hoc Sal, non modo idonea evadit Phthisicis restaurandis, sed etiam expediendis & referendis lotii meatibus, adeo ut nonnulli contendant ea efficacia pollere ut paulatim comminuat & conterat calculos non in Renibus modo sed & in vesica. Exhibetur cochleare unum, duo, imo tria vel quatuor una vice, procul à cibo, in usu prout necessitas postulat pergendo.

Si qui solum vim Diureticam venantur, hos aperto igne calcinant prætermissa distillatione, ex iisque incineratis lixivium parant, extrahuntque Sal scopo admodum conveniens, etsi exigua admodum copia, ob partis Salis volatilis igne patente factam dissipationem.

Istud Sal mane, jejuno stomacho, datur à semisrupulo ad semidrachmam, ex vino albo aut liquore quopiam diuretico.

Lapides, inepte oculi appellati, qui in majorum Astacorum capitibus reperiuntur quando Sol signum Cancri oberrat, cum plurimo Sale volatili donati sint, non nihilque fixi possideant, non solum vi diuretica polent, sed eximia efficacia Acidum ventriculi domant: Per Retortam eliciuntur Sal & Oleum volatilia, non secus ac ex cæteris Animalium partibus: Datur etiam Tinctura, ex illis per vinum album extracta, imo in substantia exhibentur super porphyrite levigati, à scrupulo uno ad drachmam, ex jusculo aut quopiam liquore idoneo.



## CAPVT X.

*De Distillatione Ciconiarum.*

**V**T omnia in commodum cedant quæ Ciconiæ possident, deplumes, exenteratas in frustula minima divides, postea immixtis cucurbitæ vitreæ in Balneo Arenæ collocatæ, coopertæ proprio Alembico, amyli incrustato, applicatoque exiguo Recipiente illius rostro, educenda erit Aqua Igne lenissimo, ad omnimodam fere materierum exsiccationem in Cucurbita: Demum recondita hac Aqua in lagena, excipiat Retorta argillacea aut vitrea, luto circumlita, quicquid comprehendit Cucurbita, collocataque Retorta in fornace Reverberij clausa, ad commodatæque eius rostro grandi Recipiente, optimèque loricatis commissuris, igne per gradus accenso suscipienda distillatio, eandem ineundo viam quam præmonstravi ad distillationem aliorum Animalium, eorumque partium: Eo pacto consequi dabitur Sal volatile cum Oleo, in Recipiente commixto plurimo phlegmate occurrentia, quorum Rectificatio Balneo Arenæ perficienda, in matrario proboscide prædito, cooperto capitello accurate luto obducto, iuxta methodum à me traditam rectificationis gratia aliorum Salium & oleorum volatilium.

Sal volatile Ciconiarum admodum commendatur adversus omne Venenorum genus & morborum Epidemicorum: Habetur etiam pro specifico Epilepsiæ remedio: Procul à cibo exhibetur ex propria illarum aqua ab octo aut decem ad viginti aut triginta grana, pergendo in vsu juxta necessitatem.

Ad eosdem etiam vsus venit Oleum stillatitium, id præbendo à duobus aut tribus ad novem aut decem guttas, exceptas Saccharo pulverisato, ac in illarum aqua dissolutas, aut alio quopiam liquore cephalico, Eodem quoque tempore licet inungere Nares & Tempora dicto oleo, exterius adhibendo & inungendo membra paralyfi affecta, sicuti & membra nervosa & artus dolentia.

Eundem quoque in scopum in vsum accersitur Pinguedo istarum Avium colliquefacta, sicuti & ad mulcendos dolores Podagricos: maximi etiam momenti censetur Pulvis partis internæ ventriculi Ciconiarum adversus quodvis venenum, exhibendo ex liquore aliquo Cardiaci, scrupuli vnus, imo drachmæ quantitate.

Licet etiam eadem dozi, non absque fructu, adfumere simum exsiccatum



ficatum istarum Avium, sed Sal & Oleum volatile ex eodem fimo educta multo præstantiora sunt.

Apud Hollandos vero tantum aut Helvetios, vel aliis in locis ubi hæc Animalia super caminorum summam partem nidos exstruunt, quod fimo abunde suppetat, distillatio institui potest.

Antiquorum nonnulli has Aves comburebant, sicuti & Hirundines, obtinendorum gratia cinerum, rati quasi in compendio ibi se reperturos vim præcipuam illorum Animalium: Sed dissipatio Salis & Olei volatilis contingens, Artifices ab ejusmodi destructionibus deterrere debet.

## CAPVT XI.

*De Preparationibus Apum, & Mellis ab illis confecti.*

**E**X Apibus per Retortam eadem propemodum substantiæ quæ ex cæteris Animalibus educi possunt, una eademque methodo: Sed exigua utilitas harum substantiarum discretarum, in causa est ut satis sit animalcula hæc combussisse & in cineres deduxisse, unguentis Pomatis commiscendos, quorum pinguedo Ursina & oleum Avellanarum ut plurimum sunt basis, Illorum vero usus est ad inungenda loca in quibus pili desiderantur, nam in hunc fere solum usum trahuntur hæc Animalia: nonnullis tamen illa non crementur, sed solum in pulverem teruntur tenuissimum, eodem modo quo cineribus in usum adducendo.

Omnibus compertum est Mel esse delectum & congeriem ab Apibus factam, partium purissimarum suavissimarum & maxime odoratarum Plantarum, ac præsertim Florum & Fructuum; Ceram autem corpus esse ex maxime terrestri, solidissima, & tenacissima materia, commixta substantiis unde Mel illæ deducunt; Mel collectum in locis editis montium regionum calidiorum, Orienti obversarum, aut Meridici, omnium est præstantissimum; nam potius ratio habenda est loci unde manavit quam multo studio id depurare distillationis gratia; si præsertim suspensis alvearibus, inclusis sacco lineæ rariori, loco clauso & sponte calente, permittatur extillare mel, quod neque id candore nativo sit exutum, aut aliis qualitatibus utilibus, ab igne aut alia ratione.

Nonnulli Mel distillaturi illi addunt calculos aut arenas, vel aliud quidpiam simile; At vero cum experientia mihi compertum sit ejusmodi materias cum melle utcunque subigi & coire, ac fracturam Cucurbitæ inducere, si vitrea sit aut fictilis, multo satius fuerit ejusmodi repudiassè.



Accipiantur, exempli gratia, Mellis purissimi libræ duæ, excipiantur Cucurbita cuprea stanno optime obducta parte interna, & excelsa; exiguæ fornaci imponatur, alembico superposito; commissuræ luto cooperiantur, admoveaturque exiguum Recipiens illius rostro, demum subdatur ignis carbonum, & foveatur, sed adeo exiguus ut nequaquam sufficiat mellis effervescentiæ procurandæ, solummodo ad statum paulo supra tepidum deducat, Quo pacto sursum promovebitur aqua limpida & odorata mellis, quam subsequuturus est spiritus, ex sapore acido, & calore utcumque flavescente deprehendendus, qui magis ac magis intensus evadet, si præsertim ignis insensibiliter augeatur, Adeo ut tandem mellis pars Oleaginea sursum se evehat, quæ pars ultima est à distillatione expectanda: Seorsum adservari potest Aqua limpida & odorata, Oleum à spiritu sejungi, interveniente charta emporetica madida, infundibulo vitreo superposita, ac rectificari spiritus, parte aquea illi adhuc commista in vapores ope Balnei vaporosi soluta.

Aqua Mellis Aperitiva est & Diuretica, si præsertim aculeum proprio spiritu obtinuerit: Vna si commisceantur non parum conducunt eliciendis capillis iisque producendis, sicuti plurimis oculorum affectibus curandis, ac præsertim suffusionibus: Nec minus utiles sunt faciei maculis delendis; spiritus autem, etiam solus, Martem dissolvere valet. Saturnum atque alia quædam mineralia.

Ex melle, cum paucissimum Oleum eliciatur, ideoque vix Distillatio ad extremum usque producitur; Admodum tamen convenit in mundificatione Ulcerum ac Ossium carie emendanda; Neque præterea curæ est igni comburendum tradere magna in Cucurbita superstes, educendi gratia Salis, cum paucissimum illi insit, vires autem non multum sint insignes.

Nonnulli Auctores modos quosdam tradunt Aceta ex melle extrahendi; sed nullum compertum mihi rationi magis consentaneum, quam si Hydromel, fermentationem expertum, sponte in Acetum degeneret, à me descriptum inter præparaciones Galenicæ istius Operis; Id quod brevi tempore sperandum est, dummodo apertum maneat dolij ostiolum supernum, Hydromel continens.

## CAPVT XII.

### *De Distillatione Cere.*

**C**VM exiguum adsit discrimen inter varias agendi rationes, ab Auctoribus descriptas ad Cere distillationem, ideo immoraturus non sum.



sum in illorum procedendi viis examinandis, aut carpendis; vti neque in eam vlla impossibilitatis arguenda: Cum præterea ab aliquoties iterata distillatione, & additione materierum, ad id ab iis vsurpararum, liceat tandem finem consequi, atque obtinere Oleum Cerae, non plurimum ab illo dissimile quod ij spondent: Porro, cum in Chymia, sicuti in uniuersa medicina, eo collineandum sit vt Tuto, Cito & Iucunde peragantur omnes operationes susceptæ; neque mihi scopus sit hoc loco, vti nec alias, arcana propria adseruare, huc adduco præparationem illam quæ maxime prædictis conditionibus consona est:

Accipiantur Cerae flauæ electæ adoratissimæ, purissimæ, quæ in factum secretionem exiguum ignem experta sit, libræ duæ; in minima frustra dividatur, colliquantur in sartagine ferrea, aut cuprea, igni admodum leni exposita: Cum illis compingantur cinerum optimorum lignorum, nullis vsibus dicatorum, quantum comprehendere illi poterunt. Commixta hæc indantur ingenti Retortæ vitreæ, Balneo arenae committendæ, intra capsulam correspondentem, adeo vt Retortam omnino ambiat & cooperiat Arena, solo exerto collo; demum imposito operculo fornicato capsulæ, ad commodato autem, & accurate loricate Semi globo vitreo rostro Retortæ, suscipienda erit Distillatio igne per gradus adhibito, initio leni, tandem sat intenso, imò eodem in tenore producto donec ex Retorta nihil amplius prodeat: postmodum sponte frigefacta arena, decrustatoq; Recipiente, occurrent Oleum Butyri forma concretum, Phlegma & Spiritus, cum tantillo Sale volatili, paululum autem hæc materiæ in Recipiente prius commotæ, quo sal volatile in his liquoribus dissolvi queat, decantandæ erunt in lagenam: demum colliquefactum igne lenissimo Oleum coagulatum, effundendum in vas vitreum aut Faventinum, seorsum, si vis, vsurpandum; vel sartagine excipiendum, qua igni modico imposita, vt id colliquantum maneat, oleo concorporanda erit calx viva recens, in pulverem sponte soluta, ea quantitate quæ sufficiat illi compingendo, demum excussis ex Retorta cineribus residuis, his substituenda erit dicta mistura, ex butyro Cerae & calce conflatæ, sicuti prius Balneo Arena commiscenda; ex distillatione autem (quoad cætera sicuti prius procedendo) prodituum est Oleum Cerae limpidissimum, aquæ fere instar candidissimum, nonnullo phlegmati & spiritui adhuc remistum, per infundibulum vitreum aut aliter fecernendum

Sal volatile Cerae posset rectificari in matratio oblongiore collo donato, Balneo Arena, non alia ratione qua cætera Salia volatilia, si Cerae non mediocris copia distillationi subiiceretur, id exhibendo ab octo aut decem ad quindecim vel viginti grana, ex vino albo, aut alio quo-



piam liquore; Præstantissimum quippe diureticum est & diaphoreticum:

Butyrum, aut Oleum Cerae concretum, vsurpari potest ad Fissuras & Rimas mammillarum, manuum, pedum & ani, sicuti & ad Perniones, ac dissolvendas scirrhasas durities & oedematofas: Quibus cunctis affectibus convenire potest Oleum limpidum, quod præterea non minima vi lotium pellendi præditum est, sumptum quantitate trium, quatuor, imo novem aut decem guttarum, saccharo in pulverem contrito exceptarum, ac in vino albo dilutarum, vel alio quopiam liquore: Spiritus iisdem pollet viribus, sed minori pollet efficacia.

### CAPVT XIII.

#### *De Distillatione Asellorum, & Lumbricorum Terra.*

**A**sellorum & Lumbricorum terrenorum distillationem simul complector, tum quod vna eademque sit procedendi via, tum quod facultatibus inter se multum convenient, tum substantiæ confimiles ex illis educantur, Animalcula hæc, quanquam contemnenda videantur, non minus prægnantia sunt, proportione habita corporis, Sale volatili & Oleo, quam pleraque alia Animalia, etsi priora largo humore perfusa sint.

Induntur Retortæ, qua imposita furno Reverberij clauso, adcommo- datoque & accurate loricato grandi Recipiente eius rostro, igne per gradus adhibito eliciuntur Sal & Oleum Volatilia, plurimo phlegmati commista, quorum postmodum rectificatio instituitur Balneo Arenæ, igne moderato, in matrario oblongo collo donato, cooperto copitello proprio, probe luto incrustato: Educto vero ex capitello, ac in lagena densa recondito, Sale volatili prius sursum evecto, productaque rectificatione, reconditur itidem oleum separatum, cum reliquo Sale volatili, in portione quadam phlegmatis dissoluto, stillantibus postmodum in exiguum Recipiens, adaptatum rostro alembici & luto obductum.

Nonnulli tenaces erroris Antiquorum comburunt & incinerant Asellos & Lumbricos, vel citra alium adparatum taliter in vsum ducentes; vel ex iisdem cineribus Sal educere tentantes, nequaquam attendentes dissipationi Salis volatilis illorum animalium ab igne imminente; ignari nullum aliud superesse Sal quam id quod Acidum materierum combustibilium fixare potuit: quantulumcumque tamen emanet, summa id vi diuretica præditum est.

Nonnulli etiam post distillationem Asellorum, aut Lumbricorum terra, ex Retorta, dissolutionem Salis volatilis in parte Aquea, ac separa-  
tionem



tionem huius liquoris ab Oleaginea, mediante charta emporctica madida, imposita supernæ parti infundibuli vitrei, stillatim affundunt postea spiritum Salis aut Vitrioli, donec nulla amplius adpareat effervescentia, vnde non solum consequitur conjunctio Salis volatilium cum Acido, sed etiam illorum concorporatio & commutatio in Sal fixum, in quo Sal volatile, antea diaphoreticum, diureticum tantum evadit.

Neque iis admirationi esse debet istiusmodi immutatio quibus perspecta est insignis dispositio Salium volatilium per quam Acidis se adjungunt, ac immutatio vtrinque ad tempus adveniens ex ista unitate. Neque etiam mirum esse debet quod postmodum ab addito duplo pondere Salis fixi, educti è Tartaro rite calcinato, Sali eo modo fixo reddito, Acidum, Volatile deserat, Sali huic fixo se adjuncturum, ac Volatile priori libertati restituens, id idoneum reddat sublimationi, adeo ut ad summum capitellum evehatur si calore moderato impulsus fuerit.

Sal volatile Asellorum, uti & Lumbricorum terrestrium, æquali diaphoreticavi pollent, admodum idonea depurandæ massæ sanguineæ, illiusque impuritatibus per insensibilem transpirationem discutiendis: Foras quoque expellunt, ac per poros cutaneos humores fuliginosos, acres & malignos ejiciunt; Acida potentissime subigunt, adeo ut illorum usus plurimi fiat ad curationem veterum ulcerum, cancerum & ulcerum: Neque minus commendabilia sunt ad solatium Arthriticorum, Rheumatismo laborantium, dolore aut aliis affectibus musculorum & nervorum.

Dosis & usus ratio horum Salium, uti & salium volatilium aliorum animalium admodum inter se conveniunt; Nec dispar est Olei ratio, cujus vires eundem scopum spectant.

Nonnulli per biduum aut triduum Lumbricos terrenos & Asellos inter duas patinas fictiles concludunt, quo ingesta evomant; postea vino albo eluunt, ac in furno exsiccatos, remisso intenso hujus ferore, in subtilem pulverem deducunt, quem à scrupulo uno ad drachmam exhibent adversus urinæ difficultatem, uti & ad aliorum affectuum curationem, ad quos convenire censetur Sal volatile.

Neque dissimilis esse debet procedendi ratio ad distillationem Lumbricorum in ventriculo & intestinis humanis natales habentium, ex iis eliciendo Sal & Oleum diversa volatilium, qualitatibus non; quæ eadem ratione in usum trahi possunt.



## CAPVT XIV.

*De Distillatione Cantharidum.*

**N**Vlli dubium esse debet Cantharidum substantium summa acrimonia & corrodingi vi præditam esse, quandoquidem contrita, & cuiuspiam corporis parti admota vesicas excitant, imo & ulcera si diuturnior sit mora: ore item adsumpta, minima etiam dozi, & granorum aliquot pondere cladem sæpenumero inducunt, inflammationes in partibus internis excitant, speciatim Renibus, vesica, ac vasibus eo pertinentibus, aut finitimis, unde nonnunquam consequuntur urinæ ardores adeo intensi ut mictus cruentus adveniat.

Neque tamen prohibet eiusmodi malignitas quin sæpius ad usus externos præscribantur, imo & nonnunquam interius adsumantur, dummodo adsint cautiones necessariae, necnon distillationis ope eliciantur ex illis Sal & Oleum volatilia, à quibus, exigua etiam copia adsumptis, insigniores expectandi sunt effectus quam à quovis alio Sale volatili, parari solito.

Accipiantur Cantharides siccae, neque capitibus neque alis, neque pedibus abjectis, conjiciantur in Retortam argillaceam, vel vitream luto obductam, adeo ut quarta circiter pars vacua superfit, qua in furno Reverberij collocata, ad commodato ejus rostro grandi Recipiente, sedulo loricando, suscipiatur distillatio igne per gradus adhibito, eadem cautione adhibita ac in distillatione cæterorum animalium, vel illorum partium; Tum obvia erunt in Recipiente Sal volatile cum Oleo, plurimo phlegmate commixta, simul effundenda in Matrarium oblongo collo donatum, quo imposito Arenæ Balneo, Capitello proprio, optime loricando, cooperto, ad commodatoque ejus rostro exiguo Recipiente, itidem incrustato, Rectificationi harum substantiarum incumbendum erit igne moderato adhibito, cujus beneficio statim proditurum est, fursum ascensurum, Sal volatile album & crystallinum, non minori industria quam sedulitate recondendum, in lagena vitrea densa, accuratissime ocludenda; Capitellum aliud priori adempto substituendo, cujus probe luto munitis commissuris, ignem continuando, in exiguum Recipiens procuranda erit distillatio Olei & reliqui Salis volatilii dissoluti in paucissimo phlegmate, quod secum abduxerit: Quibus peractis fecernendum Oleum à Liquore, seorsum utrunque adservanda in lagenis vitreis densis rite obturandis.



Sal volatile Cantharidum potentissimum est omnium Diureticorum, adeo ut etiam illi quidam adscriptam velint vim atterendi & dissolvendi Calculum in Renibus & Vesica: Tanta pollet penetrandi facultate & acrimonia ut in lingua libantium ulcuscula pariat, nec aliter adsumi queat quam liquoribus quibusdam dilutum, aut accuratissime Opiatis commixtum aliisque remediorum formis mollibus; Dozis autem est graniius, duorum aut trium, quaterna nequaquam excedendo.

Effectus autem omnino præstantiores sunt, & multo magis periculi expertes quam ab exhibitis Cantharidibus in substantia, ad excitandos veneris stimulos in utroque sexu; Cui rei Oleum etiam idoneum est, commixtum æquis partibus Olei stillatitii caryophyllorum, ac duodecies tantum Olei à Nuce Myristica expressi, inungendo plantas pedum, testiculos & perinæum, dummodo vehementia odoris molesta non fuerit.

Liquor reliquum Salis volatilis obtinens, ad eosdem usus transferri potest ac Sal ipsum, dozin adcommoando pro majori aut minori phlegmatis copia remixta: Salis autem volatilis tutissimus usus si minima dozi exhibitum fuerit, ac plurimo liquore dilutum, quo in quam minimas divellatur particulas.

## CAPVT XV.

*De Distillatione Formicarum.*

**M**atratio convenientis capacitatis excipiat ea Formicarum quantitas quam colligere licebit circa tempus messium; superaffusoque spiritu vini rectificatissimo, adeo ut tribus digitis superemineat, accuratissime autem occluso Matratio, effusoque in Cucurbitam vitream liquore, hæc suo Capitulo cooperiatur, cujus junctura rite luto obducendæ; Hac autem Balneo Arenæ commissa, adcommoato ejus rostro exiguo Recipiente, probeloricando, suscipienda erit distillatio subdito igne moderatissimo, donec paucissimus liquor in cucurbita superstes sit: Demum sponte refrigeratis, ac decrustatis vasis, effundenda erit, & adservanda Aqua spiritiuosa distillata, Sale volatili Formicarum prægnans, recondenda in lagena vitrea densa optime occludenda, ad usus.

Aquam hanc spirituosam admodum conferre aiunt excitando & corroborando calori nativo; Tum & ad viros tardos, & mulieres in Venerem segnes proritandum, quamobrem aculeus illi datur additis quibusdam Aromatis, cuiusmodi sunt Cinnamomum, caryophylli, Macis, &c.



Idonea necnon censetur restaurandis Atrophia laborantibus:

Exhibetur à semicochleari ad integrum, seorsum aut paucò vino commixta, vel etiam tertix aut quartx parti aqux cinnamomi.

Possunt & Formicæ matratiò excipi, quod accurate occlusum, & obvolutum pasta ex qua panis conficitur ad crassitiem transversì digiti, immittitur Furno Pistoris, detinendum toto tempore quo indiget panis syncomistos ad perfectam sui coctionem: Eo autem sponte refrigerato, percolandus erit liquor, & committendus lagenæ vitreæ densiori accurate obstruendæ, plurimi vsus, vti ferunt, contra surditatem,

Infunduntur etiam, ac postmodum decoquuntur, igne subdito lenissimo Formicæ in Olivo, postmodum percolando, adservando ad inunctiones partium genitalium, Veneri torpidæ suscitandæ: Potest & elici Sal volatile, vti & Oleum Formicarum, has ex Retorta distillando non secus ac Cantharides, ad eosdem fere vsus revocando.

## CAPVT XVI.

### *De Preparationibus Pavonis.*

**P**Avo, Avium cunctarum elegantissima, vitæque, vt perhibent, productioris, non immerito Avis medicinalis nomen consequuta est, quandoquidem non solum ex ejus corpore deducuntur plurima vsibus medicis idonea, sed etiam caro illius incorrupta diu manet, ac diutius quam cuiusvis alterius animalis.

Adsumitur quidem Pavonis Iusculum tanquam pleuritidis remedium specificum, sed ex eius corpore integro, imò & illius excrementis, speciatim autem ex stercore, medicamenta specifica vi Epilepsiam impugnantia eruuntur, prætermisiss plurimis viribus corporis illius partibus à quibusdam adscriptis,

Plumis exuatur Pavo, exenteretur, in frustra dissectetur, illis autem immisiss Cucurbitæ vitreæ, Balneo Arenæ impositæ; hac Alembico proprio cooperta, commissurisque amylo obductis, adcommodatòque eius rostro exiguo Recipiente, igne moderato aqua extrahatur, admodum idonea corroborando cerebro, illique adversus affectus, quibus obnoxium esse solet defendendo.

Distillatione hac peracta, exemptòque ex cucurbita id quod in illa superstes fuit, excipitur Retorta argillacea luto circumlita, qua imposita Fornaci Reverberij clausæ, adcommodatòque eius rostro capaci Recipiente, accurate lutando, igne per gradus adhibito elicitur Sal volatile, & Oleum, cum admisto plurimo phlegmate; quorum postmodum instituitur



stituitur Rectificatio in matratio oblongi colli, capitello suo, probe luto obducto, cooperto, sicuti præmonui ad præparationem eiusmodi substantiarum, vnde exsurgit Sal volatile; album & crystallinum, cum Oleo limpido, eximiarum virium, præsertim adversus Epilepsiam, eadem ratione id in usum adducendo, parilique dozi ac cætera Salia volatilia eiusdem indolis: Imo ad Illitus Oleum vsurpando, Narium, Temporum, & regionis Sutararum cranij.

Stercus Pavonis quod spectat, hoc probe exsiccatum, & comminutum, immittitur Retortæ argillaceæ, luto circumdatæ, qua super Furno Reverberij clauso collocata, & adaptato eius rostro Recipiente capaci probe luto obducto, igne per gradus adhibito eliciuntur substantiæ non multum illis absimiles quas fundit Pavo mediante eadem distillatione; eadem etiam ratione rectificandâ in matratio prolixi colli, vtilis ad morbi Herculei curationem, sicuti illæ quæ ex Pavone eruuntur: Sal volatile, & Oleum idillatitium Pavonis, necnon & huius stercoreis, admodum conducunt sistendæ Vertigini, disintiendisque vaporibus huius parentibus.

Nonnulli censent stercus Pavonis exsiccatum, drachmæ pondere vino albo infusum, demum percolatum, ac jeiuno ventriculo mane exhibitum, à nova Luna ad plenam, imo ulterius si necessitas urgeat, remedium esse vi specifica Epilepsiam & Vertigines abolens: Valere etiam aiunt Pinguedinem istius Animalis ad colilos dolores; Pennarum autem combustarum nidorem ad disintiendis vapores ex vtere elatos.

## CAPVT XVII.

*De Præparationibus Castoris.*

**E**X Retorta partes omnes Castoris Distillationi subijci possent, sicuti & cæterorum animalium; ac Balneo Arenæ in matratio oblongi colli Rectificari quæcunque substantiæ exinde expectandæ, sed eximius vsus, & facilis præparandi ratio Salia volatilia, ex plurimis aliis Animalium partibus eruenda, virtutumque adfinitas cum illis quæ ex hoc Animalis obtineri possunt, in causa sunt vt illorum negligatur præparatio, Eaque potissimum ratione, quod eximiæ dotes substantiarum, in seroto istius animalis latentium deprehensæ, quibus per excellentiam Castorij nomen inditum est, efficiant vt contemptim habeantur cæteræ partes.

Easdem ob qualitates, & præteritum non vile horum Testiculorum, igni Reverberij non exponuntur, secernendi gratia Salis volatilil, & Olei ex Retorta extrahedi: Seorsum auté adfervata parte unctuosa, summæ parti



horum Testiculorum imposita, in vesicula separata: contusæ vero, aut minutissime incisæ, substantiæ carneæ, exceptæque Matratio capacitatis convenientis, superfunditur spiritus vini alkoolifatus, adeo ut quatuor circiter digitis supereminet: demum perquam accurate occlusum Matrarium superimponitur furno Pistoris, inibi derelinquendum per dies quindecim aut tres hebdomadas, imo, si libet, ulterius, materias per vices commovendo, quo in vini spiritum id quod maxime essentialiale continent transmeet, qui tandem coloris saturati adparet: Postmodum percolatis & expressis materiis, reconditur liquor in lagena vitrea densa, probe obturanda, Tincturæ Castorei nomine insignitus.

Sin Distillatio suscipienda sit, Cucurbitæ vitreæ cunctæ materiæ inclusæ Matratio immittendæ, quo Balneo Arenæ commisso, & Alembico suo accurate luto obducto cooperto, sicuti & exiguo Recipiente, cucurbitæ adcomodando, procurandus erit ascensus & distillatio spiritus igne moderatissimo, pergendo in distillatione donec omnis pars spirituosâ sursum evecta sit, Quæ ratione consequi licebit id quod vocant Spiritum Castorei; qui secum in distillatione abduxit substantiam maxime volatilem istius partis Castorei, alias in Tinctura superstitem; quorum vires, doses & usus admodum inter se conveniunt, quandoquidem & hic & illa admodum conducunt adversus quosvis Cerebri & Ventriculi affectus frigidos, sed præsertim Vteri.

Exhibentur à semidrachma ad duas, imo & nonnunquam, quibusdam in casibus, ad semunciam, vino commiscendo aut Aquis quibusdam cephalicis, stomachicis, aut hystericis: Licet & Naribus immittere, Temporibus, Carpis admove.

Residuum vero in cucurbita quod attinet, huius colo-transmissi, vase exiguo fictili probe vitreato excepti, igne supposito lenissimo, paulatim humoris superflui absorptio procuranda ad consistentiam vsque extractorum ordinariam: quod refrigeratum recondendum in Vase Faventino optime obturando, ad usum servandum.

Extractum hoc complectitur partes puras & minus volatiles Castorei, ideoque non contemnendum, dissolvendum, si lubet, in spiritu Castorei, aut liquoribus Cephalicis vel Hystericis, vel seorsim Boli forma adsumendum à semi scrupulo ad semidrachmam, in iisdem affectibus ad quos præscribitur Tinctura aut Spiritus Castorei.

Quoad partem Vnguinosam, vesicula peculiari conclusam, summæ Testiculorum parti Castorei impositam, hæc vexationibus Chymicis obnoxia non est; vtiliter tamen in usum adduci potest ad præparationem Galenicam Olei Castorei, id quod à me suo loco ostensum.

Plurimas alias præparationes Animalium, vel partium illorum Chy-



micas hunc in librum conferre potuiffem, fed fufficere allatas exiftimo, iis fatifactorus qui Chymico ftudio fe addicunt, ac præterea fatif effe exemplorum vt quis audeat & fufcipere, & perficere cunctas Præparationes Animalia fpectantes, quamobrem ad Mineralia tranfitum faciam.



# PHARMACOPOEÆ REGIÆ CHYMICÆ.

LIBER TERTIVS.

## MINERALIVM

Præparationes Chymicas exhibens.

---

### CAPVT I.

*De Præparationibus Terrarum & Bolorum, Et data occasione, de Oleo  
Lateritio feu Philofophorum.*

**L**ITIVM duxi Primi Libri tertix hujus Partis meæ Pharmacopœæ à præparatione Chymica Plantarum illarumque partium, quippe quæ in fuperficie terræ, illas producentis, obviæ funt ac ftatim in oculos incurrunt; Immediatè has exceptit Præparatio Animalium, in quorum gratiam cæteræ Terræ, Maris & Aëris productiones conditæ funt: Iam ad



Terram propero, matrem, nutricem, basin & centrum rerum omnium creaturarum: Ideoque tempestive traditurus sum Præparationes potissimarum substantiarum quas sinu suo continet ( à quibusdam Mundi subterranei nomine insignito ) & Auctores omnes generali mineralium voce complexi sunt.

Terra oculis nostris exposita, quam pedibus terimus, aut fœcunda est aut sterilis: Fœcunda ejusmodi est, pro substantiæ suæ natura, magis aut minus arenosa; qualitate & quantitate Salis illi remixti, Aquarum humectantium, Climate sub quo est, silicum aut lapidum majori aut minori abundantia: Sterilis quia aut Sale caret, generationi Plantarum necessario; aut quod aridior est à solis æstu nimio, ac privatione humiditatis propriæ; vel calcinata, ac propemodum ad virti naturam, ab igne centrali accedit; aut ad petrificationem vergit, à succo vel spiritu petrificandi vim nacto; vel suffocata ab abundantibus materiis sulphureis aut bituminosis, aut salibus, aut spiritibus corrosivis, sive tandem ab innata dispositione ad generationem metallorum in suo sinu, gemmarum aliarumve substantiarum, quas Sal, generationi Plantarum idoneum, producere nequit: optima Terra, quanquam fœcunda & parens productionum generationi inservientium, nutritioni & conservationi Animantium, quoad propriam substantiam exercitio Chymico admodum inepta est: in illa enim præter principium activum nihil deprehendere est, videlicet Sal: Ambo passiva existimata, nempe Aqueum & Terrestre, vix ut in considerationem adducantur digna sunt.

Sal, à terra fertili segregandum, ad naturam Salis marini propemodum accedit, constat enim ex eodem spiritu acido, eodemque Sale fixo, quæ verisimiliter easdem influentias, eandemque originem cum Sale marino agnoscunt; Eapropter per quam raro hujus Salis extractioni quisquam navat operam, At cum huic libro illam insertam velim, ecce methodum in eundam ut voti quis compos fiat.

Terra fertilis aratro subacta, cum fœcunditatem fere quòtannis exuat per varias productiones, necesse erit ad illam se convertere quæ per aliquot retro annos inculta fuit, imo hanc effodere ad altitudinem pedalem aut bipedalem, eam solum quæ in fundo eruta est usurpando: Adsumantur ergo istius Terræ aliquot modii, hæc cupæ cuiusdam idoneæ immissa, diluenda erit, in triplo vel quadruplo tantum aquæ pluvix, per triduum aut quatrimum derelinquenda, per vices agitando ad faciliorem Salis dissolutionem: Demum omnimoda facta Terræ subsidentia, ac decantato, & percolum trajecto liquore supernatante, promovenda erit humiditatis in vapores resolutio sartagine ferrea, eam excipiendo, igne moderato supposito, Tunc obvium erit Sal Terræ in fundo



fartaginis concretum, cui maior candor conciliari potest & ad crystallinam naturam deduci, si id cruciculo exceptum incandescat, demum in aqua pluvia dissolvatur, filtretur & in crystallam deducatur, cucurbitæ vitreæ inditum, supposito igne Arenæ moderato: Ex hoc Sale educi potest Spiritus illi similis quem suppeditat Sal marinum, eandem in eundo viam.

Etiamsi Terra specie sterilis in contemptum venit quod nuda sit ac superficiem exhibeat vilem, non tamen non commendabilis est ob res raras & in pretio habendas quas sinu suo fovet, materiam & subjectum elegantissimarum operationum Chymicarum: Coniunctio sapissime adveniens, intra Terræ viscera, substantiarum acidarum & corroden- di vi præditarum, cum Salinis, vel metallicis, sulphureis aut bituminosis, unde excitantur ignes variæ intensi- onis & diversorum graduum, admi- randis generationum speciebus ansam præbet, ac præparationibus Chymicis soli Summo Opifici, & Naturæ magistro adscribendis, adeo aperte in oculos incidentibus, vt demonstrationibus rem manifestam facere inutile sit: Satis mihi jam sit caput præsens prorogare, adductis aliquot Terrarum præparationibus, & Bolorum, ad medicos usus ac- cerstrarum, etsi recenseantur inter vilissimas Terræ infœcundæ pro- ductiones.

Terræ Lotiones hic non attingam, vt neque Bolorum, quando qui- dem hæc præparatio ad Pharmaci- am Galenicam pertinet; hoc solum obiter adducturus sum, immodicas Lotiones abluere & detrahere Terræ id quod salinum & spiritu- osum obrinet; Illas autem (cum eo solum scopo constituantur lotiones vt Terræ ab arenosis partibus liberentur, aliisve fordibus) licere (in tactis & salvis viribus harum Terrarum) ido- neas scopo reddere triturando, & per cribrum sericeum transmitten- do, cuius telæ arenulæ aliæque quiescunt inhæsuræ sunt, Argillosas ta- men Terras, aut Bolos, super porphyrite terendas, non inutile est hu- mefecisse aquis aut decoctis cordialibus, aut in exiguas metas effinge- re, dummodo ea solum aquæ quantitas affuse fuerit ut absorbendæ pares fuerint.

Ex Terris argillaceis, nominatim Lemnia exsiccata, educitur Phleg- ma & Spiritus acidulus, sudoribus evocandis utilis, distillatione per Re- tortam instituta in Furno Reverberij clauso; Possunt & præparari ma- gisteria harum Terrarum, dissolutione facta in spiritu Salis, aut Nitri, ac præcipitando iniecto Sale Tartari in liquorem resolutum, quod spiri- tibus his acidis commixtum, in causa est vt secedant à corpore ab ipsis resolutum; vel superaffusa copiosa aqua communi, à qua infractis iisdem spiritibus similis prodit effectus: At ob iniuriam Terræ spiritibus illa-



tam hanc dissolvendo, à dissipatione spirituosarum partium & salinarum, contingente ab adfociatione eorundem spirituum, ac lotionem requisita, retundendæ causa acrimoniæ, id ratum habeo eiusmodi Argillas, e minera depromptas, ac per incerniculum sericeum transmissas, multo præstantiores futuras; Neque enim exuunt singularem, qua polent, facultatem exsiccandi & adstringendi, humorum putredini obstitendi, quinimo & venenis ac febrium malignitati, sanguinem concretum resolvendi ac sudores excitandi; Sed præcipua illarum efficacia adversus Diarrhoeam quamvis & Lienteriam.

Etiamsi Laterarij Figuli, dum lateres coquunt, Naturæ imitatores quodammodo videantur, quippe quæ Argillæ lapideam inducit indolem, in Bolum illam convertens, media tamen, quibus Natura utitur, leniora proculdubio sunt & potiora, quandoquidem in Bolo supersunt omnes vitales qualitates quibus donatum erat sub Argillæ forma: id quod nequaquam mirum videbitur si animadversus fuerit tepor & lenitas ignis centralis illam coquentis, temporis autem diuturnitas quod Natura ad hoc operis impendit: Cum ex opposito ignis vehementia, argillam in lateres commutantem, destruat & absumat quicquid purum & subtile illi inest, idoneam solum efficiens constructioni Fornacum aliorumque ædificiorum: nisi forte vsui esse videatur ariditas & siccitas laterum, absumendæ gratia cuiuspiam humiditatis terrestri, ac liberandæ puriorique efficiendæ cuiuspiam substantiæ liquidæ, id quod conspicuum est in præparatione olei, Lateritis dicti, aut Philosophorum, cuius per transfennam trado descriptionem.

Superfluum censeo Auctorum omnium processum, Lateres antequam Oleo immittantur prius ut candescant curantium, eo quod diuturnitas & vehementia ignis, ad istius Olei distillationem requisita, lateribus sufficientem calorem inurat quo pervadi queant ab Oleo Olivarum, & quicquid aqueum & terreum huic inest absorbere valeant: Ex mea vero sententia, postquam incanduerint, absumendæ causa humiditatis extraneæ, forsitan contractæ, satis est si calentes conterantur, ac demum Olei Olivarum quantum absorbere poterit pulvis affusum fuerit: postmodum Retortæ lapideæ argillaceæ, luto obductæ tres circiter partes impleantur, qua collocata in Furno Reverberij clauso, ad commodatoremque illius rostro amplo Recipiente, probe loricato, suscipiatur distillatio igne per gradus adhibito, producto & impulsio non secus ac innui pro distillatione Cranij humani, plurimorumque aliorum eiusmodi Oleum, si liber, rectificandum, affusum recenti laterum pulveri, ex Retorta, Balneo Arenæ, igne per gradus adhibito, ut puritas & tenuitas major illi concilietur.



Insigni penetrandi vi præditum est istud Oleum, digerendi, resolven-  
 di, maturandi & emolliendi humores frigidos, quos ad suppurationem  
 randem deducit; Scirrhus Iecoris & Lienis absumit, nec non nodos  
 Podagricorum. Lueque Venerea infectorum tophos & gummata: Non  
 minimæ est efficaciam inunctum adversus Paralyfin, Rheumatismum,  
 Ischiadicum dolorem ac quamvis Arthritidem; Vtvero immissum illud  
 ab impuritatibus liberat, Odontalgiam sedat, Otagiam, Auriumque  
 fufurrum; Naribus inditum Lethargicos & Epilepticos excitat: Tem-  
 poribus & supra cranij futuras admotum, cerebrum mire excalefacit  
 & roborat, Lumbricos quoque enecat, Pulmonesque pituita infarctos  
 extricat, si guttæ aliquot ex liquoribus idoneis datæ fuerint.

## CAPVT II.

*De Preparatione Aquarum.*

**H**ic loci sermo mihi non est instituendus de Aquæ usu, uti neque de  
 necessitate illius cum Terra conjunctionis, ad generationem &  
 productionem mixtorum; Neque etiamnum huc revocaturus sum id  
 Phlegma, vel Aquam, distillatione Chymica ex plerisque mixtis elici  
 solitam, à Chymicis inter Principia Passiva repositam, ac substantiam  
 ad illorum compositionem necessario concurrentem; Sat multa me di-  
 xisse capite quarto hujus Pharmacopœæ existimo, è re tantum esse ut  
 verba faciam de Præparationibus Chymicis Aquæ Elementaris, à cun-  
 ctis Authoribus in censum Mineralium relatæ.

Pharmacia utraque quotidie usurpat Aquam fontanam, & fluviatilem  
 in plurimos usus; Nulla etiam pravia præparatione: quibusdam in lo-  
 cis Putealis ad usum accersenda est, quinimo & Palustris cæterarum  
 inopia; Chymia autem in Aqua pluvia præstantius quiddam agnoscit,  
 illa præsertim quæ Æquinoctiorum tempore effluit, speciatim vernos;  
 Omnis Aqua Pluvia ut plurimum dulcior est, tenuior & levior cæteris  
 omnibus, quod à Sole sursum evecta fuerit, materiam præbentibus va-  
 poribus aquarum subtilissimis; imo illi concessum sit tempus ad depu-  
 rationem, tum & sui attenuationem in transitu per aërem prius quam  
 in terram recidat: Illo præterea tempore Aër Spiritu Vniversali magis  
 abundat, cujus effectus in productione rerum omnium adeo efficaces  
 sunt; plurimoque sale volatili invisibili turget, cunctis substantiis sublu-  
 naribus Animam adflante.

Aquæ Pluviæ puritas non obstat quominus subsidere permittatur per



biduum aut triduum, ac ante usurpationem per colum trajiciatur, aut ex Alembicis vitreis in diplomate distilletur, aut Balneo vaporoso, si tenuitas illi major & penetrabilitas concilianda, Eapropter satis est mediam circiter humiditatis partem igne moderato eduxisse, demum effusis, ac seorsum repositis subsidentis, substitutaque illis recenti aqua Pluvia, Distillatio producitur donec sufficiens Aquæ illius attenuatæ, ac subtilissimo Aquæ pluviz sale volatili prægnantis, copia suppetat. Postmodum cunctis subsidentis vni aut pluribus Cucurbitis vitreis, eodem in Balneo, immixtis humiditas in vapores dissolvitur, quousque in imis Cucurbitis solum Sal fixum Aquæ pluviz superfit, exsiccatum ac parti terrestri cuiuspiam remixtum.

Nonnulli, Aquæ spirituosioris avidi, Aquam pluviam Matrario concludunt, quod hermetice oclusum per triginta aut quadraginta dies in digestionem aut putrefactionem detinent, quo melius præcipitentur fæces, & pars spiritiosa ab aquea facilius secerni queat, ac in distillatione ad superiora prior evehatur.

Nix, cum sit pluvia concreta à frigore in aëre, pars autem illius salina volatilis quodammodo eo pacto coercita videatur, iisdem viis elipoteest Aqua, non modo colore persimilis, sapore & facultatibus, illi quæ ex Aqua pluvia educitur, sed etiam majori penetrabilitate prædita, quod Nix sale plurimo gaudeat, quo fit ut major occurrat copia hujus evaporatione facta quam aquæ.

Aquæ stillatitiæ Imbrium aut Nivis, idoneæ sunt penetrandæ substantiæ plurimorum mixtorum, ac præsertim Vegetabilium, illorumque extrahendis Tincturis; Cui usui magis conducunt si illarum Sal fixum additum fuerit; Rentur etiam nonnulli spiritum, ex Sale hoc fixo eliciendum, præstantissimum esse metallorum dissolvens, potissimum Auri.

Roris natura plurimum affinitatis habet cum Pluvia vel Nive, at vero citius in nihilum abit, quod cum solummodo evehatur è terræ exhalationibus, neque tam alte efferatur ac vapores imbribus materiam præbentes, eapropter etiam minori provenit copia, ac vix diu subsistere potest: Cum enim solummodo circa veris initium adparere soleat, cum Sol solstitio proximus ad perpendicularum horizonti nostro imminet, cælum admodum est serenum, nubibus nequaquam obsitum, non item ulla alia tempestate, neq; cum aër nubibus obsitus est, his radios solares intercipientibus, & impediens ne terra exhalationes suas provehat, aut eas in imbrem convertat; cum vero aëre ventis exagitato nullus Ros reperiatur, ab illis dissipatus, diligentia in illo colligendo adhibenda



adhibenda est statim ac excidit, aut, quod satius, pelvibus excipien-  
 dus, aliisve idoneis vasis ipso quo effunditur tempore, lagenis accu-  
 ratè obturandis identidem recondendo, in usus citra adparatum advo-  
 cando; vel spiritum ex illo eliciendo, prævia digestionem, per triginta  
 aut quadraginta dies in matraccio hermeticè occluso, non aliam in-  
 eundo viam quam quæ pro Aqua pluvia indicata est, etsi nequaquam  
 in vasis fundo exquirendum sit idem Sal fixum quod ab aqua pluvia,  
 à summa quippe volatilitate salis roris in distillatione omnino sursum  
 euectum.

Aqua marina ad Solem aut ignem in vapores dissolvitur, sicuti &  
 Fontium salinorum, in Comitatu Burgundiæ scaturientium, aliisque  
 locis, consequendi ergo salis absumpta humiditate restibilis: At ve-  
 ro distillationi non subiicitur comparandæ gratia aquæ, præterquam  
 in navigatione maritima, inopia aquæ dulcis, etiamsi hoc pacto elicien-  
 da acrimoniæ nonnullius sit particeps, ratione partium volatilium ejus-  
 dem salis, in distillatione una abreptarum.

Hoc loco Aquarum mineralium distillationem prætermitto, eo quod  
 si illarum incidat usus, inutilis sit, in usum solummodo accersuntur cu-  
 jusmodi in fonte occurrunt: missam etiamnum facio methodum ob-  
 servandam in disquisitione & exploratione variarum substantiarum  
 aquis mineralibus præcipuas vires impertientium; cum proculdubio cu-  
 riosorum animos expleturus sit liber observationum circa aquas mi-  
 nerales Galliæ, à Domino Clossæo, Consiliario & Medico ordinario  
 Regio, Academiæ Regiæ scientiarum adscripto, eruditissime conscri-  
 ptus, publicique juris factus anno postremo 1675, præmissis insigni ex-  
 perimentorum non vulgari numero materiam hanc spectantium.

Neque præterea necesse duco ut huc adducam aquas artificiales,  
 quovis tempore parabiles, dissolvendo in aqua pluvia, vel fontana,  
 aut fluviali, varia salia variove spiritus, hæc adcommodando affecti-  
 bus & temperamento ægrorum; quarum legitima compositio non raro  
 quàm mineralium nativarum usum salubriorem præstat, omnibus ex  
 æquo morbis, si credere fas est, expugnandis parium; quippe cum  
 omnino impossibile sit præcisam determinare quantitatem cujusque  
 mineralis illas componentis, in terræ visceribus obvij; etiamsi ex ea-  
 rumdem sapore, colore, instituendaque analysi, non levis notitia com-  
 parari queat mineralium facultatibus suis illas imbuentium; Neque  
 etiam ullo modo quicquam colligere liceat ex salubribus effectibus,  
 in plurimis ab illarum usu comprobatis, ad morbos similes curandos  
 transferendum.



## CAPUT III.

*De Preparatione Lapidum & Gemmarum.*

**A**D examen deducturus non sum rationes à variis Authoribus adductas circa soliditatem & duritiem Gemmarum & Lapidum, sicuti & petrificationem illarum; parvi enim interest ab illis adscriptæ fuerint causæ unitati proportionatæ Alkalium cum terra, aut utrorumque cum Acidis, vel cum Aquis, vel succis, fermentum intra se continentibus, aut semen lapidificum, quorum effectus elucescunt in lignis, ossibus, plurimisque aliis materiis in quibusdam aquis lapideam duritiem nactis; In calculis in plurimorum animalium corpore genitis, imo & hominis; In infantibus quibusdam duritiem lapideam in utero materno adeptis. Neque etiamnum refert illorum generationem adsignarint partim Acido aëri inexistenti, cujus manifesti adparent effectus in terris, superficiem montium aut planitiem operientibus, successu temporis in lapideam abeuntibus naturam, Vel etiam adungere prædictæ causæ velint innatam dispositionem quorundam lapidum, ad readsumendam pristinam lapidis formam qua exuti fuerant, sicuti adparet in gypso, vel transfereandam dispositionem hanc in substantias ipsis commiscendas, id quod præstat calx; Scopus hic erit meus ut adferam præcipuas præparaciones Chymicas quas in Gemmas & lapides exercet Chymia.

Mechanice, Chymicæ imitatrix in furnis, eum in finem constructis, igne vehementi & diutius producto plurimos lapides obvios calcinat, cujusmodi sunt filices fluviatiles, ac quidam lapides, ex quibus conficitur calx ad ædificiorum structuram, necnon illi qui gypso materiam præbent: Chymia in calcem nonnunquam deducit quosdam lapides, per plures horas igne Fusionis adhibito, sicuti in Crystallo fieri solet.

Nonnunquam remiscet Nitrum, sal Tartari, aliudve sal, si calcinatio instituenda fuerit, obrinendi causa liquoris, sicuti cum ex Crystallo hunc educere scopus est: Nonnunquam illi satis est igni, ut candescant, ter quaterve exposuisse, ac toties in aqua extinxisse, sicuti id fieri solet in lapide Lazuli: Aliquando in spiritibus corrodendis vi præditis dissolvit, sicuti Saphyrum in spiritu vitrioli, ac nonnullas alias gemmas in Aceto stillatio &c. Quæ calcinationis species Potentialis vocatur, aut solutio, quam quædam aliæ operationes excipiunt à me postmodum memorandæ: Exinde etiam conficere solet magisteria, sed inepte, cum inferiora sint & viliora lapidibus è quibus educuntur.



## C A P U T IV.

*De Preparationibus Calcis.*

**N**eminem latet lapides, è quibus Calx conficitur, effectus in ea notabiles edere non posse nisi ignem prius experti fuerint, eamque conditionem calcinatione prævia adepti sint : Illud quoque notum à vehementi illa ignis actione omnem quisquis est humorem absumi : Vim autem in unam massam compingendi, ac in lapidem indurandi arenam, aliásque materias quibus commiscetur, nisi calcinatio & aquæ perfusio præcesserint, nequaquam adipisci.

Illud porro concedendum Calcem nequaquam immunem esse impressionum ignearum, neque tamen ideo inferendum facultatem illius causticam adscribendam esse atomis igneis illic conclusis ; Id enim si statueretur, lateritia opera, ignis vehementiam experta non minorem, igneis illis corpusculis nequaquam carerent ; Lapidés, alterius naturæ ab iis ex quibus conficitur calx, sæpe per incuriã illuc illabentes, simili vi caustica gauderent, idem ignis examen cum lapidibus calcariis perpassi, imo quandoque diuturnius : Ferrum item, cuprum, aurum, argentum, plurimæque similes materiæ, non minori vi caustica donatæ essent, tandiu ignem expertæ, imo aliquando repetitum.

Quapropter, cum nihil simile deprehendatur, neque caustica vis illis insit, nisi igni statim præreptis, aut cum maxima pars empyreumatis adhuc superest, vel sicubi aqua humescunt, in propria calcis substantia, neque alibi, disquirenda est qualitas illius comburens, speciatim sal illius semispirituosum, cujus tenuitas, & penetrandi vis admodum obviæ sunt ; etsi id à parte terrestri, in singularem massam deducendum divelli nequeat, sicuti in cæteris salibus id fieri solet.

Sola igitur salis ariditas, partisque illius terrestris, insignisque utriusque dispositio ad conjunctionem cum aqua, juvante & comite acido hujus naturali, causæ sunt caloris & effervescentiæ manifestæ cum invicem illa coeunt : ex ista, inquam, combinatione oritur proprietas calci innata colligendi, ac petrificandi quæcumque corpora attingit : quæ actio nequaquam adscribenda est, uti neque vis caustica, atomis igneis, quorum existentia eo minus probabilis quod, teste experientia, calx viva nequaquam incalescat ab affuso vini spiritu vel oleo, etsi utrumque flammam illico concipiat, quin potius excitatum in calce calorem ab



aquæ infusione extinguant: Calcis effectus causticos quod attinet, adsignandi illi vehementiæ & penetrabilitati partium proprii illius Salis, non minori vi caustica præditi quam sunt partes ignis, quibus imputantur prædicti effectus.

Prædicta argumenta, utut apertissima, cum dimovere à sententia nequierint nonnullos, illius quanquam male stabilitæ pertinacissimos, Lectori manifestum facere volui quam levibus innitantur principiis, atque incogitanter, & contra mentem principum Auctorum qui de Calce viva scripserunt, docere conati sunt hanc atomis igneis præditam esse, fale autem destitutam esse tradidere, quia, inquit, nullum ab ipsis repertum, etsi multo studio id ab ipsis conquisitum fuerit.

Illi inquam declinare conati exemplum à me de lateritiis operibus & fictilibus allatum, lapidibus, ferro, cupro, argento, & auro, eundem sæpe ignis gradum, imo majorem sustinentibus illo quem calx in sui calcinatione experitur, etiam si nullum ejusmodi corpusculorum igneorum vestigium adpareat quæ in calce animo fingunt, illi, inquam, diversitatem pororum prædictarum substantiarum comminiscuntur, statuentes, *Lateres, aliosve lapides calcinatos, aliter poros dispositos ac calcem obtinere, ut totidem particulas igneas continere nequeant: Sin quædam metalla dum calcinantur has admittant, easdem intra partes suas adeo tenaciter continere multo solidiores partibus calcis, ut neque calor, neque humiditas aëris illinc eas seducere valeant quo corrodere possint.*

At his perpendendum fuerat cum, non obstante varia pororum dispositione laterum & lapidum, ac dissimili poris Calcis, eadem substantiæ, ex illorum mente, non minimam copiam prædictarum atomorum ignearum continent, etsi minori quam quæ in Calce reperitur; cum porro supposititiæ illæ ignis particulæ nequaquam manifestæ sint, neque ullum motum prodant quando aqua has substantias pervadit, ideo necesse esse ut accenseantur numero non entium & impossibilem; ac statuendos in vero & reali fale calcis motum & calorem, succedentes cum aquæ immerguntur.

Exemplum adductum de incremento, pondere calcis plumbi, dum calcinationem sustinet, & adscriptione istius augmenti corporibus igneis quæ subingressa esse suspicantur, ac eorundem destructione inducta à fusione istius calcis, eadem quoque ratione entibus rationis annumerentur, quandoquidem istiusmodi augmentum aliunde ortum non ducit quam à partibus fuliginosis & excrementitiis materierum accensarum plumbi calcinandi gratia, in scorias secedentium aut fumum fusionis tempore; fictitia autem gravitas atomorum harum ignearum, quas inviti concedunt in metallis compactioribus contineri per longam



gam illorum calcinationem, pro chimerica tantum habenda est & phantasiæ opere; testibus enim iis qui trutinæ rursus exposuerint, auri ponderi, ac præsertim argenti, potius quid decessurum est quam ut augmentum accedat; in ferro autem & cupro manifesta est imminutio, si scorix & excrementiæ partes ablatae fuerint.

Excusationem autem allatam circa impossibilitatem excitandi in flammam exigua illa corpuscula ignea fictitia, affuso spiritu vini, oleo, aliisque liquoribus flammæ rapacibus supra calcem quod attinet, uti & id quod adfertur substantias ejusmodi, quæ particulas calcis dividere deberent, id quod præstat aqua, impedire quominus ab invicem diducantur, poros videlicet obstruendo, eventus comprobatur falsitatem principij corporum horum igneorum suppositivorum; nam præterquam quod experientia manifestum faciet spiritum vini facillime subire substantias quas aqua pervadit, nisi præpediant salia in illis contenta; oleum autem effluere è vasis, quibus concluditur, multo facilius aqua; Ex his merito colligendum, cum calx omni corpore destituta sit igneo, magno vel minimo, quod erga oleum & spiritum vini producere valeat, id quod minima ignea atomus vel momento efficere posset, penetratio autem in calcem illis non concedatur ob partem salinam conclusam, quam nequaquam pervadere aut dissolvere idonea sunt, id quod aqua præstat, colligendum inquam, ab eodem tantummodo Sale obstrui calcis poros, aditumque præcludi spiritui vini & oleis, tantum abest ut penetrare valeant, porosque occupare. Qui calcis vivæ effectum paucilla aqua dilutæ animadverterint, ad moræ autem fundis doliorum oleum continentium, præpediendi causa hujus effluxus, deprehensuri sunt id calcem penetrare non posse; Ij quoque discent calcem ea tantum ratione oleo obstruere quod Sale gaudeat, si in eos usus quis adducere velit postquam in aqua fuerit extincta, secretumque fuerit sal ope lotionum.

Interim, etiamsi concesserim post dilutam in plurima aqua calcem, secretamque partem terrestrem, si in vapores dissolutus fuerit iste liquor, in fundo occurrere paucillum terræ salis expertis, non tamen me iudice inferendum omnino illam sale spoliatam esse, sed admissa *Helmontij* sententia, hoc vero Sale à me perpenso tanquam *Gas* admodum volatili, quod corpus adsumere nequeat, visumque ubique effugiat præterquam aqua exceptum; hoc vero præterea considerato aquam simplicem, cui acidum innatum non deest, facillime subire calcis poros; hujus Sal ab illa dissolvi, partesque ab invicem diduci, ab actione & reactione utriusque æstum & effervescentiam excitari, aquam hanc imprægnatam parte salina & caustica calcis, in



se comprehendere quicquid hæc generosissimum obtinet, partem autem terrestrem lotionum ope hoc exutam, neque fervere, neque incallescere, neque id, quo antea valebat, præstare. His, inquam, omnibus verissimis perpensis, dimissisque aliis rationibus Lectori tædium allaturis, in ea adhuc hæreo sententia supposititia hæc corpora ignea accensenda esse entibus rationis, adsignandum autem omnino æstum & calorem succedentes dissolutioni salis calci, inexistentis in aqua, mutæque utriusque actioni & reactioni.

Calcis vivæ simplicissima præparatio ea est quæ per elixiviationem perficitur, etsi exinde, sicuti supra a me indicatum fuit, secerni exinde posse Sal, sicuti ex cæteris lixiviiis, sperandum non sit, sed in aqua dissolvitur sal illius spirituosum & exsiccans, quod caustica vi præditum evadit, si cum substantia quadam analogâ concentratum fuerit.

Eapropter Calcis vivæ optimæ tribus aut quatuor libris, capaci pelvi ex stanno sonoro confectæ exceptis, sensim aquæ pluvix aut fluviatilis affundatur quantum satis est ut referari possit ac ad dissolutionem disponi; demum repetitis vicibus nova iterum instilletur, donec aqua Calcis emineat quatuor aut quinque digitis, materias interim rudicula lignea commovendo, ut Calcis pars spirituosâ salina in aqua rite dissolvi valeat; demum quiescentibus omnibus per aliquot horas, & subsidentia facta, decantata ac per colum transmissa aqua supernatans, in lagenis vitreis densis adservanda erit, quam vocant Aquam Calcis.

In eandem Calcem reaffundere licet recentem aquam, ac tantumdem quantum prima vice, agitatione facta, subsidentia, filtratione sicuti prius, seorsum postremam hanc aquam recondendo; quæ operatio ter si libet repeti potest, ut Calx parte salina omnino exuatur.

Postmodum Calcis subsidentia exsiccari potest, servanda tanquam remedium exsiccativum lenissimum & optimum: Quæ aquarum prædictarum efficacior sit non difficile est diiudicare; Seorsum vnaquæque repouenda, diversimode usurpanda, prout effectus maior aut minor expetitur, tam adversus gangrænam, quam affectus oculorum ac pleraque ulcera.

Componitur etiam Aqua, Neoterics dicta Phagedenica, quæ nihil aliud est quam mixtura ex tribus libris prioris aquæ cum semilibra spiritus vini rectificati & semiuncia sublimati corrosivi; hæc tamé proportio stricto adeo iure observanda non est quin huius vel alterius medicamenti minor aut maior fieri possit dosis, præsertim sublimati; Imo nonnulli Arsenici pulverisati & sublimati æquales portiones imponunt, necnon aliquot guttas spiritus Vitrioli.

Admodum probatur hæc Aqua ad cohibendæ Gangrænx progressum, eiusque symptomata, Curationem ulcerum malignorum & corrodentium, quos in usus commovenda lagena ut turbida fiat Aqua; quæ commotio lo-



cum non habet ad effectus oculorum, limpida enim usurpanda, imo temperari solet adjectione aquarum ophthalmicarum: præscribi etiam solet ad sananda Erysipelata, Phlegmonas, Ambusta, omnéque inflammationis genus, temperando, si necesse sit, commixtione aquarum idonearum.

Præparatur Aqua Ophthalmica ex semilibra prioris Aquæ; libra una secundæ; sesquilibra tertiæ, salis Ammoniaci drachmis tribus, cuncta simul immittendo vasi cupreo, sinendo donec liquor elegantem colorem cæruleum nactus sit; demum per chartam emporeticam trajecta hæc aqua recunditur in lagena probe occludenda ad usus: particulæ cupreæ in hac Aqua dissolutæ, sali ammoniaco commixtæ, utilem edunt effectum, præstantissima enim est hæc Aqua in affectibus oculorum.

Schroderus spiritum Calcis vivæ magnis encomiis evehit, ad comminutionem & dissolutionem calculorum in Renibus & Vesica, ex vino albo exhibendo, vel jusculo, à gultis duabus ad quinque aut sex; Præparationis gratia præcipit præmissa subtili trituratione calcis vivæ super Porphyrîté, pulveri affundi spiritum vini rectificatum, distillationem fieri, cohobationem, octies aut decies repetendam ex Alembico vitreo accuratissime luto obducto, Diplomati imposito, aut Balneo vaporis; admixtisque decem unciiis capitis mortui ejusdem salis optime exsiccati, mixturam hanc excipi capaci Retorta luto incrustata, distillationemque suscipi igne per gradus adhibito, in Furno Reverberij clauso; ejus fundum aliquid spiritus vini contineat, exiguumque canalem obtineat infra locum quo pertingit rostrum Retortæ, ad commodato prius huic canali exiguo Receptaculo, adeo ut distillatione facta phlegmatis in hoc receptaculum, intensiore paulatim reddito igne, consequatur paulatim spiritus calcis, qui in vapores solutus, majus Recipiens subingrediens, resolvatur & spiritui vini commisceatur: postmodum postremo hoc accenso, & combusto, in fundo supersit spiritus calcis, prædictis usibus idoneus.

Nonnulli laboris parci prius subtiliter terunt calcem vivam, irrorant spiritu vini, affunduntque quantum absorbere valet, coniciunt in magnam Retortam, luto circumlitam, adeo ut partes duæ hujus vacent, qua Furno Reverberij imposita, ad commodatoque accurate loricato ejus rostro grandi Recipiente, igne per gradus adhibito suscipiunt distillationem; prolectoque spiritu vini spiritui calcis commixto, accenso & assumpto priori, vase excepto, in fundo superest spiritus calcis, quem reconduunt in lagene vitrea densa rite obturanda.

Calcis facultas caustica optime convenit cum salibus corrosivis, conficiendorum gratia lapidum causticorum: ad quorum præparationem, prius contrita in renuissimum pulverem libra una optimæ calcis vivæ, commixtæque libris duabus Sali Tartari recens præparati, & pulverisatis, simul calcinationi exponuntur per



horas duas aut tres, imposita capaci crucibulo, igne patente; deinde lixivio factò, per filtrum transmissò & evaporato, donec Sal in vasis fundo siccum conspicuum sit, hoc crucibulo Germanico optimo excipitur, admoto igne vehementi, inibi detinendo ad perfectam usque fusionem, tunc temporis effundendum in sarraginem cupream depressam, prius excalesactam, ubi obvium sit Sal quamdiu adhuc calet, in frustula divisum, idonea efficiendis fonticulis; illico recondendum in phialis vitreis densis, accuratissime occludendis.

Possunt & lapides caustici præparari ex lixivio forti, saponi nigro conficiendo destinato, qui constat ex calce viva & salibus corrosivis: Materiam etiam illis præbere possunt partes æquales calcis vivæ & cinerum clavellatorum, simul in aqua per aliquot dies maceratorum, demum filtratorum & ad lapidis caustici duritilem coctorum: Præparantur etiam factò lixivio ex cineribus fraxinis, quercus, sambucorum vitis, aut siliquarum fabarum, calcis vivæ commixtis, comite filtratione & in lapidem coagulatione, sicuti prædictum, Optima necnon caustica confici queunt ex solo lixivio cinerum quernorum, ad siccitatem evaporato, fusioni tandem exposito, sicuti prius procedendo.

## CAPUT V.

### *De Præparationibus Lapidum Iudaici & Lyncis.*

**C**VM non exigua suppetat remediorum sylva, novaque quotidie in usum ducantur ad deobstruendos Renes, Vreteres aliosque Lortij ductus, ideoque rarius lapis Iudaicus, uti & Lyncis præparantur; quorum prior, alias Lapis Syriacus nominatus, aut Phœnicicus, coloris est ex candido cinerei, substantiæ mollis & friabilis, colore & figura ad olivam accedens, sed aliquando oblongior, externa facie secundum longitudinem plurimis striis oblongis æquali proportione à se invicem distitis donatus: posterior autem, Belemnites etiam dictus, quod figura illius, quodammodo pyramidalis, sagittam utcumque referat, æqualiter mollis est, sed variegatus & absque striis, non inutile tamen futurum credidi si præparationem traderem, in exemplum ad cæteros lapides substantiæ propemodum similis trahendum.

In subtilissimum pulverem comminuatut alteruter horum lapidum, commixtusque æquali sulphuris contriti ponderi, candenti crucibulo ab intenso carbonum igne, paulatim & per vices immittatur, adeo ut comburatur & absumatut sulphur uniuscujusque projectionis, antequam



quam nova fiat, pergendo donec omnis mixtura projecta sit, ac sulphur universum consumptum; demum iterata facta subsidentia tritione, hacque cucurbita vitrea indita, pareatur mixtura ex duabus partibus aceti distillati; parte una spiritus falis optimi, parte item alia spiritus mellis optimi probe rectificati, hæc affundendo dicta subsidentia quosque menstruum quatuor circiter digitis superemineat, demum cucurbita Balneo Arenæ imposita, papyroque cooperta, subrus accendendus erit ignis lenissimus, à quo solummodo calor, tepidiori paulo intensior exciretur, per vices materias rudicula lignea commovendo, donec adpareat menstruum sufficienter imprægnatum substantia lapidis ab ipso dissoluti, postea decantato, seorsimque in lagenâ recondito supernatante liquore, ejus vices subeat æqualis menstrui quantitas subsidentia affundendi, eidem Balneo cucurbitam rursus imponendo, æqualique temporis spatio ac ante detinendo; dehinc commisti cum priore hujus liquoris, utriusque filtrati, humiditatis superflua absumptio erit procuranda ad pelliculam usque, si sal crystallinum expectatur, aut ad siccitatem, usque subsidentia si solummodo sal coagulatum in fundo cucurbita obrinere volueris.

Eximium censent hoc Sal ad comminuendos & dissolvendos calculos Renum & Vesicæ, magnæque esse subsidio in quavis urinæ difficultate: Exhiberi potest à granis sex ad duodecim usque & quindecim ex liquoribus diuretica vi pollentibus: Potest etiam in liquorem deduci aëri id exponendo, sicque in usum, sed auctiore dozi, adduci, proportionem habita majoris aut minoris humoris copia admista.

Hallucinaretur tamen qui existimaret quicquid in vasis fundo subsidet, id totum esse sal à lapidibus suppeditatum, menstruorum horum non habita ratione, Sal enim exigua admodum copia obtinent, ac verissimiliter sal elicium parti salinae menstruorum, concorporatae propriae horum lapidum substantia ab ipsis dissoluta imputandum est: Eadem enim hæc est ratio ac Corallorum & Margaritarum, aceto stillatitio dissolutorum, aliove quodam liquore corradendi vi prædico: Id quod ita se habere apertum fit si his dissolutionibus affusus fuerit liquor falis Tartari, aut cujuspiam alterius falis alkali; Conspicuum enim fiet ex conjunctione horum salium cum acidis, cum posteriora hæc deseruerint propriam lapidum substantiam ab ipsis dissolutam, hanc obviam futuram formam pulveris in fundum vasis præcipitatam, formam magisterij: sin quis demum exsiccare curaverit, ac ad trutinam expendi, is comperiet æquale fere esse pondus tum lapidis, priusquam à menstruo dissolutus fuerit, tum ejusdem dicto modo præparati.



## CAPUT VI.

*De Preparationibus Lapidis Hæmatitis.*

**L**apis Hæmatites pro Ferri materia haberi potest, cum non solum hujus facultatibus polleat, sed etiam id metallum ex illo lapide extrahere liceat, Hoc nomen gerit sive quia hæmorrhagias cohibere aptus natus est, sive quia colore ad sanguineum accedit, etsi intermixtas habeat strias fuscas, paulo quam in Cinnabari majores.

Pharmacis Galenicis satis est humectasse lapidem Hæmatitem aqua quapiam adstrictoria vi prædita, subtiliter super porphyrite contrivisse, ac in exiguos Trochiscos deduxisse, postea exsiccandos, At vero Chimica ulterius tendit, præparationibus enim insignioribus navat operam, Distillationi præsertim, Sublimationi, Tincturæ & Extractioni.

Distillari potest hic Lapis solus ex Retorta more solito, ac igne per gradus adhibito Extrahi spiritus acidus Martialis ad vitriolicum accedens, sed in ultiores usus pertrahi potest hac methodo.

Subtiliter in pulverem deducantur Lapidis Hæmatitis libræ duæ, additis libris duabus salis Ammoniaci commisceantur, una coniiciantur in capacem cucurbitam argillaceam luto circumlitam, quæ proprio capitello cooperta, commissurisque accurate luto obductis, imponenda est Furnaci proportionem respondentem; demum ad commodato probe loricato Recipiente rostro alembici, suscipienda distillatio igne patente, initio quidem lenissimo, demum gradatim adaucto ad insignem vehementiam, quo pacto in Recipiente obvius erit spiritus urinosus admodum penetrabilis, coloris flavescens, & ad latera cucurbitæ, supra materias, conspicui erunt flores, colore & odore croci præditi, unde Philosophorum Aromatis nomen adepti sunt.

Neque inutile & quod in cucurbita superstes est, ex hoc enim Retortæ, luto munitæ, immisso, supra furnum Reverberij clausum impostæ, mediis ordinariis extrahitur spiritus Martialis acidus, nonnullam portionem obtinens spiritus Salis marini, partem compositionis Salis Ammoniaci constituentis.

Tinctura quoque è floribus educitur, eapropter his matratio exceptis affunditur spiritus vini rectificatissimus donec quatuor digitis illis supernatet; demum accuratissime oclusum matrarium, macerationi per septem aut octo dies exponitur supra furnum pistoris, postea colo



colo transmittitur servaturque Tinctura, quæ in Extracti formam deduci potest, abstracta maxima parte spiritus vini ope Alembici vitrei, Balneo cinerum aut arenæ, igne admodum remisso.

Spiritus acidus Lapidis Hæmatitis, cum Martis non exiguam portionem obtineat; summa aperiendi ut præditus est; efficax ad referandas obstructions Iecoris & Lienis, ac omnium viscerum, admodum quoque diureticus: Spiritus volatilis vrinofus, cum salis Armoniaci præsertim sit soboles, diaphoretica vi pollet, massam sanguineam depurare aptus natus: Quamobrem vtilissime in usum ducitur adversus Febres malignas, Scorbutum & affectus Cerebri; Vtriusque dosis est a quinque aut sex ad quindecim aut viginti guttas ex liquoribus convenientibus: Sal volatile plurimi fit, ac ejusdem Tinctura & Extractum, ad obrundenda Acida morbosque inde oriundos sanandos: Exhibetur Tinctura ab octo aut decem, ad viginti & triginta guttas, Sal autem vel Extractum a semisrupulo ad semidrachmam, diluendo liquoribus idoneis, aut præscribendo adsumenda forma Boli.

## C A P V T V I I.

*De Preparationibus Crystalli.*

**D**E plerisque Crystalli præparationibus, ab Authoribus propositis, liceat dicere ipsos oleum & operam perdidisse, plurimo carbone, materiis & vasis incassum absumptis, nullo successu vtili expectando, sicuti id observare est in Sale, Magisterio, Liquore, Elixire, Essentia, aliisque nonnullis præparationibus ejusmodi, quas nonnulli circa Crystallum meditati sunt, quarum causa vehementiam ignis adhibuerunt, cuius efficaciam repetitis vicibus, & diu experiri voluerunt Crystallum, ad actualem illius calcinationem perficiendam igne nudo; In usum salia advocantes & spiritus corrosivos ad illius dissolutionem.

Id vero pro comperto habendum Salia, vel Liquorem exinde eductum, nihil aliud fere esse quam salia, aut spiritus corrosivos illi incorporatos, a quibus corrosa fuit & dissoluta propria Crystalli substantia: Cineres enim clavellati, sal Tartari, Nitrum, sal Marinum, vel Ammoniacum, Crystallo commixta quando in crucibulo igne aperto calcinatur, Acetum stillaticium, aut spiritus Nitri, a nonnullis usurpata ad calcinationem potentialem Crystalli, prægressa actuali illius calcinatione, cum extremam vim univærsæ ipsius substantiæ inferant,



Proculdubio qualitatibus illius insignem depravationem inducere, ipsa met vero reapse sint id quod vocant Sal Crystalli, ac materia præcipua liquoris eo nomine insigniti; substantia autem ipsa Crystalli omnino in eo dissoluta, lateat, secerni ab eo, cum libet, habilis, sive ad parandum ex ea magisterium, sive curiositatis tantum gratia explendæ.

Vnde facile quis colligat optimam Crystalli præparationem illam esse quæ minorem illius naturæ vim infert, minoremque qualitatibus alterationem inducit: Quapropter commodissime in usum duci potest præmissa super perphyrice trituratione, illam in Alkool fere deducendo: vel sæpius ignitione prægressa, totidemque vicibus in aquis diureticis, spiritu salis aculeato, aut vitrioli, facta extinctione: Eo enim pacto acquiritur liquor utilissime in usum adducendus si urinæ meatus referandi sint, insimul pulvis Crystalli extinctæ, usurpandus in debilitate ventriculi & intestinorum, vel ad obtundendum Acidorum aculeum & humorum acrimoniam.

Quoad Tincturam, quam quidam multo molimine elicere conati sunt, prævia diuturna per salia corrosiva calcinatione, tandem unacum ipsis fusioni exponendo, Color ille ruber potius adscribendus connubio, per diurnam calcinationem inducto, partium maxime volatilium dictorum salium cum spiritu vini sulphureo, quam ipsi Crystalli substantiæ in illis salibus dissolutæ; quandoquidem idem contingit in sale Tartari cum spiritu vini sulphureo digestoque absque ulla Crystalli commixtione.

Sed præter istas animadversiones, non levis imminet metus ne istiusmodi Chymicæ præparationes, ex Crystallo calcinationem experto perficiendæ, materias in meatibus urinariis obvias, potius ad petrificationem inducant quam ut easdem dissolvant, aut per vias solitas expellant, sicuti illi intendunt: Vix enim quis sibi in animum inducat fermentum petrificum dictarum calcium naturam exuere per præparationes ipsi inductas, ac effectus producere posse omnino contrarios illis ad quos nostro iudicio videtur omnino determinari.

Nihil hic me movet ut singulares Silicum præparationes producam, nam præterquam quod hic eadem methodus valet quæ in præparationibus Crystalli, non minus periculi metuendum ab effectibus illorum fermenti lapidifici quam ab ipsa Crystallo.



## C A P U T VIII.

*De Præparationibus Corallij.*

**D**idici à Præfectis Piscationi Caralli in oris Africae, juxta Galliae propugnaculum, in mari mediterraneo, Corallium reperiri in maris fundo non minus durum ac rubrum quam cum eratum est: Hæc tamen circumstantia exigui est momenti, quandoquidem neque naturæ neque qualitatibus Corallij ideo quicquam decedit, cujus durities, eadem fere quæ lapidum, in causa est ut in mineralium censum repositum fuerit, etiamsi in ipso maris fundo vegetationem obtineat sicuti Plantæ in terra, quarum figuram refert.

Nemo porro Corallio rubro præminentiam supra cætera Corallia detrakit aut in dubium revocat, ut vero subjectum est operationum præcipuarum quibus incumbunt artifices, quarum ratione idem fere sentio quod circa Crystalli præparationes, illas scilicet præsertim amplectendas esse quæ simplicissimæ sunt minusque subjecti destructivæ.

Pharmacia vulgaris consultissime Corallium in pulverem fere impalpabilem conterit, super porphyrite lævigando sicuti cæteros lapides; Satius vero fuerit si in usum adducta fuerit machina, nobis à Domino *Joële Langelotio*, meritissimo Medico Domini Ducis Holsatiæ communicata, cujus figuram exprimi curavi in hac Pharmacopœa; cum enim Corallij substantia nihil contineat quod non explere possit scopos ob quos in medicina usurpatur, satis est illius referasse corpus omnesque partes, illasque in atomos quasi diduxisse, id quod possibile videtur ope prædictæ istius novæ machinæ, cujus effectus eo magis probandus videtur quod magnus sic progressus factus fuerit ad omnes sequuturas præparationes, sive probe institutas circa id mixtum, sive secus.

Corallij actualis calcinatio, illiusque repetitæ extinctiones, destructionis potius nomine nuncupandæ sunt quam legitimarum præparationum, sicuti id à me adnotatum capite de Crystallo.

Solutio Corallorum in spiritibus acidis facta majori aut minori corrodingi vi præditis, ad salis illius eductionem, aut magisterij, non multo commodior est, quandoquidè Calcinatio est potentialis, neque exinde legitimum sal Coralli expectandum venit, sed tantum sal menstrui incorporatum propriæ Coralli substantiæ: cum porro magisterium quod ex istis dissolutionibus præcipitatione facta expectandum est, nihil aliud sit quam Corallij pars maxime terrestris, proculdubio inferius est Corallo



subtilissima contrito, quod nullum vexamen expertum, & cujus substantiæ nihil decessit.

Numerosas Tincturæ Coralli præparaciones quod attinet, quibus plurimi turgent libri, etiamsi forte occurrant nonnullæ verisimilitudinem quandam præ se ferentes, & efficaciam, pro legitimis tamen omnino habendæ non sunt, si præsertim Corallium violentiam ignis expertum fuerit, vel salium corrosivam vim, aut spirituum: nam præterquam quod impossibile est ut Corallium colorem suum transfundat, quo ab ignis vel corrodentium vehementia exutum est, color ruber, in menstruis usitatis conspicuus, perpendendus est solum tanquam diuturnæ digestionis effectus, id quoque verisimile est non levis esse negotij corallij rubrum colorem secernere, ac in aliud subjectum reapse transferre comite virtute.

Corallij trituratio ope machinæ Domini Langelotij omnino potior est quibusvis calcinationibus, permanentibus enim Corallij natura & qualitatibus, neququam alteratis, illius dissolutionem faciliorem efficit, imo ut citius succedat menstruis lenibus adhibitis, speciatim spiritibus Mellis & Terebinthinæ, succis Oxyacanthæ, Limonum & similibus, spiritibus plurimorum lignorum, salis & vitrioli, edulcoratis & commistis spiritui vini, postremo autem hoc aculeato floribus salis Ammoniaci aut cujuscumque alterius salis; Imo postea multo facilius ex Retorta licet elicere speciosam Coralli Tincturam quibusdam usitatam, remiscendo partes æquales sacchari cantij.

Cum porro conspicuum sit Menstrua, hætenus usitata educendæ gratia Tincturæ Corallij, ejusdem fuisse dissolventia, quandoquidem facili negotio fecernitur Corallum dissolutum, atque præcipitatur illi affundendo liquorem quempiam salinum, Neque asserere liceat menstrua revera colorem ex illo extraxisse, quippe cum dictam colorem illis conciliare liceat eadem adhibita digestionem erga Corallium rubrum, oculos cancerorum, plurimasque alias similes substantias nequaquam rubras, nec porro probabiliter adscribi queat ruber color menstruorum alteri causæ quam diuturnæ digestionem, vix aliud quid sperandum ex omnibus his Tincturis quam quod ipsa menstrua, aut Coralli substantia, in ipsis dissoluta, ex se depromere possunt.

Sed & ex his arguere liceat Corallum crudum in alcohol deductum, ex liquore quopiam idoneo alióve modo exhibitum, cunctis istis Tincturis præferendum esse; Ex quarum numero ea cæteris præferenda est in qua Corallum minori adhibita vi dissolutum est, cujus menstruum minori vi corrodendi facultate præditum, ideoque securius ore adsumi potest.



Cum exiguæ admodum efficaciz esse cunctas has Tincturas existimem, eapropter ut in molem excresecat hoc caput non patior, allatis illarum descriptionibus, quarum apud *Schroderum* non exiguus occurrit numerus, apud *Gruelingium*, plurimosque alios authores, satis mihi fuerit illam adduxisse quam nuperrime Dominus *Langelotius* in publicum emisit, eò inductus tum quod optime de eruditissimo illo Viro existimem, tum quod in usum lenissimum menstruum adducens, legitimæ Tincturæ dotes in præparatione conspicuæ esse debeant; Operatus præterea expectandus sit successus a sinceræ fidei Viro.

Afferit prædictus Author, se cum aliquot retro annis effudisset fragmentis non tritis Coralli rubri oleum quoddam stillatitium omnium mitissimum, ( ipso iudice ) inter ea quæ e vegetabilibus extrahuntur, periculum facturum num forte aliquam Tincturam elicere posset, diu post se animadvertisse neque oleo neque Corallo ullam immutationem accidisse, spe autem omni abjecta vas continens neglexisse: præterita autem hyeme, dum aliis operationibus intentus esset, in Fornace digestionis susceptis, in mentem sibi venisse illi imponendi vas Corallia continens; exacto porro circiter mense, dum pro more commoveret materias,prehendisse se Corallorum rubrum colorem paulo intensiorem evasisse, & aliquantisper emollita fuisse, olei colore neutiquam alterato; producta autem digestionem, eodem ignis gradu, paucis post diebus se animadvertisse Corallia resoluta esse, & in substantiam mucilaginosam rubicundissimam commutata, olei interim supernatantis colore superstitite; Addit idem nullam se illi immutationem inducere potuisse, neque materiæ isti mucilaginosæ concorporare, quameumque agitationem vel digestionem postmodum adhibuerit, oleum enim semper eminuisset, materias autem mucilaginosas in imum detrusas fuisse: Afferit præterea, cum in oleo eundem pene odorem saporemque qui ante inerantprehendisset, alteroque vasi id infudisset, affudisse se spiritum vini tartarizatum materiæ mucilaginosæ; paucissimo autem tempore cum digestionem permisisset, materiam hanc in Tincturam rubicundissimam abiisse, quam diutinæ digestionis opus esse arbitratur, insigniumque effectuum à volatilibus edi solitorum cum fixata fuerint.

Existimant nonnulli ab Authore prædicto in usum adductum fuisse oleum stillatitium Anisi, corticum Citri, aut baccarum suniperi, emolliendorum gratia Corallorum, & ut idonea fiant Tincturæ effundendæ.

Præparationem hanc experimento proprio comprobare non licuit, at propediem operam me illi navaturum spero: censeo præterea si



ſucceſſus respondeat præceptis Domini *Langelotij*, id quod admodum verifimile eſt, Tincturam hanc Coralli pro omnium maxime legitima & optima habendam, neque meliorem hactenus excogitatam, potiori- que jure illi adſcribendam maximam partem virium, cæteris Tincturis adſignatarum, tam ad roborandum Cor & Iecur, referendas iſtius ob- ſtructiones, cunctoſque huius affectus curandos, quam depurandam & innovandam maſſam ſanguineam, auxiliúmque non leve procurandum in morbis ab ejus alteratione pendentibus: Neque minoris utilitatis eſt in ventriculi debilitate & inteſtinorum, vnde origo vomitus, diar- rhœæ, dyſenterix vel lienturix, ac ad cunctas hæmorrhagias in utro- que ſexu.

## C A P U T I X.

*De Præparationibus Margaritarum.*

**O**Rigo Margaritarum intra conchylia, quibuſdam piſcibus domici- lium præbentia, Oſtreis non abſimilia, ut Animalibus accenſerentur innuere quodammodo videretur niſi candor, nitor, gravitas & denſitas partium, gemmarum etiam pretioſiſſimarum in cenſu reponerent: Eaſdem ob qualitates nulli non medici ab omni ævo optime de illis exiſtimavere, quorum ex ſententia facultatibus quibuſvis lapidi- bus ſuperiores eſſe debuerunt, aut ſaltem æqualitate certare: Idem cum ſenſerint plurimi Chymici, ut varias excogitarent præparationes impulſi fuere, ſed eas non minus erroneas, imo periculi magis plenas illis quas circa Corallia meditati ſunt, cum ſubjectum illarum ſit ma- teria non vilis pretij, ſubſtantix non modo purioris, majoremque perfe- ctionem quam Corallia adeptæ, ſed & multo magis idoneæ exci- piendis probis aut improbis alterationibus & impreſſionibus.

Pharmacia vulgaris Margaritas ſuper Porphyrite terit, aqua Roſacea irrorando vel aqua quapiam cordiali, ſicuti & Corallia alioſque lapides: Iſtiusmodi præparatio, etſi ſimpliciſſima, potior tamen eſt plurimis à Chymicis excogitatis, dummodo Margaritæ integræ ſuper eodem Por- phyrice cõterantur, contritio vero eo uſque producatuſ donec Mar- garitæ ad ſummum lavorem perducantur; Id quod multo facilius per- agitur ope machinæ Domini *Langelotij*, à me modo memoratæ: cum enim Margaritæ aliquid de natura Animalium obtineant, ſubſtantiam- que nonnihil volatilem, diſſolutionem omnimodam conſequuntur à calore ventriculi, aut, ſi mavis, ab efficacia Archei, ſi præſertim inte- nuiffimum



nuissimum pollinem imminutæ fuerint, adeo ut citissima facta digestionem, id quod maxime essentiale possident, ad cor celerrime, partefque auxiliij egenas deferatur.

Ut vero illis satisfiat qui existimant Margaritas vim facilius diffundere, si dissolutæ & deductæ fuerint in liquorem, dissolvantur illæ succo limonum per digestionem probe defæcato; Exitus facilis erit si uncia una Margaritarum, optime super porphyrite lævigatarum, matratio, aut cucurbita vitrea excepta fuerit, superaffundendo succum limonum prædicto modo depuratum donec tribus circiter digitis emineat: vas in Balneo arenæ temperato collocatur, detineturque per triduum integrum, materias per vices commovendo, demum decantatur liquor, per chartam emporeticam traicitur, ac limpidus lagenæ immittitur, æquale pondus spiritus Roris illi admiscendo, una ad usus ad servando.

Adsumitur hic liquor ex aquis cordialibus ab octo aut decem guttis ad viginti usque aut triginta: Novum succum depuratum affundere licet Margaritis in vase residuis, prægressaque maceratione, eidem omnino methodo ac priori insistendum, imo eadém operationes repeti poterunt donec Margaritæ ad omnimodam resolutionem fere perductæ sint.

Sal & Magisteria Perlarum quid attinet, apud quosdam authores celebria, illa non pluris quam corallorum facienda, quandoquidem prius aliter accipiendum non est quam pro sale aceti, concorporatum Margaritarum substantiæ ab illo dissolutæ; ac tanquam composito qualitatibus admodum adverso illis quæ in Margaritis requiruntur: Posterius autem censendum est pars Margaritarum crassior purissima destituta, quam sibi dissolventia aut præcipitantia adsumpsere.

Oleum, aut liquor Perlarum, elicitus per deliquium illarum salis, eisdem de causis non majoris est momenti, uti neque essentiæ, Tincturæ, Arcana, Flores aut Spiritus, ex iis deducenda ope variorum menstruorum corrodentium, destructionum potius quam præparationum nomine donandorum.

Margaritæ subtiliter pulverisatæ admodum commendantur ad cor roborandum & recreandum, ac partes principes; ad Venena arcenda, pestem, febresque malignas, ac restitutionem languentium & debilium.

Exhibentur ex Aquis cardiacis aut jusculo, à semisrupulo ad semidrachmam, commiscentur etiam Tabellis, Opiatis, Portionibus aliisque remediis: Vires & usus Perlarum, in succo limonum dissolutarum, ac in spiritu Roris, admodum conveniunt.

Data occasione cogitationes meas exseram circa præparationes



Chimicas Smaragdorum, Hyacinthorum aliarumque Gemmarum; videlicet, cum illarum substantia admodum dura sit, si præsertim exquisitæ sint & purissimæ; dissolvi autem aliter nequeant quam ope corrodentium generosissimorum, satius esse ab illis abstinere, quamdoquidem fieri vix potest adhibitis mediis istis violentis, quin harum Gemmarum utiles facultates in nihilum abeant, ideoque, me iudice, multo satius est illas super porphyrite conterere & lævigare eadem ratione qua uniones, donec ad subtilissimum lævorem deductæ sint; aut, quod melius, uti machina versatili Domini *Langelotij*, ea ratione præparatas ad quoslibet usus adducendo, hacque potissimum de causa, quod si fides pluribus celeberrimis Authoribus adhibendæ, Gemmæ vires suas, etiam integræ, citra præparationem transfundere possunt anulo gestaræ, collo appensæ aut brachiis adalligatæ, femoribus, tibiis, aut variis corporis partibus admotæ, sicuti & plurimi lapides minus pretiosi, cujusmodi sunt *Ærites*, *Nephriticus* & multi alij.

## C A P U T X.

### *De Præparationibus Talcis.*

**T**Alcum, cognomento Venerum, colore candicans, pellucidum & argenteum cum in particulas dividitur, id quod facile est, lamellas videlicet tenuissimas; sed colore accedens ad viride maris ante, divisionem ac quamdiu lapidiforme adhuc est, illud est, sive genuinum siue spurium fuerit, quod majori in pretio habetur: subiectum operationum plurimis, præsertim ad olei extractionem, inter Cosmetica præstantissimi semper habiti, in substantia illius delitescere existimati, ratione lævoris & apparentis cujusdam ad manus contrectantium unctuositatis, etiamsi nequaquam digitos inquinet.

Missam facio quorundam opinionem Talcum, rubrum aut flavum, in se continere Auri mineram, atque ex illo posse elici menstrua idonea transmutationi metallorum in Aurum, aut Argentum, ac fixationi & Tincturæ Mercurij perficiendæ.

Prætermisso quoque nonnullorum figmentum, statuentium in Talco latere medicinam universalem, omnes quoscunque affectus deploratos superare aptam natam, satis mihi fuerit dixisse præparationem veri Olei Talcis non minus arduam esse ac transmutationem metallorum imperfectorum in Aurum vel Argentum, quam plurimi ostentant, & adhuc gloriantur quasi adepti, etiamsi talentum quod possidere



dere se jactant, nequaquam è miseria eripiat, ad exitum usque vitæ illorum comite.

Calcinatio Talci Veneti ex præparationibus omnibus maxime in disquisitionem venit, cujus causa nullum non ignis vexamen adductum fuit, imo & maxime diuturni & violentissimi, vitriariorum præsertim, illi exponendo Talcum modo solitarium, modo remixtum Argento, Cupro, Oricaltho, Sulphuri, Calci, Tartaro, Salibus, aliisve materiis corrodendi vi præditis: Etiam si vero Anglia suppeditet Talcum quod seorsim calcinationem patitur, ac breviori quam horæ spatio in calcem albissimam admodum friabilem abit; imo in Gallia spurium Talcum non unius generis occurrat quod vehementiam ignis eludat, non idem tamen de Talco Veneto successus expectandus, citissimam operationem respuens, etiam si per octavam horæ partem ignem flammæ expertum, ac pene ad rubedinem incandescenti mortario grandi ferreo commissum, pistilli altero extremo eodem modo excalefacto, exiguo temporis spatio in sat subtilem pulverem conteri potest, illico partem illius per incerniculum sericeum transmittendo, eoque modo adquiratur pulvis Talci albus, subtilis, Pomaceis unguentis commisceri idoneus, aliisve cosmeticis.

Talcum ea ratione subtile redditum exponi potest cochleatis limacibus, inditum vasi fictili vitreato & cooperiendo, inibi derelinquendo donec universum absorpserint, demum probe cum testis contiti ac cucurbitæ vitreæ inditi, imposito Alembico, ex Diplomate educenda aqua, dealbationi aptissima, illustrandoque matronarum vulvæ, ac nitori conciliando.

Il qui Salia Talco remiscet, juvandæ gratia calcinationis, cellæ vinariæ & aëri humido committere solent, prægressa calcinatione, vel sub divo exponere, obtinendi ergo liquoris, quem nonnulli nomine Olei Talci donant, sed inepte, quandoquidem ejusmodi liquor nihil aliud est quam sal in humido, quod se immiscuit, resolutum, Talci particulis imprægnatum, ab illo corrosis & dissolutis.

Crollius, nonnullique alij Neoterici, qui ex illo exscribere, perfectionem operis quæsituri, præparari præcipiunt spiritum Aceti, ac dividi Talcum Venetum in tenuissimas lamellas, has matratio immitti, optime humefieri isto Aceti spiritu, vase vero Soli lucido exposito, vel fimi calori, quotidie tantillum recentis spiritus Aceti affundi, pergendo donec materiæ in mucilaginem tandem convertantur, ac propemodum oliagineæ fiunt, adeo ut ex hoc indicio Talci dissolutio manifesta fiat: Jubent postmodum cuncta Retorta luto obducta excipi, hanc furno Reverberij imponi, ad commodatoque capaci reci-



piente, igne per gradus adhibito, primo extrahi Aceti spiritum, dehinc oleum album, cuius effectum, à de albatione faciei, vel alterius cujuspiam corporis partis, etiam ab unica illitione, per mensem integrum durabilem esse asserunt.

Cum verisimilitudine & spe successus careat istiusmodi operatio, ad experimentum transferre noluit: qua de causa illius vadem me non præsto, neque legitimum oleum Talcis cuiquam spondeo, uti nec etiamnum jactabo me intra semihoræ spatium calcinatione subigere posse legitimum Talcum Venetum, igne non vehemente, exiguo artificio, idque spongiforme reddere, eumque in statum deducere ut digitis affricatum in Alkoholabeat, sicuti asserit Dominus *Morhossus* epistola ad Dominum *Langelotium* scripta, etiamsi possibilitati refragari nolim, quandoquidem spes est celeberrimum illum Virum præparationem adeo curiosam in publicum aliquando emissurum.

## C A P U T X I .

### *De Præparationibus Salis Communis.*

**S**AL genericè sumptum statuendum est quasi basis, anima, subsistentiâ Sac principium secretum vitæ & conservacionis omnium mixtorum, nullum quippe horum proprio Sale non gaudet, majori aut minori copia, quo si exutum fuerit, præcipuis suis viribus orbem fit: Sal autem Marinum tanquam omnium maxime copiosum in Natura perpendendum est, ac sicuti fundamentum & semen cæterorum omnium Salium; Cum enim mare absque omni dubio Terram multum excedat, eo modo constitutum ut non solum maximam illius partem ambiat, limites præfigens, sed & plurimis in locis illam transmeet, per canales subterraneos oberrans, ex quibus in fontes erumpit, aut stagna salilagine imbuta, cujus etiamnum quædam portio sæpe ab igne centrali coagulatur in Sal Gemmeum, obvium in imis cavernis quorundam montium, sicuti in nonnullis Poloniæ observare est, aliisque locis: Vapores autem è mari elati particulas non mediocres illius salis volatilis secum abstrahunt, demum in vapores terram irrigantes resolvendi.

His suppositis, nemini dubium sit terram frui hoc beneficio, commercio videlicet cum aquis maritimis, ac proinde Sal marinum non modo esse principium omnium Salium coagulatorum aut dissolutorum in terra deliquescentium, sed etiam in Aère ejusque meteoris; sicuti & omnium quæ compositionis Vegetabilium, Animalium & Mineralium partem constituunt.

Etiam si



Etiamsi enim feminum diversitas, variæque substantiarum creaturarum determinatio, sicuti figuræ & situs partium, materierumque illis commixtarum magnas variis Salibus inducant alterationes, cuncta tamen suam originem legitimam, & principium in Sale Marino agnoscere tenentur; Vitriolum enim, Nitrum, Alumen, & Sal Ammoniacum particulas quasdam Salis Marini tanquam basin obtinent, diversitatem autem solum nanciscuntur à corporibus extraneis sibi obviis & dissolutis, aut artificio conjunctis.

Sal Gemmeum quippe pro genuino Sale Marino habendum, maxima humiditatis parte orbatò, vi caloris subterranei aut Solis coagulato: Id quod è fontibus salugineis educitur, ejusdem etiam est fere indolis cum Marino, derivatum scilicet ex mari mediantibus meatibus subterraneis; Discriminis enim maxima ratio pendet à modo humidum segregandi, quandoquidem adhibetur ignis absumentis causa in vapores aquæ dulcis fontium, In regionibus autem calidioribus beneficio caloris solis humiditas maris resolvitur; hoc vero sal cæteris præfertur, quod minorem partium suarum alterationem subeat quam quod ignem expertum est.

Sal Marinum multo crebrius ad alimenta transfertur quam ad medicamenta; prima autem quæ illi debetur præparatio est purificatio, Eapropter hoc in aqua fontana vel fluviali dissoluto, transmissa autem per chartam emporericam dissolutione, humiditatis evaporatio suscipitur illo ollæ vel ahenò ferreo indito, donec Sal album & crystallinum in fundo vasis subsideat: Ejusmodi perpurgatio non solum utilis est secretionem partium terrestrium Salis, sed & ad temperandam illius acrimoniam, aptiusque ad quosvis usus efficiendum, præsertim alimentorum condituram, si nempe dissolutio aliquando reiterata fuerit, filtratio & coagulatio.

At vero quandoquidem etiamsi una vel altera humiditatis evaporatio prægressa sit, plurimæ adhuc supersunt aqueæ particule intra illius substantiam coercitæ, stricta autem Acidi cum Alkali conjunctio, partium illius constrictio & compages, ac figura cubica granorum salis, tam arctè particulas illas humidas compectuntur, ut cum grana illa igni exposita fuerint, exinde exilire nequeant quin maxime vis illorum vinculis inferatur, adeo ut in fragmenta divisæ dissoliant partes salis, plurimis autem [ejusmodi fragminibus simul junctis] imminet metus effracturæ vasis cui sal distillandum immititur, ideo opus est Calcinationis quadam specie, aut exsiccationis, quam Decrepitationem vocant, ratione crepitationis accidentis in granis salis igni impositis: Cum vero crepitus major aut minor sit pro magnitudine granorum Salis, postquam exsiccata



fuerint salis grana in furno, illi immiffa pane educto, conterantur, excipianturque vafe fictili quod ignis vehementiam fufferre valeat, hocque in fornace collocato, accenfo gne carbonum luculento, per vices verfetur Sal ope fpathulæ ferreæ oblongioris, pergendo donec Sal non amplius crepitet, indicio certiffimo diffipationis particularum aquerum commixtarum & confufarum partibus Salis effentialibus, Id quod etiam citius peragetur fi optime contrita falis grana in particulas adeo exiguas diducta fuerint, ut aquæ extraneæ particulæ facilem exitum nancifcantur.

Fufionem Salis quod attinet, plus facilitatis quam utilitatis obtinet, fi qui tamen illam perficere voluerit, facili negotio id confequuturi funt Sal marinum contritum crucibulo immittendo ac igni fufionis committendo, Id quod nequaquam impedit quominus quotiefcumque libuerit in aqua diffolvi poffit, prævia & perfecta hac operatione.

## C A P V T XII.

### *De Diffillatione Salis Marini.*

**I**Nfignis difpofitio in Sale Marino ad fufionem cum obferuetur; im-  
poffibile autem fit Retortas, vitreas, aut argillaceas diu hoc Sal fufum continere quin difrumpantur; Intima porro cum adfit conjunctio fpirituum cum cæteris fubftantiis quamdiu Sal in fufione verfatur, Ideoque neceffario ad alias materias confugiendum, quarum commixtio efficit ut dividantur partes Salis, prohibitæque illius fufione, fpiritus fuppeditare cogatur mediis ufutatis.

Non inficior equidem fpiritus acidum è Sale citra additionem elici poffe, fi præmiffa & peracta decrepitatione, diutius Sale Marino igni commiffio, postmodum fub divo plurimorum dierum decurfu repositum fuerit; Pars enim falis maxime fixa cum in igne Acidi fui plurimam partem depofuerit, illius autem recuperandi defiderio cum teneatur, Acidum aëri inexiftens facillime concipit, quod huic fali fe adjungens, ideo ut in unum corpus coëant, quantitas hinc illius adaugetur, Cum porro Sal Acidum Aëris propria indole magis volatile fit acido Salis Marini, ab eoque facile abfcedat, ut neceffe non fit intenfum adhibere ignem, haud arduum eft nullo additamento id diffillare: At fpiritus exinde eductus cum nihil aliud fere fit quam Acidum illud aëris, ideo non dignandum nomine fpiritus Salis Marini; neque



neque istiusmodi præparatio uti nec quoddam ponderis augmentum in hoc Sale tanquam mysterium decantandum, quandoquidem eadem concorporatio idémque incrementum in Alumine contingit, in Nitro & Vitriolo, ab adjunctione recentis Acidi postquam spiritus exstillatus fuit; Ipsùm porro Plumbum, Antimonium, plurimáque alia corpora compactiora Sale Marino, ope aëris increscunt, illorum poros subeuntis, aliisque materiis ab igne disiectis succedentis.

Accipiantur Salis Marini probe exsiccati & pulverisati libræ duæ; Terræ figulinæ libræ octo, aut terræ Blasensis per pondus, eodem modo pulverisatarum: Alterutra autem distarum terrarum cum libris duabus salis probe commixta, cunctis Retortæ argillacæ immixtis, luto circumlitæ, ejus capacitatis ut tertia circiter pars vacet; Imposita Retortæ furno Reverberij clauso, obturatóque spiraculo operculi fornicati, accedendus erit in foro exiguus ignis carbonum, à quo solummodo paulatim incallescant Fornax & Retortæ, qui postquam circiter per horam eo in statu fuerit, insensibiliter erit augendus, ac demum per gradus intensior reddendus, imo sensim spiraculum operculi fornicati referandum, qua parte rostrum Retortæ spectat; cum vero phlegma stillare incipiet, eodem in tenore ignis fovendus donec exsurgere conspiciantur quidam vapores albi ex rostro Retortæ, quo tempore illi adplicandum grande recipiens, commissurisque accurate luto obductis, paulatim adhuc augendus ignis, spiraculo paulo amplius ad proportionem diducto, ignem gradatim augendo donec ad ultimam vehementiam perductus fuerit, illumque urgendo quousque nulli amplius vapores è Retortæ prodeant, Recipiens autem diaphanum evadat; Demum, sponte refrigeratis vasis, Recipientéque decrustato, obvius erit spiritus flavus, acidus, odoris non ingrati, comite pauco phlegmate, In collo autem receptaculi, paucillum sal volatile illi adfixum.

Licet etiam, dimissa Salis Marini exsiccatione, id in aqua dissolvere, salfugine autem inde producta prædictas Terras imbuere, aut Bolum pulverisatas, demum massam solidiusculam ex his confatam in globulos compingere, ejus magnitudinis qui collum Retortæ subire valeant; qui rite ad solem exsiccati, aut sub divo expositi, in Retortam immittendi, adeo ut tertia illius pars vacua supersit; postea eadem methodo superius indicata eliciendus erit spiritus prædicto non abfimilis.

Odor spiritus Salis, quo aër imprægnatus est in locis Laterum coctioni destinatis, aperte ostendit argillam, ex qua lateres conficiuntur, Sale non destitutam esse, atque proinde illam quæ commiscetur spiritui Salis Marini, si quando ex illo eliciendus est spiritus, proculdubio



augmentum illi inducere sui adjunctione : cum vero Sal argillæ inhærens natura maxime accedat ad Sal Marinum, citra hæsitantiam in usum potest adduci.

Nonnulli cohobant spiritum hunc affusione facta parti in Retorta superstiti, ex qua massam conficiunt, ex hac exsiccata globulos, iterumque distillant, imo cohobationem sæpenumero reiterant, easdemque operationes, quo melius ex illius corpore pars Salis spirituosa divellatur : Cum vero spiritus hic plerumque plurimum phlegma obtineat, infundi poterit exiguæ cucurbitæ vitreæ, qua Baneo Mariæ commissa, & proprio Alembico imposito, ad commodato exiguo Receptaculo, instituenta erit Rectificatio igne moderato : Hoc enim pacto cum phlegma prius evēhatur, in fundo subsidebit spiritus Acidus, qui majori aut minori penetrabilitate præditus erit prout rectificationis ope phlegmatis plus aut minus recesserit : Neque inutile erit istud phlegma, quia etiam si Balnei temperatus fuerit calor, sursum tamen secum id abstraxit nonnullas particulas acidas volatiles Salis, quapropter non solum vi diuretica præditum est, sed etiam efficax temperando ardori febrium biliosarum : potest & ulterius concentrari hic spiritus si Baneo Arenæ rectificatus fuerit, cum ad auri dissolutionem destinatum est.

Præparatur etiam spiritus Salis commiscendo Aluminis vsti pulverisati libras duas, Salis optime usi itidem pulverisati libras tres, simul cuncta ex Retorta distillando, more solito ; sed hoc pacto elicitur spiritus utriusque particeps, ad plurimas nihilominus præcipitationes utilis, eximia vi diuretica & diuretica præditus.

Possunt etiam commisceri partes æquales Salis Marini & Salis Nitri, optime exsiccatorum & pulverisatorum, addito quadruplo pondere Boli, aut terræ figulinæ pulveratarum, ex quibus cucurbitæ immixtis, in furno Reverberij clauso, extrahetur spiritus ex utroque Sale constans, utilis non modo ad Hydropicorum curationem, ac carniū ulcerum fungosarum absorptionem, sed etiam Calcinationem immersivam Auri & Argenti.

Nonnulli Authores existimarunt se præparatos spiritum Salis vi Corallorum imprægnatum, commiscendo Sali Corallia super porphyrite lævigata, dimissa Terra figulina, vel aliis materiis usitatis, cum instituenta est distillatio : Sed cum pars Acida Salis agat in Corallia magis intime quam in Terras, accidit ut illa corrodat, corrosione autem facta cum illorum partibus concorporetur, in Retorta autem remanens phlegma solum inutile succedat : quo fit ut satius sit seorsim admittere spiritum Salis, seorsim Corallia, prout opus fuerit, quam simul nullo fructu eadem conjunxisse



## C A P U T XIII.

*De Edulcoratione Spiritus Salis.*

**S**piritus Salis aciditas cum nonnullis noxia esse queat, iis præsertim qui affectibus ab Acidis inductis laborant, eapropter Artifices ad varia Salia fixa vel volatilia confugere necesse habuerunt, quæ huic Spiritui commiscuere obtundendorum gratia illius aculeorum temperandorumque affectum, Nam præterquam quod remiscetur Sali Absinthij, plurimisque aliis plantarum salibus, imo salibus Animalium volatilibus ad horum fixationem, interim dum ipsummet fixum redditur, illis se incorporando: Remiscetur etiam æqualibus partibus spiritus Vini, cujus Sal volatile & inflammabile, intime se adjungens partibus acidis hujus Spiritus, ex duobus unum constituit, odoris grati & suavis, saporis multo minus acidi, cujus usus & vires longe melius affectibus conveniunt, & plurimorum temperamento quadrant quam Spiritus Salis usitatus.

Eapropter etiam inditum est illi nomen Spiritus Salis dulcis, aut dulcificati; ad cujus præparationem immittuntur Cucurbitæ vitreæ partes æquales Spiritus Salis & spiritus Vini, adeo ut pars tertia Cucurbitæ vacet; qua imposita Baneo Arenæ, & cooperta suo capitello accurate lutato, & ad commodato exiguo Recipiente, etiam luto obducto, instituitur distillatio igne moderato, cui insistendum quoad totum fere exstillarit, demum sponte refrigeratis vas, effusoque in Cucurbitam liquore distillato, iterum is distillationi subiicitur in eodem Balneo, easdem operationes trina vice repetendo; quo pacto à perfecta horum spirituum conjunctione & unitate expectandi optati effectus, iique efficacissimi.

Prætermisso spiritu Vini vulgari ad dulcorem Sali conciliandum, usurpari posset Tinctura Tartari, Spiritus Theriacalis, Spiritus ardens Rosamæ, Juniperinus, vel quispiam alius spiritus ex aromatibus constans, aliisve substantiis affinis qualitatibus præditis iis quas conjungere animus est spiritus Salis: Imo dupla vel tripla portio alterutrius horum spirituum ad spiritum salis addi posset, quo melius hic temperetur, quoad cætera eidem methodo insistendo.

Cuncti Auctores admodum probant Spiritum Salis ad referandos urinæ ductus, incidendas & detergendas materias viscosas & tartareas, aperiendas obstructions Iecoris, Lienis omniumque viscerum: Eapropter etiam felicissime in usum adducitur ad Hydropem, atque affectus



ab infarctu vasorum oriundos ; Quamobrem præferendus est spiritus dulcis non edulcorato , utpote ad omnia utilior : Valet etiam uterque ad sitim extinguendam , exhibendo à quinque aut sex ad duodecim aut quindecim guttas ex liquore quopiam idoneo ; vel ea quantitas immittitur quæ gratum acorem potui usitato conciliare valeat , vel aliis liquoribus quibus infunditur : Præstantissimus est hic spiritus ad dissolvendas manuum & pedum congelationes antequam in ulcera abierint , leniter partem affectam penna intincta illinendo : perurgandis & dealbandis Dentibus admodum conducit , Ossium cariei delendæ , carnibusque vulnerum & ulcerum fungosis absumendis.

Prior spiritus , optime rectificatus usurpatur ad dissolutionem Auri ; Nec inutilis esse potest præcipitandis mineralibus ab aqua forti dissolutis , aut Spiritu Nitri.

At vero hujusmodi Præcipitatio adscribenda non est , sicuti quidam , contendunt neque gravitati , neque viribus , uti neque cuiquam concussioni aut commotioni quam inferat Aquæ forti , vel materiis dissolutis , at vero adjunctioni Acidi huic spiritui inexistentis , spiritui volatili & sulphureo Aquæ fortis , aut spiritus Nitri , ea efficacia postremum hunc impellentis ut dimittere cogatur partem mineralis à se dissoluti.

Vt vero manifestum fiat istam præcipitationem , uti neque quampiam aliam , nec gravitati adscribendam esse , nec potentia , nec concussioni aut commotioni ab hoc spiritu , vel quopiam alio præcipitatorio Dissolventi inductæ , aut materiæ dissolutæ ; deducendam vero esse à reciproca conjunctione Alkalium cum Acidis , aut spirituum Acidorum cum Volatilibus sulphureis , aut infirmo reddito dissolvente ab aquæ expia , vel additione cujusdam novæ materiæ quam dissolvens iterum penetrare valeat , Hoc sciendum Spiritum Salis , cum non potuerit combinari spiritui volatili sulphureo Aquæ fortis , ideo solummodo præcipitare potuisse illam mineralis portionem quæ ab eodem spiritu dissoluta fuerat , quo fiat ut ipsius præcipitatio neque cita sit neque copiosa , eo quod pars Acida Aquæ fortis cohibeat adhuc partem mineralis à se dissolutam , quia scilicet pars acida spiritus Salis affinitate nimia illi conjuncta est , ideoque vim illi inferre nequit , atque ut dimittat id quod retinet , cogere : Sin postquam spiritus Salis inefficax est factus erga dissolutionem ; affundatur Spiritus Tartari , aut Nitri Sal fixum ; quocum Acidum Nitri facillime conjungitur , illico nova proditura est præcipitatio priori copiosior ; Atque ex his innotescit verissima præcipitationum causa , circa quas ulterius non evagaturus sum , lectorem remittens ad exempla deinceps adferenda.

Porro , cum per infortiam Typographi , qui vocem *Alkali* in præsentibus disceptationibus



disceptatione bis usurpavit vice vocabuli *Spiritus* ; atque ejusdem errorem circa quosdam alias voces antographo meo dissentaneas , anfa nonnullis fuerit porrecta in me torquendi adagium *Obscurum per obscurius* , Id apud me jam ratum est ab emendatione harum vocum , futurum *lucidissimum quod per me prius plane lucidum fuisset* : Eos veto à quibus observatum fuerit id quod alias publicis in conventibus à me non semel enuntiatum , atque variis in locis istius operis traditum, de Natura Spirituum & Salium , & discrimen circa hæc à me constitutum , imo circa vera Alkalia à plurimis mixtis , parum Salinis , plurimum terrestribus distinguenda , quæ pro Alkalibus venditare intendunt, eos inquam proculdubio pronuntiaturos esse errorem nequaquam mihi adscribendum , atque argumenta contra allata repulsione non indigere.

Sin forte contingeret ut iidem Adversarii in posterum vera mea asserta impugnare aggrediantur , doceant me quæso Illi , ubi lateat gravitas & potentia Spiritus Salis quibus superet illas quæ insunt A quæ forti & minerali ab hoc dissoluto ? quo manuum robore id commoveat & concutiat ? quæ porro sit causa cur liquor Tartari , aut Sal fixum Nitri , vel ejusdem liquor majori longe efficacia præcipationem perficiant quam hic Spiritus Salis , adeo ( juxta eorum mentem ) efficax ad convellendum & concutiendum , præstare tamen non potuit ? Qui fit , inquam , ut sola aqua frigida , longe gravitate inferior Spiritu Salis , affatim huic dissolutioni affusa , ac pluribus aliis , præcipationem illarum absolvat ? Doceant me iterum , rogo , gravitati ne id adscribendum , an robori , an concussioni vel commotioni , quod Laminæ cupræ , immixtæ infra Argenti dissolutionem ab Aqua forti inductam , præstant ut eadem aqua præcepdet Argentum , Laminas prædictas corrosura ? An iisdem de causis cuprum ab Aqua Forti dissolutum præceps defertur immixtis laminis ferreis illius dissolutioni ? Cum ergo vix verisimile sit ut in posterum harum substantiarum præcipitatio assignari queat aut gravitati , aut viribus , aut commotionibus & concussionibus inductis à liquoribus corrosivis , aliisve mediis eapropter in usum advocatis , futurum spero ut abdicata hac opinione , meæ omnes subscribant.

Nomen autem Alkali , quod iidem Adversarii variis substantiis crafis , ex mineralium familia desumptis assignare intendunt , non secus ac legitimis salibus , quandoquidem vox ista *Alkali* in confusionem illos adducere potest qui in Chymia exiguos progressus egere , animus est in eorum gratiam huc adferre quæ sæpius publice circa hæc enuntiavi , scilicet vocem Alkali , significare *Sal Kali* , *Kali* autem plantam esse ubertim pluribus in locis maritimis nascentem , quæ comburi soleat extrahendi gratia Salis , copiam , & familiarem usum istius Salis



in causa fuisse, vt cum tanquam species tantum haberi debuisset, inconsiderate vt genus perpensum fuerit; ac postmodum nonnulli, parum accurati, *Alkali* nomen pluribus mixtis adscripserint, quorum substantia & qualitates multum ab illis discrepant quæ legitimis Salibus insunt: me quod attinet, assensum præbeo vt Salia omnia, tum Fixa tum Volatilia nomine *Alkali* comprehendantur, sed si talia censenda sine saporem Salis exhibeant necesse est, in aqua sint dissolubilia, atque in ea coagulentur cum in vapores absumpta fuerit, aptitudo ad actionem & reactionem in Acida obseruetur, & vt cum illis coire queant, Nullum vero Præcipitatorium a se invicem divellere queat, vti neque Aquam à qua dissoluta fuere: Si Margaritæ, Corallia, Metalla, Metallica, ac plurima eius indolis mixta, qualitatibus his essent prædita, Salium indivulsis comitibus, citra hæsitantiam *Alkali* vocabulum illis impendendum foret, At cum nulla revera insit, sed tantum dispositio quædam ob quam penetrationem admittunt, corrosionem & dissolutionem, destituantur vero actionis & reactionis efficacia, Acidorum vero iniuriis obnoxia sint, ac Præcipitationi ab admixtione Salium, vel aquæ, vel aliorum mediorum, vix credo deinceps *Alkali* nomen illis inditum iri, vel inter Salia collocanda.

#### CAPUT XIV.

##### *De Preparationibus Salis Nitri, & primo de simplicissimis.*

**S**AL Nitrum, vero nomine Sal Petræ vocandum, a quibusdam Draconis epitheto insignitum, Cerberi, aut Salis infernalis, ratione vehementiæ affectuum quos aptum natum est edere, censetur Sal sulphureum, ob innatam illi dispositionem ad subito accendendas materias quæ commixtas habent particulas sulphureas, vel minima ignea scintilla proxima, etsi ex se & solitarium crucibulo candenti inditum flammam non concipiat, nisi adiectus fuerit carbo, vel alia quæpiam substantia sulphuris cuiusdam particeps.

In Nitro tres Salis species deprehenduntur, videlicet Volatile Salinum Sulphureum; Volatile Acidum, & Fixum terrestre: Horum tamen trium Salium conjunctio adeo arcta non est quin ab Artifice variæ substantiæ prout libet ab invicem divelli queant, sicuti manifestum est in illius præparationibus.

In Gallia tres Salis Petræ species reperiuntur, quoddam nonnullis rupibus, aut muris adhæret, crystallorum candicantium forma, Aliud terræ quarundam cavernarum aut locorum subterraneorum commix-



tum est, vel antiquorum equilibrium; Tertium in ruderibus ac vetustorum ædificiorum ruinis: Nitrarij operarij hujusmodi terras, aliasve materias Nitro prægnantes, grandibus caldatis immittunt, igne subdito, affusâ aquæ sufficienti quantitate, factaque horum Salium elixivatione, illa filtrant, demum sal coagulant; id iterum dissolventes, filtrantes ac rursus coagulantes, non solum ut defæcatus evadat, sed segregandi causa, quantum concessum est, salis terrei illi semper adjuncti; quod vero Nitro crassius, sapore, figura & indole plurimum ad Sal Marinum accedit.

Cum non difficili negotio Nitrum purissimum obtinere liceat, ideo in illo depurando multus labor non infumitur, satisque est candidissimum eligere, diaphanum, in longiores crystallos effectum, multis circumcirca donatum angulis, qui per longitudinis decursum cylindriciforme id efficiunt: Eiusmodi Sal saporem exhibet Salino acidum, amaroris participem; Præter has probitatis notas, & hoc illius puritatis indicium est, si frustulum candenti carboni impositum illico pene totum absumatur, adeo ut super carbonem supersit solum tantillum Salis albi, pro Sale fixo Nitri habendi: Nitrum primo crystallifatum, è priori aqua elicatum, probitatis omnes notas præ se fert, optimumque censendum.

Nitri depuratio idoneum id reddit præstandis usibus expectatis, inter-  
nis præsertim: Ab eadem cæteræ præparationes initium etiam ducunt, quarum frequentissima est Calcinatio, magis aut minus valida instituen-  
da pro maiori aut minori partium secernendarum copia: Quæ Crystalli mineralis præparandi gratia suscipitur, omnium simplicissima est; Satis enim est, exempli gratia, Nitri puri libram unam crucibulo immisisse, tripodi in fornacæ imposito, carbonibus accensis circumdato, in quod colliquesfactum, iteratis vicibus, uncia una florum sulphuris infunditur, ibi accendendorum & super nitrum absumendorum, quod demum è crucibulo effunditur, ubicumque circumfundendo fundo sartaginis mundæ, ferreæ aut cupreæ: Id frige factum, & in frugmenta divisum, committitur vasi vitreo aut Faventino, probe obturando.

Salis Prunellæ nomen Crystalle minerali etiam inditum est, eo quod admodum conducit curandis faucium inflammationibus, Anginæ præsertim, quibusdam *Pruna*, aut Prunella dictæ; si præsertim ejusmodi affectus à Salibus volatilibus originem duxerint, atque in principio fuerint: Acidum enim Nitri salibus volatibus se adjungens, horum naturam immutat, effectusque inhibet: Hoc Crystallum nomine Anodynæ mineralis donatum est, ob efficaciam in sedandis doloribus, illis potissimum quos inducunt Salia fixa aut volatilia: Aperiendi vi præditum est, diuretica, humores viscidos & tartareos incidendi: Purgantibus remixtum illis vehiculo est; variisque inditum menstruis adjuvat Tincturarum mixtorum extractionem, coloremque intensiorem reddit; humorum



putredinem cohibet , sitim æstumque febrilem extinguit , etiam exigua ex liquoribus idoneis adsumptum copia.

Qui veriti sunt calorem partis maxime volatilis & sulphureæ Nitri, non inutiliter crediderunt accedendos illi affundi debere flores sulphuris, adsumendæ una cum his , & abstrahendæ illius partis sulphureæ, communicando simul portiunculam acidi, floribus illis inexistentis : Id quod jam usitato more receptum est, neque repudiando, cum, experientia quotidiana teste, probi oriantur effectus, etsi commodissime illius succedaneum esse queat Nitrum rite depuratum & crystallifatum, sulphur nequaquam expertum : Sed Nitrum multo minoris acrimoniæ particeps quam Crystallum minerale, & Nitrum depuratum, comparare licet, idem Nitrum quinquies aut sexies dissolvendo in aqua pluvia, æquinoctio verno decidua, unaquaque vice aqua in vapores faceffere iussa, ad pelliculam usque, more solito, Nitrum crystallifando; Concurrente enim partium divisione multoties facta partium Nitri à prædicta aqua, Et abstractione particularum maxime sulphurearum ope harum evaporationum; ac præterea adsociatione salis Aëris, quo dictus imber imbutus est, Nitrum nonmodo acrimoniæ sit fere expers, & edulcoratur, sed etiam absque corrosivis metu, & jucunde, edere valet eos effectus qui Crystallo Minerali & Nitro depurato adscribi solent.

## C A P U T X V .

### *De Nitri Fixatione.*

**O**Mnia Salium genera à cæteris substantiis secreta, etsi in liquido dissolubilia sint Fixorum nomen gerunt, cum eum in statum adducuntur ut vim ignis experiri valeant, id quod consequi non licet alia ratione quam partem illorum volatilem, Salium aut spirituum Acidorum ope sistendo & cohibendo, vel aliarum substantiarum quæ cum illis concorporari queant, ob innatam dispositionem ad mutuam conjunctionem: Nitrum cum constet ex Sale volatili sulphureo, Sale acido, utcumque volatili, ac Sale fixo, admodum difficile est reperire Sal, aut Spiritum, à quo simul & semel cunctæ illæ partes fixitatem consequi valeant; Si enim Salia volatilia admixta fuerint, futurum est ut quædam portio aliorum Salium cum illis in auras abeat: sin alia Acida in auxilium advocentur ad Salia sistenda, Acidum exsuperans dissolutionem & immutationem naturæ totius inducturum sit, adeo ut quacunq; processus ratione



tionem necesse sit dum Fixum Nitrum reddere est animus, volatilis partis non minimam portionem perire.

Ex Glauberi sententia Nitri purissimi libræ duæ aut tres capaci crucibulo ferreo excipi possunt, tripodis imposito, in media fornace idonea, quo circumdato carbonibus accensis, & Nitro colliquato, super iniicitur pulveris carbonum circiter semuncia, qui illico flammam conceptari sunt, partesque Nitri volatiles absumi incipient, Hac Nitri semivncia absumpta, tantumdem pulveris carbonum adhuc adiciendum, eodem modo igne devorandi; Eiusmodi projectionem reiterando, illiusque consumptionem, eundem etiam ignis tenorem servando, donec nulla amplius in Nitro superstes sit pars acida, uti neque flammæ capax, pulvis carbonum non amplius hanc concipiat, Nitrum autem crassescat & fiat coloris viridescens ad cæruleum declinantis: Tunc Nitrum ex crucibulo eruendum adhuc calet, quod in magna frustra confractum, eo modo, si libet, conservandum, in lagenâ vitrea duplici, accurate occludenda.

Vel idem in aqua dissolvendum est, factoque lixivio, hoc filtrandum; Sal coagulandum, sicuti prius adservandum; Istud Sal, per calcinationem destitutum parte volatili inflammabili, ac fere omni suo Acido, quamdiu in ea est conditione crystallisationem respuit, cuius capax est Crystallum minerale, quod cum levissimam calcinationem expertum sit, sibi innato Acido fere omnino fruitur, a quo in crystallâ abundi vim obtinet: Figuræ tamen ChrySTALLINÆ non levi negotio restitui potest, dissolutioni illius filtratæ instillando Nitri spiritum, quovsque desinat omnino ebullitio: procurata enim postmodam istius liquoris ad pelliculam vsque consumptione, postmodum sponte refrigerata Crystalla emergent illis propemodum similia quæ in Nitro, antequam crucibulo immitteretur, conspicua erant; pondus autem & moles Nitri adaucta ab adiuncto spiritu illi coadunato reperientur.

Iubet Glauberus Nitro, uti prius dixi calcinato ope pulveris Carbonum, crucibulo exempto, exceptoque vase quopiam idoneo, id subdivo humidiori exponi, aut in cella vinaria, donec in liquorem omnino abeat, cui Alkaest nomen imposuit, ex illo menstruum univrsale meditatus, apprime idoneum Tincturis omnium mistorum eliciendis, tam Vegetabilium quam Animalium & Mineralium; Sed etiam si in usum venire queat ad plurima mineralia, suppetunt tamen menstrua multo convenientiora Vegetabilibus & Animalibus.

Nonnulli Nitrum ea ratione calcinatum in Spiritu Aceti dissolvunt, dissolutionem filtrando, Sal autem coagulando, ter repetitis dissolutionibus, filtrationibus & conglutationibus, demum dissoluto hoc sale in spiritu vini alkoolisato, dissolutione autem excepta cucurbita vitrea, alena-



bico suo probe loricato instructa; adaptato, recipiente similiter luto incrustato, Balneo arenæ igne moderato spiritum vini abstrahunt, ad subsidentia siccatem; in fundo demum Cucurbitæ occurrit Terra Talci instar squamosa, igne fusilis, non secus ac cera, Nitri sale fixo imprægnata, Aceti acidum continens: Istud remedium conducere asserit referendis Iecoris obstructionibus, Lienis & Mesenterij: Exhibet a scrupulo vno ad duos, ex liquoribus aperiendi vi præditis, vel aliis purgantibus remiscet: Non multum ab similibus hæc præparatio à Sale Tartari foliato, de quo a me actum capite sexagesimo octavo de Præparationibus Vegetabilium.

## C A P U T X V I .

*De Sale Polychresto.*

**F**ixationi Nitri adde præparationem Salis Polychresti, eo quod eius ope Nitrum fixum evadit, exuens quicquid volatile continet: mitto etymologiam cognominis huius Salis, quod deducendum non a voce polycryfos, sed a polychrestos, indicante quiddam ad plures usus natum; Inventio huius Salis antiquitate cum cognomine non certat, quod à plurimis Authoribus fuit inditum Pilulis, aliisque compositionibus, idoneis pluribus simul humoribus expurgandis; Authores enim nonnulli solum neoterici huius meminere, atque illius usus, etiam si hodie multo id sit usitatus Parisiis quavis alia præparatione Chimica, ex immenso earum numero quas continent antiquorum libri.

Si more usitato præparandum sit hoc Sal, accipiendæ erunt partes æquales Sulphuris puri & Nitri crystallisati, quibus commixtis, & crasse contusis, imponendum erit crucibulum pedamento in medio foco Fornacis anemix, accensoque in ambitu luculento igne carbonum, cum incanduerit Crucibulum, immittatur illi uncia circiter prædicti pulveris, qui flammam illico concepturus est; sulphur autem in auras discedens secum simul abstracturum est partem Nitri volatilem: Flamma discussa eadem Pulveris in crucibulum projectio repetenda erit, per vices iteranda, vna quaque vice concedendo sulphuri spatium temporis ad deflagrationem, ex intervallis materias contentas commovendo oblonga spatula ferrea, pergendo donec totus pulvis projectus fuerit, vel crucibulum amplius capax non sit materia: Postmodum ignem adhuc urgendo per bihorium vel trihorium, ac sponte frigefacto crucibulo, eximendum erit Sal, in aqua postea dissolvendum, Per colum traiecta hæc



hæc dissoluta & ad ignem evaporata, sola pellicula superstite, refrigerari permittitur; dehinc decantata in exiguam Cucurbitam aqua supernatante, obvium erit Sal Polychrestum in fundo vasis hujusque lateribus adhærens, quod exemptum siccandum erit: Deinceps igne moderato Arenæ liquor in parvam Cucurbitam effusus absumentus erit, ad pelliculam usque, extrahendo & exsiccando Sal sicuti prius: Idem quoque faciendum erit de liquore Sali supereminente, ne quidquam dispareat, cuncta hæc salia commiscendo & ad usum recondendo.

Dissipatio partis Acidæ & spirituosæ volatilis Nitri, contingens per Nitri calcinationem cum sulphure; in causa est ne Crystalla inde oriunda amplius obtineant figuram qua donatum erat Nitrum priusquam crucibulo immitteretur, Neque etiam Crystalla expectanda essent, nisi Sal sibi adsumpsisset portionem quampiam Acidi sulphuris dum simul utriusque calcinatio instituta est.

Cum vero Sal Polychrestum, hoc modo præparatum, complectatur solummodo partem fixam Nitri, cum portione nonnulla Acidi sulphuris, hac vero conditione donatum per dejectiones tantum opus perficiat, exemplo Salis Tartari, aliorumque Salium fixorum, conciliari illi præterea poterit vis partim diaphoretica, partim diuretica, addendo & concorporando quatuor uncas Spiritus aut Florum volatilium Salis Ammoniaci cum libra una Salis Polychresti, prædicto modo præparati, una iterum in Crystalla deducendo cucurbitæ vitreæ indita, Balneo arenæ impositæ, igne moderato.

Ex proportionata enim unitate trium harum diversarum substantiarum exsurget compositum, potiori jure Salis volatilis nomine insigniendum quam id cujus descriptio à me tradita: Cum enim prius opus sum perficiat comite non levi acrimonia, ac solum intestinorum ductum affectet, postremi hujus Salia, per reciprocam temperationem simul coeuntia, opus quoad omnia lenissime peragent, Neque id prohibet quin facillime permeent corporis partes illorum opo indigentes, ac præsertim ductus urinarios, venas, arterias, quinimo & partes carneas, nullo acrimoniæ vestigio relicto.

Mixtim hæc salia exhibentur adrachma semis ad drachmam unam, cum variis remediis, præsertim ad stimulanda purgantia, diluendo in liquoris unciis quinque vel sex: Seorsim etiam præscribuntur à duabus vel tribus drachmis ad quinque aut sex, ex duabus vel tribus libris aquæ fluviatilis, vel ptisana quapiam, iteratis vicibus usurpanda



non secus ac Aquæ minerales, si incidendi & detergendi crassi humores, demum per vias consuetas expellendi.

## CAPUT XVII.

### *De Spiritu Nitri.*

**A**D quorundam normam conteri simul & commisceeri possunt Nitri libræ duæ cum libris sex Boli communis, ex quibus in massam solidiusculam compactis, infusa aqua frigida Nitro imbuta quantum hujus dissolvere valuerit, concinnantur globuli, qui optime exsiccati ex Retorta distillandi juxta regulas ordinarias, At vero res melius voto respondebit, expeditiorque erit successus, si hac via incedatur.

Contundantur, unaque commisceantur Nitri probe exsiccati, & nitide crySTALLISATI libræ duæ, triplo vel quadruplo ponderi terræ figulinæ, accuratissime exsiccatæ, itidem pulverisatæ; committantur Retortæ argillaceæ luto obductæ, ejus capacitatis ut materiæ immissæ duas tantum vasis partes adimpleant, tertia vacet: Hoc in furno Reverberij clauso collocato, ad commodato autem grandi Recipiente ejus rostro, eo itidem lutato, suscipietur distillatio igne gradatim adaucto, illum tertia quoque hora intendendo, tandem ad extremam usque violentiam pergendo, donec manifesta adpareat ruboris spirituum in Recipiente diminutio, calor autem ejusdem Recipientis remissio; id quod accedere solet adhibito ultimo igne per tres horas: Postmodum obturato spiraculo operculi fornicati, sicuti & cinerarij ac foci ostiis, sponteque frigefacto furno ac vasis, decrustandum erit Recipiens, lutum linteo madido humectando, illoque à rostro Retortæ divulso, spiritus Nitri infundendus lagenæ densæ, accuratissime occludendæ, spiritum ad usus recondendo.

Nitri pars aquea seorsim ad servare posset prior in distillatione prodiens, Recipiens autem solum eo educto loticando, quo pacto obtinere licet spiritum Nitri multo majoris efficaciam ad dissolutionem quorundam metallorum eo qui remixtum habet phlegma; sed è re fuerit partem aqueam primo prodeuntem cum spiri-



tu dimittere nec ab invicem fecernere, eo quod acutiem spiritui impetit, efficitque ut Argentum facilius pervadat & dissolvat quam cum à phlegmate nimis liberatum est, aculei autem obtusiores fiant, acuti id à me compertum.

Pars sulphurea & Salina volatilis Nitri, conjuncta parti Acidit una forma vaporum rubrorum ex Retorta prodeunt, ac in spiritum convertuntur, quapropter nonnulli auctores sanguinis Salamandræ nomine donaverunt; Nitrum quippe inter salia solum est quod spiritum suum forma vaporum rubicundorum effundit, cum cæterorum omnium Salium spiritus albi prodeant.

Qui uno eodemque Recipiente simul excipiunt quicquid ex Retorta, Nitrum distillando, exstillat, ij liquoris tantumdem fere adipiscuntur quantum Nitri Retortæ inditum fuerat; quapropter qui rati sunt totum Nitrum in spiritum converti, hallucinati sunt, nam præterquam quod terra addita, ut sicca, plurimum in hac distillatione phlegmatis suppeditat, non secus ac cum spiritus Salis distillatur, proculdubio præterea sibi adjungit, retinet, in vicem proprii phlegmatis, partem Nitri fixam; Vnde etiamnum elucescit perperam creditum esse partem Nitri fixam totam in spiritum abreptam fuisse; id enim si contingeret, nihil prohiberet quin spiritus priorem Nitri formam readsumeret, id quod tamen nequaquam præstare potest quandiu solitarium est, revera quidem si remixtum fuerit proprio Sali fixo aut Sali Tartari, vel cuiquam alio ejusmodi: Vnde etiam colligere licet quid in illo desideretur quominus statui pristino restitui queat, quandoquidem si reassumere debeat corpus Salis unde prodiit, id nequaquam consequi licet nisi adjectum fuerit Sal fixum, ejusdem indolis cum eo quod in Retorta superstes est cum distillatio suscepta est.

Neque etiam accurate res ad examen adductæ sunt ab iis qui existimant totum Nitrum distillationi subjectum in spiritum converti, eo fundamento nixis quod nullum Sal ex capite mortuo educere liceat, quando illius disquisitio facta est adhibitis dissolutionibus, filtrationibus & evaporationibus; quandoquidem Sal fixum Nitri, diurnitatem ignis expertum, imo vehementissimi per distillationem, coit tandem & in vitrum quodammodo abit terræ commixtum; immutata vero salis indole, vitri naturam induens, dissolutionis omnino incapax redditur; Si



enim ex copia liquoris ab ejusmodi distillationibus prodeuntis, norma deducenda esset, idem judicium ferendum esset de Sale marinæ, cujus libræ duæ commixtæ æquali quantitati ejusdem terræ, adhiberi solitæ ad distillationem Nitri, æqualiter effundunt à libra una cum duodecim uncias, ad libram unam & quatuordecim uncias liquoris, quem vocant Spiritum, cuius maxima pars in aqua residet, ac tantillo spiritu à terra suppeditato, altera minor in parte aquea ejusdem salis; cujus reliquum pro legitimo spiritu, accipiendum, vix totius tertiam partem constituit, interim dum pars fixa ejusdem salis, quæ evehi non potuit, terræ intime se conjunxit & in vitrum fere una cum illa abiit, pro capite mortuo accepta: Atque hæc, si bene iudico, illis à præconceptis opinionibus erroneis liberatura sunt qui contrarium senserint.

Spiritum Nitri plurimi fit adversus malignitatem febrilium, sicuti & ad discutiendos vapores ex materiis crudis elatos, nitrosis & tartareis, atque sedandam effervescentiam humorum, vi proprii salis liquidi volatilis sulphurei, acido conjuncti: Conducit præsertim in Colico dolore, obstructions Iecoris aperit, Lienis, omniumque viscerum, sanguinem concretum resolvit, per sudores, aut insensibilem transpirationem humores dispositos expellens, quo fit ut plurimum conferre censeatur in legitima & spuria Pleuritide, in Rheumatismo omnique dolore vago, ac Hydrope Tympanite.

Exhibetur à semisrupulo ad integrum, imo & semidracmam ex liquoribus idoneis, præbendo semi cyathum vel integrum.

Partes acres & corrodentes quibus spiritus Nitri præditus est, corrosioni aptum illum efficiunt, imo & dissolutioni omnium metallorum, etsi Auro pareat, quod subingredi solitarium nequit & citra additamentum, ratione exiguitatis & figuræ pororum illius, aditum non concedentium particulis istius spiritus, quorum magnitudo & figura huic effectui inidoneæ sunt, etiamsi id ipsum præstare valeat addita quarta parte ponderis Salis Ammoniaci, Marini, aut Gemmei, à quibus immutatione recenti inducta illius partibus, aut novos aculeos tenuissimos affingendo, congruam inducendo aut figuram, ob quam hujus metalli poros subire valeant, idoneum penetrationi eorum efficiunt, illiusque substantiæ dissolvendæ: Varia etiam mineralia dissolvere potest, imo vim catharticam & emeticam quorundam in diaphoreticam transmutat, nominatim Antimonij, sicuti id in serie manifestum fiet.



Cum eadem acrimonia nonnihil deterreat ab usu illius interno, confugiendum est ad spiritum vini, partibus æquis commiscendum, distillatione utriusque Baïneo arenæ instituenda, ex capaci & excelsa cucurbita vitrea, alembico idoneo instructa accurate lutato; quæ distillatio etiam terna vice iteratur, ad magis intimam partium spiritus vini commistionem, eadem procedendi via quam demonstravi ad dulcorationem spiritus Salis: Ex hac unitate exurgit spiritus compositus, non solum odoris gratia suavior, sed & gustui gratior, uti & ad cunctos effectus, imo Naturæ nostræ multo convenientior; quod vero potissimum, ad diaphoresim procurandam adcommodatior spiritu Nitri vulgari: initium qualitatum & temperatarum gratia spiritus Nitri dulcis, aut dulcorati nomen adeptum est, cujus ultima & perfecta dulcoratio commodissime suscipi potest, ope vasorum Gemellorum dictorum, quorum figura inter cætera vasa depicta est, Gemella hæc committenda Baïneo Arenæ, igne moderato adhibito, capacitatis circiter mediam partem implendo, his spiritibus partibus æquis commistis, luto probe obducendo cuncta illorum orificia & juncturas, toto triduo producendo distillationem conjunctorum, & absque intervallo, horum spirituum, quæ hoc modo cohobationem continuam comitem habitura est rei distillandæ in materias successive in fundum vasorum dilapsuras: Dosis hujus spiritus eadem, imo major esse poterit quam prioris, ex liquoribus convenientibus.

## C A P U T XVIII.

*De Aquis Fortibus, Et de Aquis Regiis.*

**P**Lus discriminis occurrit in compositione Aquarum Fortium circa selectionem & dosim materiarum ad illas requisitarum, quam in præparandi ratione ubique fere simili; Etsi enim ut plurimum tantum consistent ex Nitro & Vitriolo, Nitrum autem omnium sit basis, doses tamen apud Authores non ubique inter se conveniunt; adde quod modo Alumen remisceant, modo Viride æris, nonnunquam Antimonium, Arsenicum, Sublimatum, Sal Ammoniacum, Marinum, Gommeum &c. dimisso vel admisso Vitriolo.

Quibusdam etiam satis est exsiccauisse, ac contrivisse, Nitrum & Vitriolum, alij postremum hoc nonnisi ad albedinem calcinatum



usurpant : Quidam duas partes Vitrioli, unam Nitri accipiunt, alij partes æquales ; Imo nonnulli tantundem pondo, aut dimidiam ponderis partem boli aut laterum contritorum adiciunt, adeo ut cuique Artifici pro arbitrio agere liceat ; Nihilominus tamen præparationem Aquæ Fortis maxime usitatam in medium allaturus sum, ac me iudice maxime idoneam corrosioni & dissolutioni plurimæ partis metallorum ac quorundam mineralium, ad illorum naturam accedentium.

Vitrioli communis duæ libræ & semis ad albedinem calcinentur & in pulverem terantur ; Exsiccentur & pulverifetur æqualis quantitas optimi Nitri, commisceantur ac in capacem Retortam argillaceam luto obductam coniiciantur ; hac imposita furno Reverberij clauso, adcommodatoque, accurate lato obducto, ejus rostro grandi Recipiente, instituat<sup>r</sup> Distillatio igne primo moderatissimo, demum gradatim adaucto, ad ultimam usque vehementiam, eoque modo producto quousque imminutio coloris ex rubrofulvi vaporum in Recipiente conclusorum, calor autem admodum remissus : Tunc obturato spiraculo operculi fornicati, ut & ostiis cinerarij ac foci fornacis, vasa ut sponte refrigerant permittendum, demum decrustato Recipiente, educta Aqua Fortis effundenda in lagenam vitream densam, accurate obturandam.

Ex conjunctione Nitri & Vitrioli cum malignitas emergat si una distillationi exposita fuerint, eapropter Aqua Fortis ex illis elicita multo periculosior est spiritibus seorsim ex Nitro & Vitriolo eductis, neque Aqua hæc ore adsumenda præscribitur ; præcipui autem usus spectant calcinationem immerivam aut metallorum præparationem, quo fit ut Aquæ causticæ nomen adepta sit, & Aquæ Separatoriæ.

Etiamsi vero quis immerito assereret spiritus corrosivos Vitrioli, tempore ad distillationem Aquarum fortium destinato, universos eveni posse, quandoquidem Vitriolum per plures dies ignem experitur antequam ultimos profundat spiritus, Illud tamen in comperto esse debet illos qui è Nitro emittuntur partem maximam eorum una secum abstrahere, & quantum necesse est adaugendam vim illius corrosivam ; quandoquidem commixtio vitrioli cum Nitro duplicem usum præstat, communicatione enim facta spirituum Nitri partes in Retorta impermixtas detinet, fusionemque illius impedit, per quam cohibentur & concentrantur spiritus, unde Retortæ fracturæ periculum immineret.



Aquæ Fortis malignitas suspectum facit usum salis in Retorta post distillationem residui: Etsi enim celebre sit apud quosdam Authores titulo *Salis*, aut *Arcani duplicati*, vel *Panacea duplicata*, aut *Salis de duobus*, eximiasque illi assignarint vires, arduum tamen est vim emeticam & corrosivam Vitriolo tenaciter adfixam divellere, eoque amplius quod in prædicto Sale adhuc latent ultimi iique maxime acres Vitrioli spiritus, imo Nitrum fixum illi remixtum majorem ideo contraxit actimoniam: Id quoque censeo quicumque labor adhibitus fuerit in dissolvendo, filtrando, & repetitis vicibus coagulando istud Sal, irritum forte fore, sicuti & additionem particulæ Crystalli mineralis, ab authoribus quibusdam propositam obtinendorum gratia effectuum speratorum, quandoquidem suppetunt alia Salia magis ad rem facientia, & majori securitate scopos omnes adimplentia, Atque licet, ad *Zwelferi* mentem, calcinare residentiam distillationis spiritus vitrioli, adeo ut nullus commino sapor illius superstes sit, & ex illa Soli per plures hebdomadas, & divo expositam, abstrahere Sal Aëris, qui adimplevit illius poros; quod cum sapore acri careat, destitutumque sit facultate emetica vitrioli, sed polleat sapore acido salino gratissimo, proculdubio antefendum ut pote præstantius & magis idoneum commissioni cum æquali pondere salis Polychrestii, aut Nitri fixi, vel cujuscumque alterius salis fixi plantæ alicujus adpropriatæ.

Alia Aqua Fortis conficitur ex partibus æquis Nitri & Aluminis, ex Retorta una distillandis, seorsim reponendo phlegma primo prodiens, in lagena autem vitrea densa, accurate occludenda, custodiendo Aquam fortem subsequenter, quippe quæ Bismuthi admodum idoneum est dissolvens, Mercurij, aliorumque ad vultus cosmeticen usitatorum mineralium.

Porro cum usitatæ hæ Aquæ Fortes, etiamsi Argentum dissolvere valeant, omniaque metalla imperfecta, non eodem tamen erga Aurum robore polleant, ideo confugiendum ad Salia Ammoniacum, Marinum aut Gemmeum, à quorum adjectione aculei particularum istarum aquarum immutationem & tenuitatem adepti, Aurum dissolvere valent eadem facilitate qua antea cætera metalla; Nomen eapropter Aquarum Regiarum illis inditum, ob potentiam qua præditæ sunt Aurum dissolvendi, quod metallorum Regis nomen obtinet.

Aqua Fortis in Regiam facili negotio transit, exiguoque temporis spatio, immittendo parvo matratico uncias quatuor optimæ aquæ Fortis, cum uncia una Salis Armoniaci minutissime contriti, vel uncia una Salis Marini aut Salis Gemmei, litidem pulverisatorum, alterutrum di-



Et in Aqua Forti dissolvendo Balneo Arenæ, igne Digestionis.

Potest etiam præparari Aqua Regia unica distillatione, hoc processu modo, Accipiantur libra una Nitri purissimi; libra una Salis marini optime exsiccati, Vitrioli ad albedinem calcinati libræ duæ, conterantur, misceantur, una conjiciantur in capacem Retortam argillaceam luto vestitam, qua imposita furno Reverberij clauso, adcommodatoque ejus rostro magno recipiente, suscipiatur igne gradatim adhibito Distillatio, sicuti ad ordinariam Aquarum Fortium, sic nascisci dabitur in Recipiente Aquam Regiam, admodum idoneam dissolutioni aut calcinationi immersivæ Auri.

Præparatur necnon Aqua, quibusdam dicta Aqua Philosophica, vel Aqua duorum Pugilum, hac ratione, sumantur unciæ duæ Nitri purissimi optime exsiccati, Vnciæ duæ Salis Ammoniaci; quibus contritis, & simul immixtis grandi Retortæ argillacæ luto obductæ, impositaque Retorta Furno Reverberij clauso, & adaptato grandi recipiente eius rostro, extillanda igne gradatim adhibito Aqua, nulli Aquæ Regiæ ad Auri dissolutionem inferior.

Sed circa hanc præparationem observandum capacitatem insignem Retortæ, necnon Recipientis, non minus requiri quam ignis regimen, quia scilicet spiritus e quatuor istis unciis Salium elati, tam insigni erumpunt vehementia, ut ab igne impulsus disruptionis Retortæ & Recipientis causa essent, nisi spatium idoneum impetui excipiendo obtinerent.

Butyrum Nitri Vitriolati Petri Iohannis Fabri, cum a quibusdam Authoribus neotericis commendetur, ideo hic inferendum volui, Accipiantur partes æquales Nitri & Tartari crudi, quibus comminutis in pulverem, & simul exceptis grandi mortario ferreo, aut cupreo, prius excalesfacto, accendatur ignis carbonum, sed modicus, in camini foco, Nitrum & ignem ut libere dimicent permittendo; demum collectis, & optimo erucibulo immixtis Salibus fixis Nitri & Tartari, simul in mortario residuis, imponatur Crucibulum idoneæ Fornaci, accenso circumcirca igne carbonum, inibi detinendo donec Salia perfectam adipiscantur albedinem, quæ postmodum dissoluta, filtrata & coagulata in Sal album, additoque & commixto æquali pondere Salis Vitrioli dissoluti in aqua pluvia, ad ignem lentum deducantur in coagulum, aut Butyrum albissimum, recondendum in lagena vitrea densa accuratissime obturanda.

Magni fit ab Authore, tum ad internos usus, tum ad externos, lenissime



lenissime enim purgare asserit humores melancholicos & tartareos, à drachma una ad duas exhibitum, ex uncia semis syrupi Rosati aut Violati: Idoneum præterea esse ad Arthritidis curationem parti affectæ admodum: Resolvere etiamnum humores frigidos & scirrhosos, oedematosos & pituitosos discutere, ac denique quodvis serpiginis & scabiei genus curare.

## CAPVT XIX.

*De Preparationibus Aluminis.*

**A**lumen succus est salinus, ex quibusdam terris erutus, aut lapidibus plumbi naturam respicientibus, plurimo phlegmate constans, paucò spiritu acido, non mediocri copia Salis acris & corrosivi, accedente plurima terrea portione.

Alumen Rupeum omnium commendatissimum est, vulgatissimum, quod maxima copia occurrit, Dicitur etiam Alumenglaciale, cum referat aquam frigore concretam: Tres illius species statuuntur, quarum prima sponte in terræ visceribus coagulata reperitur, cæteræ vero artificium requirunt, Alterum enim Alumen educitur decoquendo & coagulando Aquas minerales illo prægnantes; Alterum elixiviando terras aut lapides quibus commistum est.

Alumen colore ad rubedinem inclinans, cognomento Romanum; optimum inter illa quæ in Gallia occurrunt censetur, atramen neque Romanum neque cætera ideo remediorum feraciora sunt, inter salia enim Alumen omnium paucissimis præparationibus subjacet.

Dissolvitur Alumen in aqua pluvia, cujus filtrata dissolutio evaporatur ad pelliculam usque, hac sponte refrigerata secernuntur & exsiccantur Crystalla, Aluminis, quæ iterum nonnulli dissolvunt; filtrant & crystallifant repetitis viribus, tum ut puriora evadant, tum ut spiritus quantum licet leniatur; Non inutilis est ejusmodi depuratio, cum Alumen in Gargarismatum compositionem admitti debet, aliorumve remediorum internorum, sed ad externum usum prætermittitur.

Nonnullam in crucibulo calcinatur Alumen, vel vase figulino vehementiæ ignis non impari; inibi enim candorem acquirit, spongiforme & leve evadit, quando phlegmate illius repudiato, uti & illius spiritu, expetitur solummodo Sal acre & corrodens, quod vulgo vocant Alumen ustum, nonnulli postmodum dissolvunt in aqua pluvia, filtrant, ac coagulant obtinendi gratia Salis fixi Aluminis: Qui vero curat



etas Aluminis partes utiles sibi comparare voluerit, id ex Retorta distillent ratione sequenti, nec defuturus est successus.

Excipiantur binæ vel ternæ Aluminis libræ, grandi Retorta luto circumlita, qua imposita furno Reverberij clauso, conjunctoque ejus rostro capaci Recipiente luto non incrustato, suscipiatur distillatio igne primo lenissimo, illo postmodum ad secundum usque gradum adaucto, in eo perseverandum donec universum exstillarit phlegma, conspiciaturque ingressus in Recipientem spiritus Aluminis forma vaporum candidantium: Tunc affuso, & seorsimque Phlegmate reposito, accurate luto obducto collo Recipientis & rostro Retortæ, continuanda erit distillatio, gradatim adaucto igne ad ultimam usque vehementiam, pergendo donec nulli amplius ex Retorta prodeant vapores postmodum obturato spiraculo operculi fornicati, ac simul ostiis fornacis, sponte refrigeratis ac decrustatis vasis, obvius erit in Recipiente Spiritus acidus Aluminis, in Retorta autem Alumen calcinatum in massam candidam conglobatam, spongiosam, levem, illi similem quæ in crucibulo post calcinationem occurrit: Eoque pacto cunctæ Aluminis partes utiles in possessionem venient.

Spiritus Aluminis admodum utilis habetur ad urinæ difficultates, ac illius vias liberas à calculo & arenis reddendas, aliisve cursum ejus intercipientibus, Plurimum quoque conducit referendis lecoris; Lienis omniumque viscerum obstructionibus, sicuti ad febricitantium sitim leniendam, Illum commiscendo liquoribus conuenientibus, à quinque vel sex, ad duodecim vel quindecim guttas: Commiscetur etiam Gargarismatis extinguendarum gratia inflammationum oris cavitatem afficientium & gutturis, Ad intercipiendum fluxum, obtundendumque aculeum humorum acrium & tenuium in dictas partes decumbentium, sicuti & ad sananda ulcuscula gingivarum, linguæ partiumque circumfifarum, solo tactu.

Phlegma in usum adducitur ad perpurganda & ad cicatricem ulcera deducenda; Distillationis autem subsidentia absumentarum gratia carniū fungosarum in ambitu vulnerum & ulcerum crescentium, cohibendæque putredinis.

Spiritus Aluminis dulcorari potest eadem ratione qua spiritus Salis & Nitrij, commisto æquali optimi vini spiritus pondere, simul distillando, cohobando, eodem prorsus processu genere in omnibus quem indicavi vbi de duleoratione prædictorum spirituum.

Spiritus Aluminis duleoratus ore tutius adsumitur non dulcorato, duplicataque dozi potest exhiberi.

Nonnulli dissolutione facta Aluminis Rupei in aqua, filtratum liquorem



rem Balneo cinerum distillant ad siccitatem usque in cucurbita vitrea humili, imposito illi Alembico probe luto obducto; demum frigefactis vasis, in aqua ab hoc exstillata Alumen in cucurbita restibile distillant, repetita filtratione & eodem Balneo liquoris colo trajecti distillatione, reiterando dissolutiones, filtrationes & distillationes ad omnimodam usque purissimæ substantiæ ope distillationis in sublime evectio-  
 ctionē, cunctarum vero Aluminis partium terrestrium in colo subsidentiam: Istiusmodi Aquam Spiritus magistralis Aluminis nomine donant, stypicorum omnium medicamentorum maxime strenuum censentes.

Id porro pro comperto habendum usum istius Aquæ, aut Spiritus Magistralis, non inutilem fore si decima aut duodecima illius pars Gargarismis remixta fuerit, aliisve liquoribus ex aquis aut decoctis refrigerantibus, adstringentibus & detergentibus comparatis, tum curationis gratia oris affectuum, quam aliorum exteriorum refrigerio indigentium per purgatione & adstrictione; quinimo & potionibus vulnerariis, accisa huius parte media, proportione habita liquoris: Adeo ut si copia adfuerit istius liquoris, in parato autem Aquæ stillatitiæ, Decocta vel Succu partium plantarum, idoneis qualitatibus præditarum, quovis tempore parabiles sint liquores, proculdubio præstantiores cunctis Aquis Aluminosis stillatitiis ab authoribus descriptis.

Nonnulli certa quantitate Aluminis calcinati immissa Cucurbitæ vitreæ, in Balneo collocatæ, affusaque illa aceti copia quæ ad dissolutionem sufficiat, hanc colo transmittunt, evaporatione eodem Balneo facta ad pelliculam usque, sponteque refrigerato Balneo, segregant, siccant, & recondunt Crystalla in cucurbita obvia, pro re nata exhibendo ex liquore quopiam idoneo, pondere duodecim aut quindccim, ad octodecim vel viginti granorum, bis in hebdomada, paulo ante paroxysmi adventum, in febribus Tertianis: Successum vero in re dubia spondere non ausim, mihi per experimenta non confirmata.

## CAPVT XX.

### *De Preparationibus Salis Ammoniæ.*

**A**mmoniæ cognomen huic Sali impositum prævaluit triginta & amplius aliis nominibus ab Authoribus ipsi Inditis, quorum enumeratio foret inutilis. A Iovis templo Ammonis, mediis in Lybiæ desertis sito, nomen illius deductum est, quod olim istud Sal sublimatum superficiei incumberet arenarum adurentium prædictæ regionis.

Vrina Camelorum catervatim prædicta loca prætereun-  
 tium per pe-



reginationes, ad id templum continuo institutas, prima & præcipua illius fuit materia, coadiuvante Sale acido Aëris, per noctem Urinæ adjuncto, à quo partes volatiles cohibebantur, à retorrido Solis æstu alias dissipandæ. At cum Sale isto antiquorum Ammoniaco careamus, necessitas incumbit ut id in usum ducamus quod Venetiis, Antverpiæ aliisque in locis adparari solet, ex quinque partibus urinae virorum proba valetudine utentium, parte vna Salis marini; & dimidia parte fuliginis camini; quæ simul decoquantur & in massam conglobantur, postmodum sublimandam, illa indita forma qua nobis obvium est, nomen ab antiquis impositum gerens: Fuliginis impuritas, & insignis copia vanalis salis Ammoniaci, in causa sunt spurcitei fere semper comitis; Ut vero elegans & purum nancisci liceat, in aqua dissolvendum est, addita filtratione ac coagulatione in massam aut crystallam.

Calcinatur Sal Ammoniacum additis partibus æquis calcis vivæ, in Crucibulo ædamento supposito, media in fornace anemia, fusioni tandem id committendo, postmodum in aqua dissolvendum; filtrata autem & coagulata dissolutio paulatim liquationi in cella humida exponitur, unde oritur liquor ad modum idoneus Argenti & Auri dissolutioni.

Sal Ammoniacum sublimari potest Balneo Arenæ igne gradatim adhibito, commixtis partibus æquis Salis marini: Commode & sublimationem experitur eodem ignis gradu, concorporatum videlicet prius partibus æqualibus limaturæ chalybis, vel, si libet, æquæ portioni squammarum illarum exiguarum ferri, circa incudes Fabricum ferratorum decussarum, unde exsurgunt Flores contra Febrem quartanam admodum decantati, initio paroxysmi febrilis præbendi, quinque aut sex granorum pondere ad usque scrupulum unum, ex vino vel alio quopiam liquore, prægressis remediis catharticis aut emeticis.

Sed & hæc sublimandi Flores Salis Ammoniaci ratio admittenda, hoc videlicet commiscendo partibus æqualibus Salis Tartari aut Lapidis hamatris: At vero cum Sal Ammoniacum in sui compositione plurimum Sal volatile Urinosum complectatur, Vnam autem partem Salis Marini, partim acidi partim fixi; in elevatione porro florum seorsum ambo diversi spiritus colligi possint, Urinosus unus alter Acidus, quos idem Sal intra suam substantiam continet, eorum præparationem ad capita sequentia remitto.



## CAPVT XXI.

*De Distillatione Spiritus Urinosi Salis Ammoniaci.*

**S**AL volatile urinx, conjunctum Sali volatili fuliginis, cum copia majori insit quam Sal marinum in compositione Salis Ammoniaci; postremum vero hoc alterum idoneum prestare nequeat ut ignis vi obstat, etsi ad tempus odorem urinosum illius suppressere valeat, fixitatisque speciem præbere, quamdiu ignis vehementiam non tolerat, ideo Sali marino aliud Sal fixum necessario roboris causa adjungendum, si distillationi subjiendum sit, aut in flores evehenda sola illius pars volatilis; alias futurum ut Sal volatile dum sublimatur secum abstrahat totum Sal marinum, idque particeps reddat naturæ suæ volatilis: ut ergo, spirituum forma, aut Florum, ascendat pars volatilis urinx, in fundo autem vasis subsistant partes tum fixa tum acida Salis marini, hic debet esse processus.

Accipiatur libra una Salis Ammoniaci, libra itidem una Salis Tartaris vel, si lubet quatuor libræ puriorum cinerum ligni quercini, undis non iactati, hæc contrita, & simul Cucurbita non exigua excepta hac autem Arenæ Balneo commissa, mistura dicta irroretur aquæ semi libra, illico autem cooperta Cucurbita, superimposito Alembico, accurateque luto obductis commissuris, admota charta & amylo aut vesica madida, adaptato præterea & luto munito exiguo Recipiente rostro Alembici, infra Balneum accendendus erit ignis carbonum moderatus, per quinque vel sex horas producendus, vel eoque donec universus spiritus volatilis Salis Ammoniaci in Recipiens extillarit, cuncti autem Flores sublimatione evecti sint, partem in Alembicum, partim in cucurbitæ latera supra materias: Postmodum refrigeratis vasis in Recipiente deprehetur spiritus volatilis subtilissimus, cuius neque nares neque oculi vehementiæ patientes sunt futuri, ob insignem penetrandi vim, recondendi in lagena vitrea densa accuratissime occludenda; seorsum etiam eodem temporis momento flores Alembici, & eos qui Cucurbitæ adhæserunt, in lagena itidem vitrea densa, rite quoque obturanda, repositos adservando.

A me præceptum ut sine mora Cucurbitæ Alembicus imponeretur, statim ac aqua materiis affusa fuerit, eo quod ob insignem convenientiam, ac propensionem ad unitatem mutuam Salis Tartari cum Acido Salis marini, illico ambo congregiuntur, præsertim si addita fuerit aqua.



cujus ope dissoluta salia facilius invicem agunt & reagunt, majori celeritate quam ante dissolutionem: Eapropter etiam sal volatile urinæ, in compositione Salis Ammoniaci admissum, extricatum à vinculis Salis marini, sursum effertur, odore suo penetrabili illico sese prodens, sursum evehctum, sicuti modo innui, partim forma spiritus, qui proprie nihil aliud est quam Sal volatile in aqua qua salia irrorata fuere resolutum; partim Florum ab igne elatorum & impulsorum in Alembicum, vel ad latera superiora Cucurbitæ.

Spiritus volatilis salis Armoniaci exhibitus à semisrupulo ad semidrachmam, imo & drachmam integram ex liquoribus adpropriatis, potentissimum est Hidroticum: Eapropter etiam adhiberi solet felici successu ad curationem febrium malignarum, cunctorumque morborum in quibus provocandi sudores, quinimo & in lue Venetea, si præsertim Mercurius perperam adhibitus fuerit, vel nimia copia, spiritus enim iste impellit, ac per poros cutaneos Mercurium in habitu corporis subsistentem extrudit, præsertim partibus solidis, in Apoplexia, Epilepsia, Lethargo, ac plerisque cerebri affectibus præsentaneo est auxilio, tam ore adsumptus quam naribus admotus: aperit enim, penetrat, incidit, subrilesque reddit materias crassas ac viscidas, tum resolvit discutitque cunctos vapores ex inferioribus partibus sublatos, ventriculos cerebri adimplentes, Vertiginem inducentes, aliâque molesta symptomata, influxum spirituum necessarium intercipientia functionesque omnium partium: Quapropter etiam admodum convenit in Syncope, Cordis debilitate & palpitatione, speciatim absumendis vaporibus ex Vtero oriundis: Putredinem potentet cohibet, Vermes enecat, viscerum omnium obstructiones referat, ac præsertim meatuum lotiæ excretioni dicatorum, dummodo commixtus fuerit quibusdam salibus fixis vel acidis qui efficaciam illius ad loca dicta deferant: Commode quoque & in usum venit ad affectus Scorbuticos, ob vim qua pollet massam sanguineam defæcandi, circulationemque illius promovendi.

Commiscetur variis Aquis stillatitiis, tum simplicibus tum compositis, Tincturis, Syrupis, Extractis, Confectionibus aliisque præparationibus Galenicis & Chymicis; remiscendo à scrupulo vno ad duos, septem vel octo liquoris vncii, ex omnibus Misturas componendo, exhibendas per intervalla medio pastuum intervallo, ad vnum vel alterum cochleare vnaquaque vice, præsertim in morbis chronicis, aut in recidivas proclivibus.

Spiritus volatilis salis Ammoniaci, cum nihil sit aliud quam pars volatilis, aut Flores ejusdem salis, in quadam phlegmatis portione dissolutis, eadem dotes assignandæ, dummodo reconditi fuerint



in lagena vitrea densissima, accuratissime ocludenda: Dosis nihilominus paulo parcior esse debet, quod careant humiditate spiritus volatilil comite.

Ad quorundam mentem Sali Ammoniaci commisceri posset tertium tantum calcis vivæ pulveratæ, ad eliciendum spiritum volatilem, sed nihil emolumenti inde sperandum, eo quod si postmodum spiritus acidus salis marini eliciendus esset, res successu caretet, quandoquidem sal, ac pars terrestris calcis vivæ, cum dominium obtineant in partem acidam salis, impedimento futura sint ne idem Sal spiritus suos effundat, si illos evocare animus est, id quod Sal Tartari prohibitorum non est: Neque etiam credendum Calcem vivam, nec Sal Tartari, si Sali Ammoniaci commiscenda veniant, cum spiritus volatilil ex illis educendus est, aut Flores, infractura esse vim salis marini, quod partem compositionis salis Armoniaci constituit, cum contra à salibus fixis robur accipiat, naturam suam per ea tueatur ac facultates proprias; quandoquidem sal marinum, etsi ad tempus partem volatilem salis marini morari queat, tum quamdiu præparatio instituitur, tum hac absoluta, dummodo suo in statu detineatur, nihilominus tamen illum coercere nequit, neque idemmet subsistere, si vna ignis vehementiam experiri debeant, Tunc enim pars volatilil salis Ammoniaci Acidum cum imperu adgreditur, sursum id secum evehit, tantum abest vt ab acido cohiberi valeat, cum & hoc ipsum abripiatur, tunc inquam vim volatilil retundere nequit ab igne impulsu, nisi robur adeptum sit ab addito sale quopiam fixo, quod copia superans partem volatilem salis Ammoniaci, in sal marinum dominium obtinentis, postmodum hoc corroborare valeat, ac prohibere ne id sal volatile per sublimationem aut distillationem evehat.

Id enim ratum esse debet, ob intimam dispositionem partis acidæ salis marini versus salia fixa potius quam volatilia, quo illis conjungatur, salia fixa ipsi copulata id omnino cohibere sibi que adsumere, prohiberéque ne pars volatilil salis Ammoniaci id abstrahat, id quod præstitura esset si hujus partes intra poros illius adeo intricatæ non essent: Si enim salia fixa, hic à quibusdam additi solita, salis marini vim infringerent, sicuti existimant, postmodum non amplius idoneum esset spiritui suo acido effundendo; sicuti alias, quando salis Tartari adjunctum & coadunatum à sale volatili evtricatum fuit: Sin ex se satis potens esset, non concurrente sale isto fixo, non se abstrahi pateretur à parte volatili, sicuti solitario contingit, id quod experientia confirmatura est, si ad illam provocatum fuerit.



Etiamsi porro commistio Salis alicuius fixi cum Sale Ammoniaco cohibeat & robur addat partibus acidis & fixis Salis marini, dum partem urinosam volatilē dimittit, eamque idoneam reddit vt in spiritus aut flores converti queat, illorum tamen agendi ratio admodum debilis est & ignava, nisi liquor quispiam Salibus istis prius commistis affusus fuerit; liquor autem hic quodammodo dissolvens acidum Salis marini, ac Sal fixum recens additum, hac ratione idonea fiant actioni reciprocae invicem exercendae, & unita corpus singulare constituent, interim dum Sal volatile vrinofum pristinam indolem recuperat, acidum autem & sal fixum in fundo subsident: priori autem non denegata innata libertate sursum id evehitur, nares illico & oculos acri suo odore feriens.

Etiamsi vero aquae additio admodum conducere videatur distillationi spiritus vrinosi, ac sublimationi florum salis Ammoniaci, eo quod salium dissolutione facta faciliorem reddit coniunctionem Acidi Salis marini cum salibus fixis, locumque concedit maiori separationi partis salinae volatilē à fixiori, non tamen inde colligendum est non posse educi spiritum volatilem vrinofum ex salibus istis simul conjunctis, nisi quodpiam humidum accesserit, imo quin nequeat sublimari florum insignis copia, dummodo Cucurbitae tres circiter partes vacent, vasa luto accurate obducta sint, regatur vere eo modo ignis vt praecipuum nimis non sit distillatio spiritus, aut sublimatio florum: Ista enim salia cum ab aere vt plurimum humorem aliquem admittant, apum natum dissolvere, atque Acidi quandam portionem sali fixo adjungere, idem humor postmodum igne impulsus, atque in apores necessario conversus, dissolvit etiam ac secum evehit nonnullam portionem salis volatilē vrinosi fixo derelicto; quo fit vt demum liquoris forma in Recipiens exstillet, interim dum, etiamsi humidum deficiat, conjunctio maximae partis Acidi cum sale fixo paulatim necessario succedit, quantumvis lentius procedat, minorique perfectione, atque ansam praebet secretioni maximae partis salis volatilē, illiusque in flores sublimationi.

## CAPVT XXII.

### *De Distillatione Spiritus Acidi Salis Ammoniaci.*

**S**piritus Acidus Salis Ammoniaci cum tantummodo ortum ducat & parte acida Salis marini, postremi autem hujus portio in compositione istius Salis Ammoniaci multo minor sit quam Salis volatilē vrinosi,



nos, hinc spiritus iste ab aliis substantiis vix separabilis est, quamdiu volatilis commixta hæret: Eapropter initium distillationis ab illa ducitur, Spiritus vero Acidi tantummodo suscipitur cum volatilis illi locum cesserit.

Magma à distillatione Spiritus volatilis in Cucurbita superstes adfirmare licet, id pulverisatum, ac commixtum quater tantum Boli vulgaris, itidem pulverisati, conjicere in Retortam, hacque Furno Reverberij clauso imposita, ad commodatoque ejus rostro, lutoque obducto grandi Recipiente, igne gradatim adhibito Spiritum Acidum educere.

Sed & aliter res transigi potest, nam præparando optimum Spiritum Salis Ammoniaci, & simul acquirendo utiles partes materiarum commistaturum, consequi tandem dabitur Spiritum Acidum.

Eapropter prius in pulverem comminutis libris duabus Salis Ammoniaci, ac tantundem Lapidis Hæmatitis, iisque commistis, unaque conjectis in capacem Retortam vitream, hæc Balneo arenæ committenda erit, qua Alembico proprio cooperta, adaptatoque ejus rostro Recipiente, & accuratissime luto obductis omnibus commissuris vasorum, infra Balneum ignis initio micissimus accédendus erit, paulatim gradatimque intendendus, donec ad summam tandem vehementiam deducatur, eo in statu illum producendo per quinque aut sex horas; post sponte frigefactis vasis, in Recipiente obvius erit spiritus volatilis urinosus Salis Ammoniaci, odoris admodum penetrabilis, in lagena vitrea densa accuratissime occludenda adservandus; In Alembico autem & circa cucurbitæ latera, supra materias, occurrent Flores Salis Ammoniaci, coloris flavi, eo in statu, si lubet, adservandi, in lagena vitrea densa, probe occludenda reponendi.

Sed uberior erit proventus, si prius illis subtilissime pulverisatis, ac Matratio exceptis, extracta fuerit Tinctura ad fuso optimo vini spiritu, mediis ordinariis lenissimis, postmodum autem colo trajectis cunctis Tincturis, spiritus abstractus fuerit Balneo Mariæ, ad siccitatem usque Salis, elegantioris ipsi floribus futuri, colore & odore aromatico crocum referentis: Potest & talis conservari, aut in cella vinaria repositus resolutioni in liquorem exponi, aureum colorem referentem, exhibendum à quinque aut sex guttis ad decem aut duodecim, ex liquoribus adpropriatis, quodvis obstructionum genus, præsertim hypochondriorum referare aptum natum.

Cum porro pars Acida Salis Ammoniaci in fundo Cucurbitæ adhæserit, commixta subsidentia Lapidis Hæmatitis; prius comminutis & permistis omnibus cum triplo pondere terræ figulinæ exsiccatæ & con-



tritæ, excipienda erunt capaci Retorta argillacea luto obtecta, qua imposita furno Reverberij clauso, ad commodatoque ejus rostro grandi Recipiente probe incrustato, suscipienda erit distillatio igne gradatim accenso, in omnibus more solito procedendo, quoad ejusmodi spirituum extractionem; sic consequi dabitur spiritum flavum, sapore acidum, multo suaviorum, ac ad plurimos usus magis idoneum eo qui è sale marino educitur.

Licet etiam præparare Spiritum Urinosum ex floribus, & Spiritum acidum Salis Ammoniaci, imprægnatum Chalybis facultatibus; hac methodo.

Conterantur & commisceantur libræ duæ Salis Ammoniaci equali limaturæ Chalybis quantitati, simul committantur grandi Cucurbitæ vitreæ Balneo arenæ impositæ, qua proprio Alembico cooperta, rostro illius adaptato Recipiente, lutoque accurate communitis juncturis, accendendus erit, & aliquandiu fovendus ignis sub Balneo mitissimus, paulatim ac per gradus ad summum usque intendendus, eodemque in omnibus processu genere servato ad distillationem & sublimationem istius salis cum lapide Hæmatite; seorsum recondendus erit spiritus urinosus in lagenâ vitrea densissima, accuratissime obturanda: Demum collectis floribus fuscis, Alembico adhærentibus, ac lateribus Cucurbitæ, supra materias elatis; contrita & commixta subsidentia cum floribus, omnibusque vase idoneo exceptis, die nocteque sub divo exponenda erunt per aliquot septimanarum decursum, demum paulatim supra materias conspicuus erit quasi flos extans, illæ humescentes emollientur, coloremque cineritium ad flavum vergentem adipiscuntur, simulque saporem acutum, acrem & vitriolatum, ad finem Martis saporis ad dulcedinem vergenti, Tunc exceptis omnibus grandi Cucurbita argillacea, luto obducta, amplo collo donata, hæc imponenda erit Furno Reverberij clauso, post adposito illi grandi Recipiente, accurateque loricatis cunctis commissuris, suscipiatur distillatio igne aperto, initio mitissimo, demum per gradus ad aucto ad extremam usque vehementiam, eodem modo producto ac ad distillationem cum lapide hæmatite: Sic obtinebimus spiritum Acidum, coloris aurei, igne lenissimo, si lubet, rectificandum ad secretionem partis aqueæ, in hac quam in præcedente copiosioris, ratione humiditatis ambientis se illi adjungentis.

Maximæ commendationis est hic spiritus ad referendas cunctas obstructions imi ventris; ad atterendo, & expellendos Calculos, Dolores Intestinorum demulcendos, illa sicuti & Ventriculum roboranda,



randa, Iecur & Lienem: Præbendus à quinque aut sex ad decem vel duodecim guttas ex liquoribus adpropriatis.

Si quis commiscere Flores cum massa residua à distillatione Spiritus Vrinosi recuset, adsumat is dimidiæ partem ponderis Salis Ammoniaci recentis, illisque commisceat, omnibusque Arenæ Balneo commissis, in Cucurbita vitrea Alembico suo instructa accurate lutato, cui adjunctum sit Recipiens similiter loriatum, sublimari curet, hinc exsurgent Flores flavi, ac insimul paucus Spiritus Acidi & Vrinosi particeps, eosdem ad fines in usum illos adducendo sicuti Spiritus à me memoratos.

Qualitates dissimiles Spiritus Vrinosi & Spiritus Acidi, ex Sale Ammoniacico educti, illos forte in admirationem pertrahent quibus nota hujus Salis exterioris facies, intima autem ejus compositio ignota uti & indoles Salium illud constituentium; Neque minus suspiciendum est compositum Sal ex duobus his contrariis Spiritibus emergens; ac præterea quod duo liquores limpidi, cujusmodi sunt illi spiritus, adsumere queant corpus, figuram & saporem Salis, nulla accedente materia extranea, quæ quoquomodo concurrat & coadjuvet hanc concorporationem: Hæc tamen cum ab experientia confirmationem accipiant, dubitandi omnis ansa subtrahitur, si præsertim quispiam huic experimento attendat, ab immisso scilicet Cucurbitæ Spiritu Acido Salis Ammoniaci, sique illi paulatim & per vices affusus fuerit spiritus urinosus ejusdem Salis, aut eodem vase exceptus spiritus urinosus, superfusus itidem spiritus acidus, donec nulla amplius adpareat ebullitio, Ambos Spiritus conjunctos, ac quasi reciproca reactione se invicem pervadentes, non modo sapore quo ante conjunctionem pollebant unumquemque exutum deprehensum iri, sed si aliquantisper Cucurbita illos comprehendens Balneo arenæ aut cinerum admota fuerit, igne moderato adhibito, manifestum futurum, phlegmate insipido, illis remisto, in auras facessente, corpus illos readsumpturos, figuram ac quasvis Salis qualitates, utroque tamen incolumi, qui iterum non inidonei futuri ut pristinæ Spiritus formæ restituantur, si quando Artifex segregare instituat Sale quopiam fixo mediante.



## CAPVT XXIII.

*De Preparationibus Vitrioli.*

**A**B omni ævo Vitriolum in censu Salium fuit repositum, etsi nonnulli non immerito ab eorum indole multum recedere statuunt, atque Sal singulari natura donatum existiment, constans ex spiritu acido ad Sulphureum plurimum accedente, ac particulis quibusdam ferrei & æneis, aliòve quopiam metallo, vel materia metallica, nonnihil terrestri, huic eidem spiritui in terræ visceribus obvia, quibuscum concorporatum Salis formam adsumpsit: Varietas substantiæ & colorum Chalcanthorum, ac partium illa constituentium, non parum huic opinioni fovendæ contulit, etiamsi enim quoddam Vitriolum occurrat, ac nominatim album, cujusvis metalli expert, vel materiæ metallicæ sensibus obviæ, attamen cæterorum pars maxima particulas in se ferreas aut cupreas, ac sæpe utrasque conjunctim obtinent; adeo ut non inconsiderate electio facienda sit, sed ad effectus optatos ad commodanda, ratione habita substantiarum, compositionis illorum partem constituentium: Ideoque si solummodo referandi sint meatus, ac partes simul & semel corroborandæ, vitriolum solius ferri particeps admittendum sit; si vi emetica opus fuerit, id quod plurimo ære donatum disquirendum sit.

Ab omni ævo plurimo in usu habuit Vitriolum utraque Pharmacia: Imo nonnulli, qui Remedium universale anxie disquisiverunt, id in Vitriolo latitare existimaverunt, hac ratione ducti quod vox *Vitriolum* in se mysticum quid involveret, unaquæque quippe litera vim vocabuli implicaret, sic explicandi, *Visitando Interiora Terræ, Rectificando Invenies Occultum Lapidem veram Medicinam.*

Sed neque hæc figmenta, nec quicquid hac de re adferri potest, Vitrioli naturam immutant: A colore enim, & generationis loco, cum illius discrimina fere petantur, indeque compositionis diversitas manifesta fiat, uti & qualitatum varietas, Aliud nihil allaturus sum quam colorem cœruleum tum in Vitriolo, tum in Aquis; cum sit nota intrinseca & maxime essentialis Cupri existentia inter alias substantias, nemini dubium esse debere quin Vitriolum Cyprium, aut cupreum, illud sit quod maxime istius metalli particeps est; Porro, cum color viridis ex cœruleo & flavo constet; viridis autem maxime obscurus, cœrulei plurimam partem obtineat, certissimum esse vitriolum viridissimum Cupri majorem.



majo rem copiam possidere eo qui remissionis est viriditatis, cujus color pallidus, ad flavum aut terreum accedit, prædominantis terræ est indicium, aut materiæ ferrugineæ ipsi concorporatæ: Verisimile quoque est Vitriolum album id esse quod omnium minime fit particeps substantiarum metallicarum: Rubrum colorem, nonnullis Chalcanti speciebus innatum quod attinet, à Physiologis nominibus Sori, Chalciridis & Misy expressum, is solummodo calori subterraneo adscribendus videtur, à quo color illi propemodum similis impressus est quem ignis ordinarius rebus sibi subjectis indere solet.

Salia cujuscunque naturæ fuerint, ac quantamcumque puritatem obtinere videantur, interius tamen perpetuo particulas terrestres fovent, baseos quasi vicem obtinentes, magis aut minus conspicuas pro majori aut minori divisione, adeo ut quæcunque dissolutio & filtratio adhibita fuerit, colo terrestre quidpiam perpetuo adhæreat; calcinationes autem fusioni tantum utiles sint, atque magis intimæ terrestrium ejusmodi partium cum Sale unioni, quam secernere animus est, promovendæ.

Hoc fundamento innixus, statuo minimè esse existimandum Vitriolum, cujus potissima materia est succus acidus, corrodingi vi præditus, reliquum vero constar tantummodo particulis terrestribus aut metallicis, ab eodem Acido corrosis, quibuscum figuram Salis adsumpsit, Non, inquam, existimandum Vitriolum non adundare particulis terrestribus aut metallicis, magis quam legitima Salia, ideoque fere vix possibile esse illud omnino ab iis liberare.

Neque tamen propterea non indagandæ viæ legitimæ ad ejusmodi scopum consequendum, sicubi illius depuratio est necessaria. Eapropter aliquando satis esse videtur Vitriolum in aqua communi dissolvere, id filtrare & crystallisare, eadem progrediendo ratione qua in cæteris Salibus.

Sed si ad perfectam purificationem deducendum sit, plurimæque partes terrestres secernendæ, quinimo & particule metallicæ illi semper intimius remixtæ, eorum illico evadentes, necesse est ad diuturnas digestiones confugere, quarum beneficio partes terrestriores & metallicas in imum liquorem præcipites feruntur; quo fit ut Crystalla deinceps acquisita colore multo elegantiora sint, magisque perspicua ipso vitriolo, priusquam ipsius depuratio suscepta fuerit.

Nonnulli compendium temporis quæsituri, dissolutioni Vitrioli novum quoddam acidum affundunt, nominatim Nitri liquorem, vel Acetum stillaticium, quæ parti Salinæ fixæ Vitrioli se adjunctentia, efficiunt ut particulas terrestres aut metallicas ab ipsis dissolutas dimittat, unde subsequitur ad imum liquorem præcipitatio. At vero hujusmodi



mediis solummodo quibusdam in casibus locus est, quando mistio huiusmodi Acidorum non reluctatur effectibus à Vitriolo eiusve partibus desideratis, ubi etiamnum illorum commistio forte necessaria est, sicuti id observare licet in Aqua sequenti.

*Aqua Styptica Domini Matte la Faveur  
Distillatoris Monspeliensis.*

Dissolvantur in sufficienti quantitate aquæ communis Vitrioli libræ viginti quinque; dissolutio hæc per linteum crassius traducta, igni imponatur excepta cacabo æneo; post nonnullas ebullitiones, remotumque ab igne vas, illico liquori affundatur libra vna spiritus Aceti, præcipiendæ causa in vasis fundum partis terrestris Vitrioli, improprio Sulphuris nomine donatæ; demum liquore per decem aut duodecem horas quiescente, quo pars terrestris universa illuc confluat & congregetur, liquor supernatans decantandus erit, postea probe eluto, dulcorato & exsiccato supra cineres calidos pulvere in fundo subsidente, hujus vnciæ octo immittantur Retortæ vitreæ, superaffusisque spiritus Vitrioli optime dephlegmati libris octo, commissaque Retorta Balneo Arenæ, suscipienda erit distillatio igne gradatim adhibito, mitiori initio, tandem vehementissimo, pergendo eousque donec ex Retorta nihil amplius exstillet: Demum sponte refrigeratis vasis, effracta Retorta, contusaque massa superstite, hæc matratio indatur, quod post affusum spiritum Vini cum sale Tartari rectificatum, donec illi supereminet quinque vel sex transversis digitis, coopertumque matrarium, appositum Alembicum cœcum accuratissime ioricatum, id exponendum erit Balneo Digestionis per viginti quatuor horas, postmodum spiritus Vini, cui intensissimus color ruber conciliatus, calide per chartam emporeticam transmittendus, qui demum per alembicum vitreum eductus, leni evaporationi subjiciatur ad ficcitatem usque subsidentię, in fundo relicto pulvere candicante, cuius unciæ uni affundantur aquæ pluvie unciæ quatuor; Mistura autem hæc per aliquot dies Soli exponatur, filtretur liquor, Aquam Stypticam exhibens ad quamvis Hæmorrhagiam compescendam idoneam.

Aquam hanc insertam volui Vitrioli præparationibus, ex mandato Domini D'Aquin, primarij Majestatis Regiæ Medici, cui cum ab Authore exhibita fuisset, & coram illo confecta, munus & titulum Distillatoris Chymici Regij Monspeliensis in illius gratiam à Rege consequutus est, quo hætenus nemo donatus fuerat.

Dictus D. la Faveur aliam præterea Aquam Stypticam præparavit, ejusdem cum præcedenti facultatis, etsi aliquantisper discrepantis, quæ sic habet.



Vitrioli Pizani libræ septem vel octo decoquantur in Aquæ libris sexdecim, dissoluto autem Vitriolo, & ab igne remoto, superfundatur semilibra spiritus Aceti; demum sponte subsidentibus materiis, decantatôque liquore, Pulvis in fundum præcipitatus eluendus erit, dulcorandus & exsiccandus; quo postea Retorta vitrea, ima parte soluta luto incrustata excepto, superinfusôque duplo pondere spiritus Vitrioli optime rectificati, instituenda erit Distillatio igne nudo, sed moderato, ad siccitatem vsque materiæ, quæ cineritij coloris evadet; Postea effracta Retorta, contrita massa crucilulo immittenda erit, super candentes carbones, spatula ferrea assidue commovendo quousque flavescentem colorem nanciscatur: Tunc in mortarium conjicienda erit, optime conterenda; huius uncix duæ Matratio excipiendæ, additis aquæ communis libris tribus, præmissaque per semihoram digestionem, liquor hic per chartam emporeticam transmittendus, in lagena vitrea densa accurate ocludenda adservandus, quamvis hæmorrhagiam exterius admitus cohibens.

## CAPUT XXIV.

*De Præcipitatis, Terris, aut Sulphuribus Vitrioli.*

**V**itrioli purificatio ope diuturnarum & repetitarum distillationum in aqua communi peracta, ac præparatio Aquæ stypticæ à me modo descriptæ, aperte ostendunt præcipitationem plurimarum partium terrestrium Vitrioli: Aliis vero mediis institui potest præcipitatio, & perfectior separatio partium solidarum ab acido spiritu Vitrioli dissolutarum, quam nonnulli simplici nomine Terræ indigitant, aut Terræ metallicæ, alij Sulphuris Vitrioli.

Nonnulli adsumptum Vitriolum viridissimum & crystallinum, in aqua pluvia calente dissolvunt, filtrationeque præmissa paulatim superaffundunt liquorem Tartari, vel lixivium cinerum clavellatorum donec nulla amplius excitetur ebullitio, eo fine ut Acidum Vitrioli, & sal fixum Tartari, aut cinerum clavellatorum in se invicem agant, junctis vero substantia & viribus, prius illorum dimittere cogatur materiam à se dissolutam, in imum terræ speciei devolvendam, quæ pluribus aquis eluitur & exsiccat, effuso per decantationem, & seorsim reposito liquore supernatante.

Huic Terræ nomen Sulphuris dulcis Vitrioli impositum est, etsi non apposite, quandoquidem revera nihil aliud est quam Terra metallica,



quam conferre aiunt potissimum curandis affectibus Pulmonum, & perurgandis, ac ad cicatricem deducendis vulneribus & ulceribus, sicuti & necandis lumbricis.

Neque tamen credendum decantatione effusum Vitrioli liquorem, terræ supernatantem, præcipatione ad imum detrusæ, nullius usus esse, non enim repudiandus est, quippe qui in se contineat partem purissimam acidam & salinam Vitrioli, parti salinæ Vitriolæ fixæ Tartari, aut cinerum clavellatorum conjunctam; cum præterea ex isto liquore optimum remedium exurgere queat, præmissa præcipatione Terræ Vitrioli cum liquore Tartari; Eo enim pacto pars terrestris, naturaliter in sale Tartari occulta, una cum Terra Vitrioli præcipitatur, dum ab adjunctione partis acidæ Vitrioli, cum Salina fixa Tartari, & evaporatione aquæ infusæ, in fundo vasis deprehenditur Sal purum & crystallinum ex utroque sale compositum; cuius effectus discrepant ab iis quæ edunt salia vitrioli ordinaria, vi emetica prædita; hoc quippe per inferiora tantum expurgat, perquam raro vero vomitum ciet, exhibitum à semidrachma ad integram; in febribus Intermittentibus insigne, si præsertim purganda sit melancholia.

Adposuissimè Vitriolum Martis vulgari substitui potest, quo dissoluto in aqua pluvia stillatitia, aut Vitrioli pblegmate, præmissaque digestionem in matratio per aliquod tempus, filtrandus liquor, demum præcipitandus una cum liquore Tartari, secretio neque facta, lotionem & exsiccationem Terræ præcipitatæ; Salium humiditas evaporanda, & una in crystallis deducenda, ad usum adservanda: Cum enim à Martis adstrictiva vi melius emendetur facultas Vitrioli vomitoria, ideo istud sal idoneum evadit movendæ alvo aut urinæ.

Nōnulli immixtis Cucurbitæ parte una limaturæ chalybis, partibus duabus Vitrioli electi, affundunt Acetum stillatitium donec duobus aut tribus digitis supernatet, demum commissa Cucurbita Balneo Arenæ, humiditatem in vapores absumi curant ad siccitatē usque materierum, imo & donec rubescant, Postea sponte frigefactis vasis, contrita massa, & in aliam Cucurbitam immixta, superfundunt iterum Acetum distillatum, quousque quatuor aut quinque digitis superemineat; omnibusque in digestionem positis, quousque acetum ruborem intensum acquirat, Tincturam hanc filtrant, affuso liquore Tartari præcipitant, hac methodo verum Sulphur Vitrioli consequuntur se sperantes.

Alij feliciori viæ se insistere rati, prius dissolutione Vitrioli Martis facta, aut Vitrioli vulgaris in aqua, hoc liquore limaturæ Chalybis irrorant, quæ Balneo Arenæ exsiccata, iterum eadem dissolutione irrorant, eodémque Balneo exsiccant, in exsiccatione & irroratione Limaturæ pergendo, donec



nec summum ruborem adepta sit; demum ex contrita massa ope aceti stillaticij eliciunt Tincturam, eandem filtrant, ac infuso liquore Tartati præcipitant, inde sulphur Vitrioli se educturos esse rati cui Anodynæ titulum indunt, imo Landano æquipollere censent: At vero nihil mirum si pollicitis non respondeat eventus, quandoquidem supposititium illud sulphur aliud revera nihil est quam terra metallica.

## C A P U T XXV.

*De Distillatione Vitrioli.*

**Q**ui contemptui habent partem substantiarum è Vitriolo eliciendarum; primum præterea solum & secundum spiritum disquirunt, ac temporis ad distillationem necessarij compendium quærentes negligunt indagare in posteriore hoc spiritu quicquid virium & penetrabilitatis illi inesse potest, si solum Vitriolum Anglicum admittunt, quod cum verissimiliter Ferri magis quam Aeris sit particeps, minusque obtineat salis fixi, at multo plus salis Acidi Aëris quam pleraque Chalcanthorum genera, ideoque partes minus compactas cum habent, citius minorique labore spiritus suos profundit.

Neque tamen ideo existimantium Vitriolum Anglicum omnino destitutum esse particulis cupreis, sicuti à quibusdam proditum est, quandoquidem si illis omnino careret, ferrum autem copiose inesset, per calcinationem conspicuum esset ex colore fusco prædominante; cum vice versa color ruber in hujusmodi Vitriolo cito manifestus, sicuti in cæteris (excepto tamen Albio) si igni vehementiori tradita fuerint, indicium sit certissimum cupri in eo latitantis, etsi minima quantitate; non secus ac color ruber in viridi æris igni exposito elucescens, testimonium præbet luculentum id donatum esse plurimis cupri particulis.

Sed etiam si pretium non modicum, & insignis copia particularum cuprearum in Vitriolo Cyprio conclusarum (quarum cœruleus color notam indubiam præbet) in causa sint cur rarius in usum accersatur spiritus eliciendi gratia, id tamen compertum est Angelum Salam, Schroderum, plurimosque alios Auctores jubere distillationis gratia accipi Vitriolum mediæ naturæ, in quo plurimæ particulæ æneæ delitescant: At vero experimento comprobatum est Vitriolum Germanicum, elegantij crystallorum viridium forma præditum, ac proinde cupro magis imprægnatum quam Anglicum, id esse quod spiritus omnium generosissimos suppeditat, eosque copiosissimos: quo fit ut ad distillationem Anglicum admitti non soleat, nisi magis expetenda veniat Martis adstrictio quam spiritus vis penetrabilis.



Vt porro cunctæ Vitrioli partes utiles in usum accersantur, illius electione facta quod ad rem magis facere videtur, coniiciatur id in cucurbitam vitream humilem, ea copia quæ dimidiam hujus capacitatem adimpleat, Balneo Mariæ commissam, huic Alembico proprio imposito, ad commodatoque illius rostro Recipiente, & accurate commissuris omnibus luto obductis, Balneo fervor absque irremissione conciliandus, usque quo in Recipiens nihil amplius distillet, demum sponte semirefrigeratis vasis, decrustatoque Recipiente, in lagenâ rite occludenda recondenda erit Aqua exstillata, cui Auctores nomen Roris Vitrioli indidere, quam proficuum potissimum censent adversus Cephalalgiam, & ad robur cunctorum viscerum, sicuti & ad refocillationem calidi, innati, drachmarum duarum pondere illam exhibendo, ab usu non desistendo, præsertim vere & purgatione prævia.

Eodem tempore Cucurbita à Balneo Maris removenda est, cui substituendum Arenæ Balneum, loriceque iterum Recipientis commissuris, igne validiori quam Balnei æstuantis, omnis aqua quantum licuerit elicienda est, limpida proditura, odoris grati, quæ seorsim ut adservetur non indigna est, utpote Renibus abstergendis idonea, meatibus urinariis referendis, corrosionibusque internis leniendis, drachmæ pondo illam præbendo ex carniû jure: Vulaerum quoque inflammationes extinguit, dolorem sopit, atque admota ad cicatricem perducit: Scabiei etiam curandæ non parum conducit.

Vtraque hac Aqua non inutili educta, omninoque sponte refrigerato Arenæ Balneo, massa in Cucurbitula residua conterenda est, atque Retortæ argillaceæ, luto obductæ immittenda, partes duas illius implendo, furno Reverberij clauso demum imponendæ, ad commodato autem ejus rostro magno Recipiente, accuratissime luto incrustando, suscipienda erit distillatio igne gradatim adhibito, initio miti, demum seorsim & per intervalla adaugendo, ad ultimam tandem vehementiam perducendo, eoque in statu conservando quousque ex Retorta nulli amplius vapores prodire conspiciantur, Recipiens autem omnino pellucidum adpareat; Quo tempore sponte perfrigeratis vasis, decrustatoque Recipiente, infundendus erit liquor distillatione elicited in lagenam vitream densam, qua optime occlusa spiritus ad usus custodiatur.

Vel, si libet, idem spiritus Cucurbita vitrea excipiendus, qua Balneo Arenæ imposita, Alembico superaddito, admoto illius rostro Recipiente, accurate lato obductis cunctis juncturis, Igne moderato primo extrahendus spiritus sulphureus, subtilissimus & admodum penetrabilis, in lagenâ vitrea densa, exactissime occlusa, seorsim custodiendus, Deinde producto igne Phlegma impellendum & distillandum,



dum, postmodum sequuturus, spiritus nonnihil Acidus; In fundo autem Cucurbitæ obvius erit spiritus gravissimus & acerrimus, cui immerito nomen Olei Vitrioli impostum fuit.

Vitriolum emittit spiritus forma nubecularum candicantium, ritu cæterorum Salium, Nitro excepto, cujus vapores rubescunt; at ob partium illius constrictionem spiritus tardius evehuntur, Ignis enim per triiduum aut quatruiduum integrum producendus, imò quandoque diutius, si præsertim distillationi Vitriolum Germanicum expositum fuerit, cum ultimos spiritus educere animus est, Sique ignis urgendus donec intra Recipiens id conspicuum fiat quod vocant *la Pistole*, scilicet orificium Retortæ admodum candens, indicio certo ex illa nihil amplius prodire, cunctos autem vapores in Recipiens resolutos extillasse.

Porro cum postremi spiritus summa corrodendi vi præditi sint, imprægnati substantiis metallicis in Vitriolo contentis, intercipienda erit distillationis series exactis duodecim horis, postquam vapores albi in conspectum se dedere, aut cum guttæ nonnullæ ad fuscèdinem vergentes collo Recipientis adhærentes adparebunt.

Neque tamen id prohibet quin decrustato Recipiente, humefacto luto commissuras conjungente ope calidæ aquæ, reconditoque spiritu distillato, prædictum vas iterum admodum veri queat, luto adhuc investiendum, imò igne vehementissimo distillationem producere quousque Vitriolum quicquid spirituum obtinet effuderit.

Postremi hi spiritus à prioribus divulsi, aculeis tam duris atque acutis præditi sunt, ut momento temporis pervadant & corrodat eam substantiarum partem quarum poros subire valent, Etiam si vero nativa indole liquidi sint, fieri potest in productis distillationibus, ut tandem in Retorta dissolutis nonnullis particulis metallicis, aut terrestribus salinis, una cum illis in Recipiens recidant, ibique gelatinæ pellucidæ quandam speciem pariant; id quod nemini cuiquam mirum esse debet, quandoquidem spiritus acidi, qui ex sublimato corrosivo secedunt, in præparatione Butyri Antimonij, & nihil aliud sunt quam progenies Vitrioli & Salis, exiguo admodum temporis spatio, juvante igne exiguo, partem Antimonij Regulinam dissolvunt, una cum illis in Recipiens liquida forma decidui, quam vocant Oleum aut Butyrum glaciale, propter illius crassitiem & diaphaneitatem.

Iidem Spiritus, tam liquidi quam concreti, proprio phlegmate exuti, substantia pollent adeo compacta, & humoris adeo egena, ut non modo admodum graves sint, sed si præterea contingat ipsos sibi invicem occurrere, minima etiam copia, vel in maximo Recipiente, si forte paucissima



aqua affusa fuerit, protinus tam violento motu cicantur, tamque insignem æstum concipiunt, ut Recipiens, quantumvis solidum & densum, in fragmenta diffruant; Etiam si, me iudice, causa adscribenda non sit quibusdam particulis igneis horum spirituum, quacunque corrodingi vi prædicti sint, sed solum substantiæ illorum compactæ, ariditati & aviditati recuperandæ partis aquæ qua exuti fuere, uti & citato motui, vehementique æstui quem aquæ vicinia inducit, memento temporis dividens & diducens & expandens stupendum in modum cunctas illorum particulas.

Examen motus & caloris, etsi minorum, ab eadem aqua excicatorum quando remiscuntur spiritibus Vitrioli & Sulphuris, à phlegmate non liberatis, facile persuadebit quanto vehementiores esse debeant effectus prædictorum spirituum quando omnino phlegmate exuti fuere; At vero examen refrigerationis & tranquillitatis, exiguo post tempore succedentium intimæ illorum cum aqua conjunctioni, manifestum facturum est inique culpari partes igneas tanquam huius tumultus auctores, quandoquidem desinente motu, & calor & cæteri effectus protinus desinunt: Cum porro Aqua, hos spiritus aperte in tumultam ciens, contrarium omnino effectum editura sit, (nam innatum illi est ignem extinguere sopitis partibus illis igneis obsistere non admodum aptis) motus, & cuncti huius effectus desituri quoque essent, cum tamen iterato oborturi sint, ac ramdiu, donec spiritus illi aqua, cuius avidissimi sunt & famelici, ad satietatem expleti fuerint.

Prior ille spiritus Vitrioli, cum corrodingi eadem vi qua posterior non polleat, tutius ore adsumi poterit: Diuretica vi præditum est ac nonnihil diaphoretica: Incidit, attenuat, humorumque putredini obsistit: Appetitum amissum revocat, Obstructiones Iecoris, Lienis & Mesenterij referat; Februm ardorem temperat potui commixtus, à quatuor vel quinque ad duodecim vel quindecim guttas, aut ad gratum usque liquoris acorem: Ulcera linguæ & oris interiora curat solo attractu; Valet & in cunctis affectibus cutaneis, à pituita falsa genitis.

Terra metallica, in Vitriolo abundans, cum impedimento sit huius fusioni statim ac ignis humoris inexistentis maximam partem absumpsit; hæc autem consumptio cum acciderit antequam Vitriolum in Retortam conjectum fuerit, ideo commiscendæ non sunt substantiæ siccæ & aridæ, adici solitæ cæteris salibus, prohibendæ causa illorum fusionis quando eliciendi spiritus, sed solitarium, ita exsiccatum, in Retortam coniicitur: Imo ob terram, quæ non exigua copia illi inest, fusionem illam non admittit, & à Nitro non secedit, quocum commiscetur ad Aquæ Fortis præparationem.

Nonnulli Auctores post immixtum Vitriolum Cucurbitæ vitreæ, Balneo



neo cinerum impositæ, huic proprium Alembicum addunt, accurate luto obductis commissuris, admotoque Recipiente ejus rostro, igne moderato distillatione eliciunt Phlegma & Spiritum Acidum in eo existentia, demum cohobatione facta liquoris supra subsidentiam; iterataque distillatione & cohobatione septies vel octies, educunt tandem phlegma plurimo spiritui Acido commistum, cujus odor admodum suavis evadit, si per biduum aut triduum circulationi traditus fuerit in vaso idoneo, rite obturato, & arenæ imposito ad ignem digestionis.

Phlegma istud Acidum commendabile est, sicuti & spiritus Acidus Vitrioli, jam à me memoratus, ad discutendam Cephalalgiam & curationem Epilepsiæ: Dosis non aliis limitibus præscribenda quam ex suavitate saporis acidi, quam liquoribus quibuscum commiscantur conciliant: Omnis spiritus Vitrioli admodum conducit necandis Vermibus, corroborandoque Ventriculo & Intestinis: Singulariter vero phlegma Acidum Vitrioli inservit sistendis Hæmorrhagiis internis extinguendisque oculorum inflammationibus.

## C A P U T XXVI.

*De Spiritu Vitrioli Dulci, Et Nonnullis aliis Spiritibus Vitrioli.*

**Q**uidam Auctores præcipiunt affundi Spiritum Aceti Vitriolo calcinato, donec quatuor digitis superemineat, simul digestionem committi per aliquot dies, decantato autem liquore supernatante, seorsim ad servando, subsidentia alium Aceti spiritum affundi, digestionem iterari totidem diebus, liquore autem supernatante decantato & recondito una cum priori, novam fieri Aceti affusionem, septies etiam iterandam, sicuti cæteras operationes: Demum Tincturis omnibus Cucurbita vitrea exceptis, Balneo cinerum commissa, imposito illi idoneo Alembico, Aceti phlegma extrahi, sicuti & Vitrioli, igne miti, quousque Tincturarum subsidentia in mellis consistentiam spiffescat, qua postmodum arenæ aliquot manipulis remixta, vel materiæ cuiquam simili, mixtura autem hac Retortæ immissa, igne per gradus adhibito, educi spiritum Vitrioli, quem nuncupant Dulcem, sed præterquam quod iste spiritus acoris expers non est, veri spiritus Vitrioli nomine gaudere nequit, quippe qui potius est spiritus Aceti.

Alij digestionem præmissa Spiritus Vitrioli, affusi limaturæ Chalybis, aut Corallio, aut cuiquam rei non dissimili, in pulverem redactæ, ad cujus occursum spiritus Vitrioli aculei obtundantur; Vel sim-



pliciter remixto prædictis materiis spiritu Vitrioli, mediis solitis eliciunt Spiritum, sed minus pungentem, quod spoliatus sit plurimis partibus acidis ab istis materiis absorptis & cohibitis.

At vero hic spiritus omnino imperfectus censendus est, quandoquidem plurimis partibus utilibus exutus est: Imo illum repudiandum censeo, non secus ac priorem, cum omnium optima dulcorandi spiritum Vitrioli ratio sit eadem quæ reliquorum spirituum Salis & Nitri; illum commiscendo videlicet partibus æquis spiritus vini optime rectificati, misturam hanc multoties distillationi subiiciendo ex Alembico Vitreo, igne eiuorum, calore moderatissimo: Ex intima enim conjunctione eo modo facta partis acidæ spiritus Vitrioli, cum sulphurea salina volatili spiritus Vini, exurgit spiritus multo dulcior & quoad saporem, & quoad effectus ipso spiritu Vitrioli impermixto: Etiam si vero omnino concedendum sit spiritum hunc ex ambobus compositum esse, sincerius tamen de hoc sentiendum, quandoquidem unitas contigit absque alterutrius destructione; Ex novo autem contextu partium à prædicta conjunctione, quicquid violentum in utroque aderat retusum est: conjuncta autem actio naturæ nostræ magis congrua & conveniens: Quo fit ut usus istius Spiritus majorem vulgari usum præstet, iis præsertim quibus Acida minus conveniunt, ac pluribus affectibus conveniat, præsertim scorbuticis: Spiritus enim vini vim diaphoreticam spiritui Vitrioli impertitur, neque tamen facultatem deobstruentem infringit, nec corroborantem: Spiritus iste dozi paulo maiori præscribi potest non dulcorato.

Ex capite mortuo, à distillatione ultimi spiritus Vitrioli residuo, educi potest spiritus acidus, multo remissiorum virium eo qui more solito è Vitriolo elicitur, si nempe id illo in loco positum fuerit in quo Solis radios & Lunæ influxus aliorumque siderum admittat, una cum Aëris humiditate, à pluviis tamen tutum sit, Illic spatium plurimum mensium detinendum, vel, quod sæpius, etiam toto anno: Eo enim pacto terra Vitrioli arida, sale suo nativo destituta, non tamen fermento, Sal Acidum Aëris admissura est, ac quodammodo novam Vitrioli naturam indutura est, è quo mediis ordinariis decem vel duodecim horarum spatium, spiritum Acidum extrahere licet, suavissimum, quem nonnulli nominant *Spiritum Vitrioli regeneratum*, cujus usus tutissimus erit, & felix in cunctis affectibus in quos accersitur spiritus Vitrioli ordinarius, eadem dozi, iisdemque ex liquoribus præbendus.

Spiritus Vitrioli compositus hac ratione præparatur, Vitrioli ad rubedinem calcinati libræ quatuor conteruntur, ac commiscèntur silicum fluviatiliam calcinatorum libris quinque, & Salis Tartari ad albedinem calcinati libræ uni, his Retorta exceptis, hac vero furno Reverberij clauso



clauso imposita, distillatio fit igne gradatim adhibito more solito, donec phlegma cunctique spiritus prodierint: Postea sponte refrigeratis vasis, ac decrustato Recipiente, liquor in hoc contentus commiscetur subsidentia in Retorta residua, sterataque suscipitur Distillatio ad felicius eliciendum ex subsidentia partes omnes quae distillatione educi possunt; quamobrem bis vel ter iterum eademmet operationes instituuntur; hac ratione evocatur spiritus, quem plurimi auctores magnificiunt ad referendas obstructions Iecoris, Lienis omniumque viscerum, speciatim in Hydrope, Ictero, eodem modo in usum ducendo ac ceteros spiritus.

Paracelsus magnificat Spiritum Vitrioli quem vocant Correctum; hunc præparandum præcipit cohobando spiritum, affundendum reliquis Retorta exceptis post illius distillationem, iterata distillationi hanc subiiciendum; easdem cohobationes & distillationes repetendo octies vel novies: Dein jubet post ultimam affusionem spiritus distillati supra subsidentiam, additumque vini spiritum optime rectificatum, quantum satis est ut omnia in massam coire possint, hanc Retortæ imponi, igneque per gradus adhibito distillari sicuti prius: Spiritum hunc adversus morbum Herculeum extollens, exhibitum à quinque aut sex ad octo vel decem guttas, ex aqua aliqua cephalica.

Hartmannus miris laudibus effert spiritum quem Antepilepticum nominat, componitque ex partibus æquis Vitrioli Hungarici rite perpurcati, & Urinæ puerorum proba valetudine utentium, in Diplômate per aliquod tempus digestioni commissorum, curcubita vitrea cooperta exceptorum, demum eodem Balneo distillandorum; Ipso asserente, Prior Aqua extillans præstantissimum est remedium ad sedandos dolores Podagricos, parti dolenti admotum; Posterior autem singulare est præsidium in quibusvis oculorum affectibus.

Dehinc præcipit, præmissa contritione subsidentia, hac Retorta excepta, admoveri grande Recipiens probe loriatum illius rostro, elicique igne patente & gradatim adaucto spiritum austeri saporis, odoris sulphurei, eumque bis aut ter rectificari: spiritum hunc præsidium certissimum adversus Epilepsiam ait, quod puerilem omnino superet, si illius scrupulus unus remistus fuerit aquæ stillatitiæ radicum Præoniæ ac florum Tiliæ uncia uni, ac cochlear semis in paroxysmo exhibitum fuerit, in usu postmodum illius pro re nata pergendo.



## CAPVT XXVII.

*De Sale & Terra Vitrioli.*

**N**Ec satis est è Chalcantho distillationis ope Phlegma variosque spiritus in eo delitescentes eduxisse, In ea præterea illius parte, quam vocant Caput mortuum, quædam portio salina superstes, revera verum Vitriolum, disquirenda est, etsi maxima auctorum pars id à Vitriolo diversum quid, alteriusve indolis existimaverint: illud vero obtinere dabitur, id quod à distillatione relictum est elixiviando, filtratio neque facta humiditatem superfluam in vapores dissipando, Sale in fundo vasis coagulato demum se prodente, colore ad roseum accedente, ab impressis scilicet ignis vestigiis, Vitriolo ruborem inducentis: Istud Sal, Vitrioli sapore præditum, præcipuæ illius materiæ, iisdem quoque viribus præditum est & facultatibus, ac præsertim emeticis.

Sed etiamsi exigua hujus Salis copia, aut, ut verius dicam, Vitrioli, in Capite Mortuo post distillationem restibilis, disquisitionis & elixivationis labore indignum sit, necessitas tamen ad id impellit si modo Terram comitem obtinere voluerimus, cujus cuncti Auctores vim stypticam præsertim magnificiunt, Si enim sinceram nancisci libuerit, & elixiviandi labori parcendum sit, saltem repetita sæpius lotio requiritur, adeo ut omnino puram se exhibeat, omnis mixturæ partium salinarum Vitrioli expertem, si qualitatibus ipsi adscriptis frui voluerimus, quarum præcipuæ sunt Dysenterix curatio, Leienterix & Diarrhoeæ; cohibitio Vomitus & Hæmorrhagiæ cujusvis, tum internæ tum externæ: Ventriculi debilis & Intestinorum corroboratio ac Vulnerum & Ulcera perurgatio.

Sed etiamsi substantia Salina Vitriolica, è massa distillatione peracta residua, cunctis polleat qualitatibus quas Auctores Sali Vitrioli adsignavere, cum quantitas exigua exinde elicienda sit, potius Vitriolum Album in usum advocandum, in aqua filtro transmissa dissolutum, & in Crystalla deducta, vice Salis Vitrioli; eoque maxime quod ex illo cuncti, iique benigniores effectus expectandi sint qui in Sale Vitrioli expetuntur, inter quos hi præcipui sunt, per Vomitum aut Dejectiones vitiosorum humorum in Ventriculo contentorum, vel intestinis, excretio; Prohibitio vaporum ad cerebrum exinde exsurgentium, Epilepsiam inducere aptorum, aliosve effectus quibus obnoxium est: Lumbricorum internecio, Februm intermittentium curatio, Obstructionum Iecoris & Leonis apertio, sicuti & Renum ac ineatum urinæ vacuationi destinatum.

Præscribitur



Præscribitur à semisrupulo ad semidrachmam, imo & drachmam integram, ex jusculo vel liquore quopiam idoneo.

Licuiſſet hic plurimas Vitrioli præparationes inferere, at cum nullus illarum fit usus ideo à me prætermittuntur.

## C A P U T XXVIII.

*De Sulphuris Præparationibus.*

**I**Nſignis affinitas quæ ſpiritu acido Sulphuris cum illo qui è Vitriolo deducitur intercedit, cujus etiam priorem nonnulli cenſent eſſe baſin, me impellit ut immediate Sulphuris præparationes adducam: Sulphuris nomine hoc loco illud non accipio à cunctis Chymicis, quod una cum reliquis principium mixtorum omnium ſtatuitur, uti neque id quod ex Antimonio extrahi ſolet, ex Cinnabari, aliisque quibusdam mineralibus, quorum compositionem ingreditur, ſed Sulphur commune & vulgare, pro Reſina habitum, pinguedine, aut ſucco minerali, pingui & unguinoſo, in viſceribus terræ obvio, puro aut illi remixto, vel lapidibus, aut quibusdam aquis, è quibus artiſcioſe ſecernitur.

Pars reſinoſa & inflammabilis majori reperitur copia in Sulphuris compositione, ſed illius comes eſt paucum Sal liquidum, aut ſpiritus Acidus, Aquæ tantillum, ac portio Terræ nonnulla ſuperſtes poſtquam ab igne conſumptum fuit, & à cæteris partibus ope ignis ſecretum.

Abſonum eſſet hoc loco recensere varia loca ſulphuris feracia, uti & media ad depurandum uſitata, illud à materiis inquinantibus ſeparando, quandoquidem ad nos ſyncerum deſertur: ſufficit autem optimum eligere, ac noſcere quodnam puriſſimum ſit, quod enim facillime accenditur, ac accenſum citra intermiſſionem facilius deſlagrat, coloris ad viridem utcunque inclinantis, omnium maxime idoneum eſt & optimum ad quas viſ præparationes Chymicas, ſpecialim autem ad ſpiritum eliciendum.

Sulphuris pars reſinoſa & inflammabilis cum ſupra cæteras dominium obtineat, ſuapte porro natura cum admodum ſit volatilis, hinc non modo facillime ſurſum efferitur igni ſi admoveatur, vaſe quopiam excepta, ſed etiam ſecum cæteras partes abducit, adeo ut in vaſe nihil fere ſuperſtes maneat cum diutius igni expoſita fuerit, ſicuti id obſervare licet in præparatione Florum ſulphuris, quam mox attingam.

Cucurbita ſictilis, intus vitreata, aliquantum humilis, igni obſiſtere



valida, imponatur fornaci idoneæ; luto obducatur pars interna & superior dictæ fornacis toto cucurbitæ ambitu, adeo ut omnino illac flammæ præcludatur, vel scintillæ exitus, à qua accendi queat sulphur, relictis nihilominus quatuor vel quinque ostiis, conis suis instructis, pro re nata eximendis vel intromittendis: Postea accenso igne carbonum moderato in foco Fornacis, in Cucurbitam coniciantur tres quatuorve uncie Sulphuris crasso modo contriti, cooperiendam imposito Alembico vitreo, cujus orificium proportionè collo respondeat, adeo ut arcte illud complectatur, nec lutatione opus sit: hoc pacto Flores sulphuris paulatim in Cucurbitam evehentur, in Alembico colligendi.

Ignis moderatus, semper sibi similis infra Cucurbitam fovendus, Flores inæ parti Alembici adhærentes ex intervallis avellendi & recondendi: Vt prius sulphur in flores resolvitur, ita novum adiiciendum; imo duo Alembici ejusdem magnitudinis præsto esse debent, adeo ut Cucurbitam unus cooperiat, interim dum ex altero Flores leguntur.

Imo, si lubet, licet pluribus vasis simul & semel uti, aut in usum ducere fictilia, Aludellorum forma donata, crasso rostro utraque parte instructa, quorum unicuique admoveatur Retorta globosa, in vertice foramine etiam pertusa, cui imponi possit Alembicus vitreus, sicuti Cucurbitis: quâ ratione pars Florum in Alembicum sublimis feretur, altera autem per rostra Aludelli prodiens interiori parti Retortarum globosarum adhæsura, unde per vices eximenda ope cochlearis idonei.

Nonnulli Auctores afferunt præparaciones Florum Sulphuris compositorum, addentes Myrrham, Aloen, Thus, Olibanum, Mastichen, Benzoinum, Crocum, &c. medicamenta hæc conterentes, ac sulphuri pulverisato commiscentes. eademque ratione qua flores sulphuris sublimantes: Sed etiamsi patronos aliquos nacti sint, cum tamen certissimum sit prædicta simplicia ferendo igni, qui sublimationi Florum sulphuris debetur, imparia esse, ac inde insignem depravationem & optimarum partium depauperationem imminere, satius esse censeo Floribus sulphuris commiscere unum vel alterum prædictorum medicamentorum, quod maxime ex usu futurum videbitur eligendo.

Præparacioni Florum Sulphuris Alborum, ab *Angelo Sala*, nonnullisque illius æscholis propositæ, locus hic adsignandus: Adsumatur libra semis Nitri calcinati & cum sulphure fixati (juxta methodum à me propositam ad conficiendum Sal Polychrestum, ubi de Nitri præparacionibus) prius in subtilem pulverem contrita, ac commixta libræ uni sulphuris tubulati, sublimetur in Cucurbita, Arenæ Balneo commissa, Alembico suo instructa, adhibito igne & spatio temporis requisitis: Eo pacto exsurgent Flores sulphuris Albi, minus insuaves, sed efficacia pares magisterio sulphuris:

Cujus



Cujus præparationem traditurus sum, potius in gratiam celebrium quorundam scriptorum qui illius meminere, quam præstantiæ illorum opinione fretus.

## C A P U T XXIX.

*De Magisterio, aut Lacte Sulphuris.*

**H**Vic methodo ad præparationem Magisterij Sulphuris, aut Lactis Sulphuris, præsertim institere Auctores, Adsumitur pars una Florum Sulphuris, commisceturque Salis Tartari libris tribus; Excipitur mistura hæc grandi olla fictili intus vitreata; illi affunditur Aquæ fluviatilis septem aut octo tantum pondo; post igni Olla imposita hæc materiæ per quinque aut sex horas fervere sinuntur, vel donec flores Sulphuris propemodum dissoluti fuerint in prædicto liquore, per vices tamen addita aqua fervente, quæ succedat priori in auras per æstum discedenti; Cum vero liquoris pars media circiter absumpta fuerit, decantetur calens quicquid liquidum est in pelvim fictilem intus vitreatam, amplam; eodem tempore, sed paulatim, instillando Acetum stillatitium, aut Aluminis liquorem, donec omnino desinat ebullitio: Quo pacto pars Aceti acida, aut Aluminis, Sali Tartari fixo se ad socians, à quo dissoluti fuerant Flores Sulphuris, ab illis abscedere id cogit: Flores autem hi colore flavo in menstruo exuti, egressi vero poros salis Tartari, quos acidum Aceti, aut Aluminis, subiit, illico singulas liquoris partes pervadendo, Lactis colorem illi conciliant, donec paulatim in fundum liquoris secedant substantiæ candicantis specie: Tunc decantato supernatante liquore, sæpius aqua limpida eluuntur, donec iteratis lotionibus dissolventis & præcipitantis ablata omni acrimonia, omnino dulcescant, exsiccandi & ad usus adservandi, titulo Magisterij aut Lactis Sulphuris.

Extat & alia Magisterij Sulphuris præparandi ratio, quæ sic habet, Capaci cacabo ferreo excipiatur libra una Sulphuris pulverisati, & Calcis vivæ libræ duæ, superfundatur non exigua aquæ communis copia; simul ferveant, donec liquoris circiter tres partes absumptæ sint; aut, quod satius, donec intensum adeptus sit ruborem, atque hinc indicium ferri possit Alkali calcis pervasisse ab eoque dissolutum fuisse Sulphur: Tunc liquor hic calens per manicam transmittendus, cui sponte refrigerato, decantatoque liquore limpido in grandem pelvim fictilem vitreatam, affunditur urina calens, donec nulla amplius ebullitio adpareat, Alkali autem sulphureum calcis, combinatum Sali volatili urinæ, abscedat, ac ad fundum ferri sinat sulphur à se dissolutum: Tunc permittendum ut materiæ ab



horis matutinis ad vespertinas subsideant, demum decantato liquore, sulphuri præcipitato supernatanti, hoc decies vel duodecies eluendum, quousque Salium omnis omnino acrimonia recesserit.

Magisterium sulphuris apud Auctores celebre est, Balsami Pulmonum elogio id donantes, utpote eximium præsidium adversus Tussim, Asthma, Phthisin; quod & valeat sistere fluxiones in pectus irruentes, facilem anacatharsin promovere, colicos dolores sedare, flatu Ventriculi & Intestinorum dissipando.

Exhibent à granis quinque aut sex ad decem vel duodecim, ex aqua aliqua cardiaca vel thoracica, cui vigor accedat addita pauca aqua Cinnanomi.

At cum varias alterationes magisterium sulphuris experiatur, tam à dissolutionibus quam præcipitationibus, ac improbis impressionibus à materiis quibuscum commiscetur inductis, quarum indicium est teter odor superstes, non eluendus ab iteratis lotionibus, Ex mea sententia illo abstinuisse satius est, illi potius substituendo Flores Sulphuris, præsertim albos, quorum à me allata est descriptio; quippe qui cum minus insuaves sint, non minori efficacia præstare possunt quicquid ab hoc magisterio expectant scriptores, quod præscribunt à semisrupulo ad semidrachmam.

### C A P U T X X X .

#### *De Distillatione Sulphuris.*

**C**VM exiguam admodum copiam Spiritus Sulphur suppeditare soleat, impossibile autem omnino sit Spiritum obtinere citra Sulphuris conclusionem, ac Aëris mediationem, Vasa porro idonea, ut commode hujusmodi Distillatio institui possit, vix occurrant, ideo hætenus plurimi non parum infudarunt in hoc opere, imo & ij qui digitos nigredine inquinare in aliis præparationibus Chymicis detrectavere; Nullus non Auctor discrepantes præparationes invexit, imo diversa vasa exhibita sunt, quorum ope consequendi spem iis fecere qui idonea nacti fuerint & in usum dextere flectere noverint.

Quicquid vero alij scripserint, sincere & ex officio publici juris facturus sum media & facillima & optima, mihi familiaria, & usu comperta in hujusmodi distillatione, allatis etiamnum figuris vasorum eum in finem adhiberi solitorum.

Vt minimum quatuor Vasorum genera præsto esse debent ad distillationem spiritus sulphuris, quorum maxime humile, idemque omnium latissimum, vitreum aut argillaceum, destinandum excipiendo spiritui quamdiu



quamdiu extillat : Secundum collocandum est in medio fundo primi vasis, fulcimentumque præbere debet tertio, Sulphur excepturo; Quartum suspensum sit, aut eum situm obtineat ut cohibere possit vapores, aut è sulphure manantium, quamdiu deflagrat, resolutionem facilem reddere: postremum hoc vas vitreum est, in campanæ formam exstructum, majus aut minus, in fastigio nonnunquam apertum, aliquando non, Id autem in quo sulphur defragrat fictile sit, quod igni obistere valeat, substratum habens vasculum aliquid vitreum aut Faventinum, si enim fundo vasis inferioris innixum esset, omnem spiritum qui in illo colligeretur absorberet.

Ad id operis eligi solet tempus imbriferum, aut saltem interior Campanæ pars, ac vasis inferioris, humectari debet ad facilem vaporum resolutionem efficiendam, eoque pacto uberiores spirituum proventus obtinendum; Quinimo & utile est ab initio paucillum aquæ immisisse fundo vasis infimi, eo quod spiritus facillime huic se remisceat, immutata tamen indole, quandoquidè integris & illibatis viribus inde eximi potest, adhibita eadem rectificatione quæ in usu est ad spiritum Salis aut Vitrioli.

Pro hoc distillationis genere familiaria mihi esse solent magna Vasa argillacea, vulgo Salaria dicta, in quibus res salitæ reconduntur, duas aquæ situlas circiter continentia: Vasa hæc parte superiore in ambitu habent incile, tribus aut quatuor foraminibus in subdita vasa pervium: Interiorem partem aqua humefacio, imo in fundum tantillum aquæ infundo; demum constituto vasculo vitreo aut Faventino, illi impono Vas in quo sulphur accendendum est: Eligo sulphur virescens, in exiguos magdaleones effectū, in quod liquefactū immergo ellychnia ex gossypio in fila deducto, his usus accendo ad deflagrationem usque portionem aliquam in olla, eodem momento temporis imposita campana illis simili qua utuntur Olitores, proportione orificio & incili vasis respondente, interiora humectando: Eo pacto vapores albi, è sulphure eveci, cum amplum spatium nanciscantur, tam intra Ollæ capacitatem, quam Campanæ, humiditatem etiam requisitam cujus ope possint adhærere, in spiritum faceffunt, major que illius copia eo modo extrahitur repetita sæpius hac operatione, iterum intingendo & accendendo ellychnia dum priora absumuntur, quam si aliam quamvis inire velis viam.

Hoc ipso libro obvia erit figura Ollarum, & Campanarum his adcommodatarum, At vero artificium multo commodius foret si in vitrariis officinis ejusmodi Ollæ, ejusque amplitudinis conflari possent, quippe cum Ollæ argillacæ diutius obistere non valeant vehementiæ spiritus Sulphuris, qui tandem illas pervadit, interim dum spiritus portionem aliquam absorbet, si præsertim cura interiora humectandi per vices prætermissa fuerit: Neque tamen spem depono quin ex Vitrariis opificibus Anglicis



ejusmodi Ollarum potiundarum, quippe qui nonnullas iam' conflare à voto meo non multum distitas, adeo ut tandem repetitis vicibus & conatibus mihi satisfacere valeant.

Hoc ipso quoque libro exhibeo figuram magnarum Patinarum vitrearum, mihi familiarium ad excipiendum spiritum sulphuris ex Campanis in fastigio adaperitis stillantem; ansis binis donatis, impositis duobus baculis illas sustinentibus, aperturam dictam negligenter exiguo capitello vitreo obtegendo, cui adungi potest exiguum Recipiens; In spiritus distillatione procedendo eadem ratione qua in præcedenti, hoc excepto, quod transversus digiti distantia inter oras campanæ suspensæ & patinæ margines interponenda sit, id cavendo ne flamma sulphuris accensi campanam attingat quandiu sulphuri satis aëris suppetit ad deflagrationem: Ope istorum vaporum tam insignem spiritus copiam consequi non licet ac priorum à me descriptorum, eo quod illa minora sint, ac portio vaporum dispergatur in Campana vel in Patina, ac spiritus præstantissimus sit & penetrabilis: Dispendium autem compensabitur pluribus adhibitis vasis, quorum beneficio non mediocrem spirituum copiam comparare licet.

Sulphuris Acidum cum statuatur basis, prima ac potissima Vitrioli materia, cui facultates præcipuas quibus præditum est impertitur, non immerito spiritui sulphuris adscribendæ videntur cunctæ vires quas in Vitrioli spiritu deprehendere est: Sed præterquam quod sapor spiritus sulphuris multo suavior est eo quem dat Vitriolum, effectus etiam illius multo præstantiores sunt, tum ad extinguendum ardorem febrilem, biliosarum præsertim febrium, tum ad putredinem humorum coercendam, Appetitum revocandum, Ventriculum & Intestina corroboranda, Pectoris affectus curandos, speciatim Asthma & Phthisin: Etiam si vero plerique censeant Acida Pectori bellum indixisse, id tamen sincere profiteor ante aliquot annos Concionatorem quendam, huius vrbis incolam, voce fere destitutum, illius usum omnino recuperasse ope spiritus sulphuris potui ordinario commixti, jusculis, imo quibusvis cibus; solo inquam usu spiritus sulphuris, à me præparati, à tam sævo symptomate libertatem obtinuisse.

## CAPUT XXXI.

### *De Sale Sulphuris.*

**S**ulphur cum pene omnino in igne absumatur, ab eius vero destructione sola superstes sit paucissima terra, nemo Salis copiam insignem inde deducere speret, nisi quis spiritum prædictum, utur liquidum, nomine Salis



Salis Acidi sulphuris donare voluerit : Eapropter etiam existimandum Auctores qui de sulphure conscribere, omnino prætermisisse præparationes ejusmodi Salis ; Chymix autem, quæ Naturæ non raro auxiliatrices manus præbet, suppletque illa in quibus deficit, media suppetunt per quæ Sal perficere valer, cui jure merito Salis Sulphuris nomen imponi potest ; Cujus binas vel ternas præparationes allaturus sum.

Conteratur libra una Nitri purissimi, una cum æquali sulphuris quantitate, collocetur crucibulum forte super pedumentum in medio Fornacis foco ; circumcirca accendatur ignis carbonum luculentus : Cum crucibulum incanduerit, in id coniiciatur uncia circiter pulveris ex nitro & sulphure conflati, qui flammam illico concipit, qua extincta, in idem crucibulum eadem Pulveris quantitas immittenda, ut exspiret flamma permittendo ; pergendo in ejusmodi Pulveris projectione, expectando donec flamma dispareat unaquaque vice, quousque totus Pulvis absumptus sit : postmodum ignis luculentus per bhorium integrum circa crucibulum fovendus erit, demum sponte refrigeratæ materiæ, in sartagine ferrea mundissima elixiviandæ erunt, filtrationeque facta calentis liquoris, hic Cucurbita excipiendus, Balneo Arenæ moderate calenti committendus, dehinc humiditate absumpta ad quartæ partis remanentiam, frigefactoque residuo in Cucurbita, tunc paulatim affundendus erit optimus sulphuris spiritus, pergendo in istius spiritus affusione donec liquor manifestum acorem nactus sit ; Postea iterum accenso Balnei igne in eadem cucurbita illi imposita, evaporatio humidi supervacanei ad cuticulam usque procuranda, si sal crystalliforme acquirendum ; aut ad salis usque siccitatem, si hoc pulveris forma, aut conglobatum experatur.

Eo pacto sal albissimum exsurget, constans ex parte Salina fixa Nitri, & Acida sulphuris, felici successu exhibendum tum ad extinguendum ardorem febrium, tum referendas obstructions omnium Viscerum ; Diluitur in potu ordinario vel in aliis liquoribus, ea potissimum ratione suaviter sumendum quod acorem præ se ferat.

Potest & præparari Sal Sulphuris minori labore, nec adeo intricato, ea ratione quam mihi exhibuit Dominus Freslinus, vir non minus rerum naturalium sedulus indagator, quam solide doctus & in utraque Philosophia eruditus : In capacem Cucurbitam coniiciatur libra una Nitri purissimi pulverisati, superaffusaque semilibra Spiritus Sulphuris rectificati, & optime commota Cucurbita, ad omnimodam Nitri in hoc spiritu dissolutionem, Balneo Arenæ imponatur Retorta, admotoque ejus rostro grandi Recipiente luto obducto, igne leni adhibito initio, peragatur distillatio, deinceps paulatim adaucto, etiam sub finem accensos carbonis Balneo arenæ superimponendo, immediate in ambitu, quin



& univēſū Cucurbitæ corpus operiendo, quo omnino prodeat quicquid Nitrum fundere poteſt: Quo pacto comparare licebit optimum Nitri ſpiritum, multiplicis utilitatis, etiam in diſſolvendis metallis, Ex ſpiritu quippe ſulphuris, intime conjuncto ſali fixo Nitri, unum emergit corpus compoſitum, in Retorta, poſtquam effracta fuerit, conglobatum in maſſam obvium, coloris candidiſſimi, ſaporis acidiffimi ſed grati, cujus vires non multum recedunt ab iis quas obtinet præcedens.

Si hujus præparationis ratio diſquirenda ſit, non alia me iudice occurreret, quam quod Nitrum, ut alibi à me obſervatum, cum duplici ſpiritu conſtet, uno mediocriter acido, altero ſulphureo volatili ſalino, utroque in poris ſalis naturaliter fixi involuto; ſpiritus autem ſulphuris cum ex partibus & ſolidioribus & ſubtilioribus compoſitus ſit quam quæ inſunt ſpiritu Nitri, figuris præditus ob quas pervadere valeat cunctas hujus ſalis partes, ideo accidit ut à miſtione ambarum harum ſubſtantiarum particulæ Sulphuris penetrent univerſum Nitri corpus, quo fit ut, juvante ignis efficacia, ſatis validæ ſint ad occupandam ſedem ſpirituum Nitroſorum in partibus ſalis fixi, quibus adeo arte adhærent, ut conjunctæ unicum corpus ſolidum deinceps conſtituant, cujus unitatem vix ignis potentiſſimus diſſolvere poteſt, dum Nitri ſpiritus vaporum rubrorum ſpecie erumpunt, Recipiens adentes, ubi in liquorem condensantur.

Id etiam perpendendum in iſta operatione, non perire ſpiritum Nitri, alias in auras abiturum quando ſal iſtud cum ſulphure calcinatur: Hoc vero veriſimile apud me eſt, obſervationem à me factam de hoc ſpiritu, ex hac miſtura infractis viribus exſurgente, inducere opinionem probitatis ſalis in Cucurbita ſuperſtitis, tantum abeſſe ut ulla ratione metus immineat ab illius effectibus, quandoquidem præterquam quod plurimos in uſus feliciffime trahitur Nitrum nullam præparationem expertum, imo ſæpiſſime illius ſpiritus potionibus quibuſdam admisceatur, quinimo & luſculis, hic ſola ſuperſt Nitri pars fixa, non ſolum propria natura utilis, ſed & præſtantior reddita ab unitate cum ſpiritu ſulphuris contracta, qui proculdubio emendat & temperat acrimoniam in dicto ſale verendam.

Præparatio iſtius Salis, utut facilis, multum lucis affert ad conſequendam notitiam partium ex quibus Nitrum conſtatum eſt, imo majorem præbet quam ulla quæpiam earum quæ hætenus uſitatæ fuerunt: Nam adde quod elicitur ex eo ſpiritus volatilis acidus ſulphureus, non minus generoſus eo quem ſuppeditant media ſolita, copia ſalis acidiffimi, in fundo curcubitæ obvia, clariſſime oſtendit id quod alias à me allatum, à quibuſdam tamen in dubium revocatum, videlicet Sal fixum Nitri, in cucurbita à diſtillatione ſuperſtes eſſe,



esse, quippe cū solus illius spiritus volatilis sursū acidus sulphureus evehi possit; Si enim Nitrum per distillationem totum educeretur, id quod sibi fingunt; nisi porro spiritus acidissimus sulphuris obvium Sal quodpiam haberet quo cum conjungi & adherere posset, proculdubio idem spiritus, una cum spiritu Nitri sursum ascenderet; si autem solitarium in fundo remaneret, nunquam Salis formam indueret, deficiente scilicet materia adfini cum qua posset concorporari: Sapor, inquam, propria natura acidissimus, ejusmodi non reperiretur, Salini particeps cum levi amarore; neque tanta Salis copia adesset, nisi Sal fixum Nitri partem illius maximam constitueret.

Exinde etiamnum iudicium ferre licet quid adsit discriminis inter Spiritus volatiles, acidos sulphureos, & mere acidos; Priores videlicet ignis vehementia impulsī, Salia quibuscum naturaliter unita & concorporata erant deserere coguntur, interim dum posteriores, etiam si peregrini, non solum illorum locum occupant, sed adeo stricte dimissis illis spiritibus adherent, ut nec idem ignis, qui priores sede expulit, vel minimum concutere valeat.

Evincet quoque hoc exemplum illos aberrare, qui censuerunt à gravitate, vi, agitatione, & concussione, deducendam causam Præcipitationum substantiarum à Salibus fixis dissolutarum, vel à spiritibus acidis corrosivis, quando quidem solum adscribenda venit conjunctioni spirituum acidorum cum salibus, aut salium cum spiritibus acidis, inductam ab insigni & inuata dispositione illorum ad mutuam omni tempore conjunctionem, atque deserendas alias substantias ab ipsis corrosas & dissolutas, in liquorum inum illas deturbando quibuscum mixtim reperiuntur.

Licet etiam preparare Sal Sulphuris, præstantia ambobus præcedentibus nequaquam inferius, sed præterea depurandæ massæ sanguineæ multo aptius, atque ad humores tenues & acres, si modo eo vergant, per sudores aut insensibilem transpirationem excludendos, neque minus illis album ac suave.

Eapropter libra una salis Urinæ, purissimum & albissimum, indatur Cucurbitæ capaci & celsæ; affundatur illi paulatim spiritus sulphuris optime rectificatus, donec fervor omnis desinat, Imponatur Cucurbita Balneo Arenæ, igne moderato subdito, evaporet humiditas ad pelliculam usque, secernendo crystalla, vel eousque sollicitandæ erit evaporatio donec Sal exsiccatum fuerit: Sal enim dictum urinæ volatile, etsi ad tempus fixum sit redditum à spiritu sulphuris, cum priorem non exuat naturam, suos etiam effectus depromere valet, cum præfertim Acidum sulphuris, à quo fixatum est, in ventriculo obvium ha-



bet aliud quodpiam corpus cui coherere possit, eoque pacto sal urinæ volatile pristinæ libertati restituere valeat.

Possit etiam in usum adduci Sal volatile Vrinæ, quod revera nihil aliud est quam Sal illius resolutum, substituendo id sali illius congelato; peractaque illius conjunctione cum spiritu Sulphuris, sicuti antemonui de ultimo hoc spiritu cum sale urinæ, postremos ambos hos spiritus commutare in corpus album & salinum, illi non dissimile de quo à me modo actum.

Ii qui spreverint saporem acidum horum Salium, exhibere illa poterunt à semiscrupulo ad semidrachmam, imo & drachmam integram ex liquore quopiam idoneo.

Imo & facilius sal Sulphuris præparare licet, affuso liquori optimo spiritu Sulphuris, vel sali Tartari optime depuratis, ad illorum usque satietatem, non solum quousque nulla amplius deprehendatur effervescentia, sed etiam donec Acidum Sulphuris dominium sufficiens obtineat supra sal; quoad cætera eadem via procedendo quam innui ad confectionem Tartari vitriolati: Eo pacto sal Acidum consequi dabitur, nomine salis Sulphuris donandum, aut Tartari sulphurei; cuius vires proculdubio ad fines futuræ sunt amborum priorum salium Sulphuris, quorum à me allata sunt præparationes.

Cum inter compositiones Galenicæ, ubi de Balsamis à me actum, Balsami Sulphuris duas descriptiones attulerim, ideo prohibor iterum huc illos referre, eo Lectorem curiosum remittens.

Plurimas hoc loco Sulphuris præparationes prætermitto, apud non paucos Auctores obvias; quarum nonnullæ impossibiles sunt, aliæ nequaquam accuratæ, quædam exiguum usum præstant; satius itaque duco minorem exhibuisse numerum, sed earum quæ experientiæ & rationi magis consonæ sunt, quam curiosos invitare ad operatione aut dubias aut inutilis.

## CAPUT XXXII.

### *De Præparationibus Arsenicæ.*

**A**rsenicum in considerationem venit tanquam fuligo, vel succus quidam mineralis, unctuosus & naturæ sulphuris particeps, sed admodum balsamo vitæ nostræ infensus, quapropter Venenis accenseri solet, in usumque adducitur prægressis singularibus cautionibus, ac secretionem ab arte facta, correctionisque partium maxime nocuarum.



rum & à quibus periculum imminet.

Auctorum maxima pars, nominum non adhibita distinctione, ac facultatum Arsenici, tres tantum illius constituunt species, Aliud facientes Album, aliud Flavum aliud Rubrum: Quatuor vero species mihi innotuere, quorum primum est Arsenicum vulgare, videlicet Album; nonnunquam quibusdam in particulis crystalli instar diaphanum; Secundum Arsenici speciem gerens, de quo modo à me actum, coloris est flavi, Realgar dictum; aut Reargar: Tertium iterum flavum est, sed substantiam obtinet squammeam, quæ vix conteritur, minii forma; cui Auripigmenti nomen inditum est: Quartum Sandaraca dictum, coloris est rubri, forma ad Arsenicum vulgare admodum accedens, & ad Realgar, soloque rubro colore ab illo discrepans.

Arsenicum vulgare ad nos allatum, substantia est sublimata, ex æquis partibus salis Marini & Auripigmenti pulverifatis, & simul commixtis, in vasis sublimatoriis conflata: Quamobrem nemini mirum esse debet si Arsenicum venenum sit præsentissimum, quandoquidem in illius sublimatione ab acrimonia salis augmentum etiamnum suscipit innata Auripigmenti malignitas; Idemque sal acidum Vitrioli, commixtum Mercurio, quando sublimatur, corrodingi vim huic conciliat, venenique perniciosissimi natura imbuat.

Me iudice quoque perperam nonnulli idem Sal Arsenico commiscet, vel limaturam chalybis aut æris, inter sublimandum, id dulcorandi scopo, quandoquidem ab his materiis incrementum potius fit acrimoniæ quam ejusdem imminutio, quam fere insuperabilem esse existimo, neque enim hæctenus ulla mihi innotuit præparatio quæ specie tenus id temperare valeat, ea excepta cui nomen Rubini Arsenici nomen inditum fuit, hac ratione præparandi.

Conteratur Arsenicum vulgare, indatur Cucurbitæ vitreæ, cuius ad minus capacitatis tres quadrantes vacent, committatur Balneo Arenæ, illique imposito Alembico cæco, suscipiatur sublimatio igne per gradus accenso, non dissimili ratione qua in Mercurij sublimatione; demum abjectis sæcibus, excussoque pulvere, qui à massa abscedens vasis adhæret, iteranda sublimatio secretioque sæcum & pulveris ad tres vsque vices: Postmodum subtiliter contrito, commistioque hoc Arsenico sublimato partibus æquis florum Sulphuris; vltima instituenda erit sublimatio, cujus ope ab intima conjunctione florum Sulphuris cum Arsenico, simul sublimatorum, illi huic impertituri sunt, vnaque adsumpturi Rubini colorem, quo nomine insignitur istud Arsenicum, cuius nonnulli Auctores vsum commendant à tribus aut quatuor granis exhibitis ad septem vel octo, ex condito quoque, conserva aut



eclegmate, tam in affectibus Pectoris quam illis in quibus sudores promovere vtile est, sicuti & ad curationem Ulcerum malignorum & rebellium, desuper illum admovendo.

At quanquam iusta videatur hæc processus ratio, etsi dubius non sim vlcerebus admotus vtilis sit necne, aliisve affectibus exterioribus, ad internos tamen vsus non advocandum existimo, cum eius indolis medicamentum perpetuo suspectum esse debeat, superantque & remedia, & aliæ præparaciones tutius adhibendæ quam quæ ex Arsenico hauriuntur.

Eadem quoque ratione Rubini ex cæteris Arsenici speciebus præparari possunt, iisdem vsibus destinandi.

Arsenicum commodissime ad vsus externos præparationem suscipit, concinnatur enim ex eo Regulus, è quo postmodum elicitur Liquor Butyrosus, non secus ac ex Regulo Antimonij hac via procedendo.

Conterantur, remisceantur, ac in mortarium ferreum ex calefactum conjiciantur Nitri & Tartari partes æquales, immissoque ope carbonis accensi igne, peracta detonatione, accipiantur materiæ mortario commissæ unciz sex, contundantur in pulverem & commisceantur octo unciz Arsenici vel Auripigmenti, itidem contritis, & unciz quatuor limaturæ chalybis, mistura hæc solido magnoque crucibulo indatur, pedamento supposito, in media fornace idonea; materiis autem fusione sufficienti conciliata, illico hæc infundantur cucullo ferreo, antea ex calefacto & interius sebo candelarum inuncto; eodem tempore cucillum ferreum verberando vt facilius ad fundum deturberetur Regulus; demum materiis fere refrigeratis, à scoriis liberandus erit Regulus, ex quo conficiendus Spiritus & Butyrum juxta hanc methodum:

Regulus hic in pulverem conteratur, quo probe commisto duplo ponderi sublimati corrosivi, mistura hæc Retortæ vitreæ, luto circumlitæ immittenda erit, cuius duæ tertiz partes propemodum vacant; demum hac exiguo Reverberij furno clauso commissa, suscipienda erit distillatio igne immediato, initio mitissimo, dein paulatim adaucto, seorsim adservato spiritu fumido, qui prius evehitur & stillat, altero vase excipiendo liquorem butyrosus subsequentem: Postmodum mutato Recipiente, ignis urgendus erit donec totus sublimati Mercurius in hoc descenderit; dehinc ambienti exponendum erit Butyrum hoc Arsenici; quod cum in liquorem dissolutum fuerit, hic in lagena vitrea densa reponendus probe obturanda; vtilis futurus consumendis carnibus fungosis vulneribus & ulceribus adnascensibus, ac cariei osium auferenda: Id quod multo majori efficacia & vehementia præstat quam



quam Butyrum Antimonij, quo fit ut minori multo quantitate admittatur & majori adhibita cautione: Spiritus primo euectus insigni corrodingi vi præditus est, qui Martem omnino dissolvere potest, ac plurima alia metalla penetrare.

Neque tamen mirum esse debet si substantiæ ex consortio Reguli Arsenici cum Mercurio sublimato corrosivo eductæ, majorem corrodingi vim nactæ sint quam quæ ex Antimonio eidem sublimato admixtæ eliciuntur, quandoquidem Arsenici particulae longe malignitate & corrodingi potentia superant Antimonium, commistio autem cum sublimato facta malignitatem auget intenditque ac corrodingi vim.

Potest preparari Arsenicum fixum, vel liquor fixus Arsenici, hæc processus ratione, Pulveriscentur Arsenici uncia octo, Nitri uncia duodecim, ac Tartari tantundem; hæc probe commista; impositoque solido crucibulo pedamento, in media fornace sub camino constructa, accendatur ignis carbonum luculentus in ambitu crucibuli; quod cum optime incanduerit, in id conjiciatur uncia una circiter prædicti Pulveris, ut Nitrum & Tartarum in Arsenicum actionem suam exserant, exhaletque fumus foetidus inde spirans, quo paulatim discusso, tantundem pulveris in crucibulum injiciatur; concessoque tempore requisito actioni Nitri & Tartari, ac fumi dissipationi, iteranda erit Pulveris projectio, in ea pergendo quousque totus absumptus sit; curam interim adhibendo ut per vices materiæ longa spathula ferrea commoveantur, ad integram Sulphuris Arsenici exhalationem; cujus malignitatem declinare decet, à fumis ascendentibus recedendo dum calcinatio istiusmodi peragitur; quippe qui non minus noxii quam foetidi sint.

Postmodum adhuc fovendus ignis vehementissimus circa crucibulum, per spatium quinque aut sex horarum, aut, quod fatius, per diem integrum, quo facilius exhalet id quod Arsenicum noxium continet; demum optime refrigerato crucibulo, atque in pulverem contrita massa in illo residua, plurimis adhibitis lotionibus secernendum erit quicquid Salinum inesse potest; qua optime dulcorata, ad servandus erit Pulvis in lagena vitrea densa optime obturanda, titulo Arsenici Fixi donata.

Hanc nonnulli tanquam optimum Hidroticum venditant, at præcipuus illius usus spectat perurgationem vulnerum & Ulcerum; quapropter, pulvere nequaquam loto, satis est massam humiditati cellæ exposuisse, in qua Salia in liquorem dissolvuntur, hunc recondendo in lagena densa probe obturanda, nomine Liquoris Fixi Arsenici insignitum, qui adhibendus ad curationem ulcerum malignorum, Cancroforum & Fistulosorum speciatim, Venercorum, huac diluendo in Aquis vulnera-



riis, majori aut minori, pro re nata quantitate.

Huc iterum illaturus non sum quæ alibi de Magnete Arsenicali tradidi, cum de Emplastro Magnetico Angeli Sale verba feci, inter Emplastra Galenica, quo loco illius descriptionem reperitur est curiosus Lector; Neque præterea in molem excrefcere patiar hoc caput, alias Arsenici præparationes exhibens, non minus mihi suspectas quam parum usitatas.

### CAPVT XXXIII.

#### *De Præparationibus Ambra Griseæ.*

**E**T si variæ proferantur sententiæ de origine Ambre griseæ, nequam tamen immutatur illius natura: nam quamvis nonnulli pro spuma maritima habuerint, alii pro excrementis quarundam Avium circa Insulas Madagascar occurrentium, vel illas quæ Archipelagum circumstant, alii pro excremento aut spermate Balenæ, Eorum opinio qui asserunt illam esse Bitumen ex visceribus terræ in mare eructatum, sicuti & Succinum, mihi magis arridet.

Si enim foret spuma maris, ab hujus qualitatibus non omnino recederet, aut rerum illius sinu comprehensarum: Sin Avium esset excrementum, illa obvia non foret in grandes massas uniformes conglobata, centum librarum pondus nonnunquam excedentes: Sin, inquam, esset Avium excrementum, vel excrementum aut sperma Balenæ, in aqua dissolubilis esset, neque tamdiu, sicuti de re constat, fluctus maris sustineret, vel aëris injurias & imbrium, quin insignem labem experiretur.

Iuxta hanc sententiam Ambra grisea liquida ex terræ visceribus erumpit, propter levitatem autem supra maris superficiem effertur, substantiæ verobituminosæ causa in illo non dissolvitur, ac temporis successu, juvante Solis calore, in massam solidiusculam indurescit, ac procellarum tandè impetu ad maris littora propellitur, in quibus illam nancisci datur, non solum in Indiis & America, sed & aliquando in oris nostris maritimis, etsi minus frequenter: Sin aliquando acciderit ipsam in corpore cujuspiam Balenæ repertam fuisse, verisimile est ab ipsa obviam voratam fuisse ac pro alimento ingestam.

Neoterici nihilominus quidam asserere audent Ambram griseam ex quibusdam favis mellis ejectam fuisse, qui diuturnitate temporis excocti, & à radiis solaribus exsiccati, à rupibus in quibus Apes ipsos peperere, abscesserunt, in mare decidui, in quo accedente Sale & procellarum agitatione, consistentiâ & colorè, quo donata est, adipiscuntur; interim dispositionem inducunt partibus mellis residuis, per quam suavem odorem,



ab hac massa exhalantem exerunt: Physiologis vero hujus rei disquisitionem relinquo.

Ambra grisea ferè semper marmoris instar variegata est, cujus fundum modo magis modo minus fuscum est, sed ad cinerum colorem vergens, albis maculis conspersum, ad flavedinem nonnunquam accedens; Plus quoque aut minus pura est, prout plures aut pauciores partes extraneæ illi remissæ sunt, se adjungentes quamdiu adhuc liquida est, adeo ut nonnunquam rostra Arium, vel minuta insecta in illa deprehendantur.

Igni leni facillime liquefcit, si sincera fuerit: aut perforatur acu calente, quæ colliquefaciens locum per quem viam sibi fecit, inde educit odorem gratissimum & penetrabilem, ex quo de ambra bonitate iudicium ferre licet, accedentibus aliis notis; Quinetiam sæpissime in usum ducitur nulla præparatione alicuius momenti prævia, cum satis sit illam in pulverem contrivisse, addito frustulo Sacchari candidi, si sola adsumenda sit, aut aliis remediis commiscenda.

Tenuitas substantiæ Ambra griseæ in causa est cur ignis vehementiæ nequaquam exponatur, satisque sit ut plurimum illam in vini spiritu dissolvere, sive ad secretionem partium terrestrium, forte illi remixtarum, sive ad adservandam dissolutionem, nomen Essentiæ Ambra gerentem, aut Tincturæ.

Sed cum ipsius odor optime consentiat cum omnibus Aromatibus, imo exaltationem nonnunquam exposcat, eum in finem sæpenumero eligitur, illi commiscendum, quodpiam ex maxime generos, quorum odor & mitior est & gratior, cuiusmodi sunt moschum zibetta, essentia rosarum, citriorum & alia similia, respectu tamen habito odoratus sensus, ac constitutionis eorum in quorum gratiam eiusmodi essentiæ aut tincturæ præparantur, Eapropter.

In subtilem pulverem terantur drachmæ duæ optimæ Ambra griseæ, cum æquali pondere Sacchari candidi, ac femisrupulo moschi Orientalis, exiguo matratio immissorû, affusisque unciis duabus spiritus vini rectificati, ac femi,uncia spiritus Rosarum, imponatur matratio exiguus Alembicus cœcus; quod accurate loricatis commissuris radiis Solaribus exponendum erit, vel calori fimi, vel cuiquam alteri simili; materias per intervalla commiscendo, quousque tota Ambra grisea sit dissoluta, ac solum quidpiam terrestrium partium in fundo matratiæ superstes sit: Tunc vasis decrustatis, decantationeque facta liquoris partibus terrestribus supernatantis in lagenam vitream densam, accurate custodienda erit, Tincturam hanc Ambra griseæ sedulo ad usus adservando, utpote remedium maxime idoneum excitando & fovendo calori naturali, roborando cordi & cerebro, cunctisque



principibus partibus, ad utrumque sexum in venereos amplexus sollicitandos, si modo probi odores infesti non fuerint; dejectas vires instaurandas, Evexiam illis procurandam qui à morbis diuturnis attriti fuere.

Exhiberi potest à gutta vna vel duabus, ad septem usque vel octo, ex vino Hispanico, aqua Cinnamomi, aliove quopiam liquore cardiaco.

Licet etiam subtilissimum in pulverem deducere drachmas duas optimæ Ambra Griseæ, cum equali pondere sacchari candidi, ac scrupulo uno moschi Orientalis; additisque in totum guttis duodecim Oleorum stillatiorum corticum malorum citriorum & Arantiorum, Florum Lavendulæ, Maioranæ, Rosarum & Cinnamomi, simul conterere, ac in unum corpus compingere in mortario marmoreo, pistillo ligneo, indeque conficere Ambram griseam Essentificatam, adservandam in vase quopiam exiguo, optime occludendo, quæ in eisdem usus trahi debet ac Essentia Ambra griseæ puræ, sed dozi minori; quandoquidem satis est unaquaque vice exhibuisse magnitudinem parvi pisi ex apice cultri, superbibendo paucillum vini Hispanici aut aquæ Cinnamomi.

## CAPVT XXXIV.

### *De Preparationibus Succini.*

**O**Rigo Ambra flavæ & albæ, quibus plurimi nomen Succini, Electri, Chryso electri imposuerunt, Carabus item; Glessi & Resinæ terræ, non minus apud Authores dubia est quam Ambra griseæ; Quidam enim Avium quarundam sterces esse censent; Alii succum resinosum cuiusdam arboris esse asserunt nixi proculdubio Ovidii carminibus in metamorphosis, de mutatione sororum Phaetontis in arbores.

Inde fluunt lacrymæ stillataque Sole rigescunt

De ramis Electra novis, quæ lucidus annis

Excipit & nuribus mittit gestanda Latinis.

Alii vero statuunt succum esse bituminosum è terræ visceribus erumpentem, ad maris superficiem elatum, demum à sole concretum & exsiccatum, ad littora maris, in quibus reperitur, à marinis fluctibus propulsus, Quam opinionem omnium maxime veritati consonam existimo.



Authores tria Succini genera adducunt, primum Album est, secundum Flavum, tertium Nigrum: at vero cum nigredo postremo huic tantum contingat à sordium admixtione, aut vetustate, ideoque improbandum est, solumque flavum cum albo in usum accerredum; quorum prius posteriori præfertur, quod melius concoctum, sit purius, odoratius, imo Sale volatili magis imprægnatum: Non ideo tamen non quotidie usurpatur Flavum cum albo rarius occurrat, ex Flavo autem eadem promemodum substantiæ quæ ex albo educi possint.

Simplex præparatio Succini, Pharmaciæ Galenicæ familiaris, id super porphyrite terendo, contemnenda non est, tum quod appositissime Succinum præparatum in morbis Cerebri, Ventriculi, Intestinatorum, & uteri, imo & in Hæmorrhagia quavis, uti & sicubi adstringendi occasio adfuerit, in usum venit: Tum quod admodum facilem reddit Succini dissolutionem si alia quædam præparatio illam subsequi debeat, ac præferim Tinctura.

Hæc si paranda fuerit, matratio immittantur Succini electi uncie quatuor, super porphyrite lævigati, affunde Spiritum vini rectificatissimum, donec quatuor digitis superemineat; superponatur Matratio exiguum vas cœcum, cujus commissuræ accurate luto obducendæ, demum Digestio fiat Balneo cinerum aut Arenæ, igne mitissimo, per vices materias commovendo, donec à Spiritu vini dissolutione facta maximæ partis Succini ille eleganti flore flavo tinctus fuerit: Postmodum decantato in lagenam liquore colorato, novo vini spiritu subsidentie affuso, impositoque iterum Matratio vase cœco, optime loricato, eodem Balneo, eodem caloris gradu adhibito id committendum erit, inibi continendum donec à spiritu vini reliquiæ Succini fere omnino solutæ sint, ac promemodum liquor eundem colorem ac prior adeptus sit: Tunc vasis decrustatis decantata hæc Tinctura, priorique commista, per chartam emporeticam transmittenda erit: Qua Cucurbita vitrea excepta, eidemque Balneo imposita, Alembico proprio cooperta, admotoque illius rostro exiguo Receptaculo, probeque luto conjunctis futuris, igne lenissimo extrahenda erit media circiter pars spiritus vini: demum sponte refrigeratis vasis, in lagena vitrea densa id quod in Cucurbita superstes fuerit recondendum, adservandum titulo Tincturæ Succini, cujus usus eximius futurus in affectibus præsertim cerebri & uteri, exhibendo à scrupulo uno ad drachmam unam ex liquoribus idoneis.

Posset affusa aqua dissolutioni Succini infringi vis Spiritus vini, eoque pacto hunc spoliare partibus Succini quas adsumpsit & dissolvit, præcipitatione illius facta in imum liquorem forma Pulveris flavi, unde id



quod Magisterium Succini vocant, comparare liceret; Sed nullum ex istiusmodi operatione emolumentum expectandum, nam præter temporis dispendium, ignis & spiritus vini jacturam, magisterium hoc nihil singulare obtinet præ Succino solummodo super porphyrite contrito.

Schroederus Magisterium Succini proponit, quod præparat id in Aceto stillaritio dissolvendo, dissolutionem filtrando, Acetum per distillationem abstrahendo, demum subsidentiam in aqua rosacea dissolvendo; dissolutionem filtrando, aquam rosaceam educendo, residuum demum in recenti aqua rosacea diluens, filtratione & educatione aquæ ter repetita, ac tandem præcipitatione ultimæ dissolutionis per spiritum vini facta, vel succum citri præstansque hidroticum esse asserit, datum à sex ad duodecim grana in febribus Malignis & Pleuritide; Sed cum Acidum quod Aceto inest, & præcipitantibus adhibitis, Succini naturam immutent, vix in eam opinionem adducor ut ab hoc magisterio expectati effectus prodituri sint.

## CAPVT XXXVI.

### *De Distillatione Succini.*

**S**uccini Distillatio omnium simplissima & maxime usitata hæc est, Retortæ vitreæ indantur Succini confracti quantum satis ut tertia pars impleatur, instrataque pauca arena fundo capsulæ dimensæ, impositæ idoneæ fornaci, Retorta ibi locanda est, qua arena rite in ambitu & omnino cooperto, præter illius collum, admotoque illius rostro magno Recipiente probe luto obducto, ac capsula cooperta tegmine concamerato, illi adæquato, accendendus ignis in Fornace, ea ratione regendus ut cum Succinum liquefactum fuerit nequaquam fervere id queat, neque in Receptaculum per Retortæ rostrum exstillare, sed phlegma tantum paulatim emittere, demum Sal volatile & Oleum; hoc autem primo limpidum proditurum est, subsequens vero magis ac magis coloratius, adeo ut postremum ad colorem fuscum accedat, imo crassissimum.

Distillatio hæc diu protrahitur, imo viginti quatuor horas transgredi debet, si res successum habitura est: Neque etiam necesse est admodum urgere ignem, imo nec in progressu ac circa distillationis finem, nam præterquam quod materiæ exituræ non admodum graves sunt, ab igne autem vehementiori alteratio insignis illis induceretur, Idquod  
in



in Retorta residuum forte aderit, inutile futurum non est, si modo methodus quam deinceps demonstraturus sum ineat.

Ignem etiam patente distillari potest Succinum, exceptum Retorta argillacea, aut vitrea luto obducta, in furno Reverberij collocata; Sed nisi summa in ignis regimine præfuerit cautio, periculum imminet à combustione, imò ne Succinum à Retorta erumpat, ipsumque Receptaculum in fragmenta diffiliat; adeo ut huic distillationi ea quæ per Arenam perficitur præferenda sit.

Succinum, si quis voluerit, conterat in pulverem, illique partes æquales arenæ aut silicum pulveratorum admisceat, aut cinerum jam lixivium expertorum, Divisio quippe hæc partium Succini facilem utcunque separationem & sublimationem illius partium præstare potest, citra bonitatis detrimentum; At vero ea quæ citra additamentum aliquod perficitur Distillatio potior mihi videtur.

Succini distillatione peracta, vasis autem refrigeratis & decrustatis, derafum Sal volatile, in Retortæ collo ac Receptaculi exiguum crystallorum specie aggestum, colligendum ac recondendum in Lagena idonea; postea in Matratium effusis omnibus substantiis, in Recipiente contentis, hoc aqua calida eluto dissolvendi gratia, & conjungendi Salis volatilium cum Oleo, si quæ supersint, effusaque hæc lotura supra reliquas materias, superponendum erit Matratio Alembicum cœcum, optime luto vestitum, prægressaque illius Digestione per decem aut duodecim horarum spatium, in Arenæ Balneo, moderate calido, sæpiusque commotis materiis, referandum tandem Matratium, secretionemque facta Olei à parte aquea, Salina & terrestri, seorsum illius Rectificatio peragenda erit, videlicet Olei, id commiscendo quantitati sufficienti cinerum elotorum, quantum scilicet hi absorbere poterunt, misturam hanc indendo Retortæ vitreæ, Balneo arenæ, igneque micissimo Oleum exstillaturum eliciendo, prodiens primo album & limpidum, subsequens autem colore paulo intensiore præditum, postremum vero ad levem suscedinem vergens.

Partem Aqueam, Spirituosam & Salinam quod spectat, hujus filtro transmissæ, ac exiguæ Cucurbitæ vitreæ commissæ, Balneo arenæ impositæ, igne lenissimo, humiditatis superflue tres quadrantes circiter vaporum forma absumendi sunt, demum Cucurbita in locum frigidiusculum translata, post aliqualem moram deradenda & recondenda Crystalla, eodem Balneo postmodum procurando evaporationem liquoris supernatantis, quo nihil dispereat Salis ibi superstitis, etsi exigua se offerat copia, non secus ac prius.



Sed ut eunctæ subsidentia in usum veniant, tum prioris distillatio-  
nis, tum rectificatiois Olei, in pulverem prædictæ materiæ conteran-  
tur, concorporentur æquali ponderi Calicis vivæ, sponte recens in  
pulverem abscedentis, immissaque hac mistura grandi Retortæ vi-  
træ, Balneo arenæ impostæ, adcommodatæque eius rostro idoneo  
Receptaculo, igne moderato plurimum quoque Oleum adhuc elicere  
dabitur, quorum prius proditurum quadamtenus candidum erit, sub-  
sequentia autem fat limpida, etsi coloris saturatiois.

Oleum Succini præsertim in usum venit in Apoplexia, Epilepsia,  
Convulsione, Paralyfi, cunctisque Cerebri frigidis affectibus uti &  
Hystericis: Nec minus utile est ad enecandos lumbricos, ad miasmata  
aërem inquinantia profliganda, tum ore adsumptum, ab una vel dua-  
bus ad quinque aut sex guttas, exceptas sacchari polline, ac liquore  
quippiam idoneo dissolutas, tum naribus illitum, temporibus & locis  
circa futuras.

Iis omnibus affectibus subvenit etiam Sal volatile, quod præterea  
præstantissimis diureticis accensetur, ex liquoribus idoneis adsumptum,  
à quinque aut sex ad quindecim aut viginti grana.

Succini Distillatio normam præbere potest distilando Asphalto, Ga-  
gati, Carboni perræ, aliarumque omnium materierum bituminosa-  
rum; quapropter in molem non excrescet, hoc Caput horum de-  
scriptione.

## CAPVT XXVI.

### *De Metallis in genere.*

**M**etalla corpora sunt solida, gravia, malleabilia, igne liquabilia, in  
singulis partibus æqualis substantiæ; Cum vero hoc loco scopus  
non sit varias & singulas Authorum sententias quoad illorum originem  
& primam materiam ad examen deducere; Satis mihi fuerit paucis  
meam sententiam protulisse, videlicet, cum calor Solis non modo in  
terræ superficiem vim suam infundat, ad promovendam rerum nobis  
obviarum, speciatim Plantarum productionem, Sed etiam intime per-  
vadat & penetret interiorem illius massam, ad insinnandum & foven-  
dum calorem, substantiis illic delitescens necessarium, inibi perpe-  
tuas generationes fieri, quas subsequitur incrementum ac perfectio ma-  
terierum ibi genitarum in quarum serie reponenda veniunt metalla.

Existimo etiam, sicuti Plantæ in Terra productæ, primam materiam,

per



per quam earum semina germinant, è Terræ succis hauriunt, vel ex influxibus Astrorum, necesse esse ut metalla ex iisdem succis prima Elementa suarum substantiarum deducant, etsi admodum discrepant à Plantarum substantia; Succum porro illum Metallicum seminalem, in sui quidem primordiis liquidum esse, sed præterea idoneum producendo copiose Metallum, cuius characterem sinu suo gerit, & ipsummet suscipere, ac metallo, à se generando, vna cum duritie, soliditate & gravitate, cæteras qualitates per quas à reliquis metallis discrepat, communicare:

Etiamsi porro generatio, incrementum & perfectio Metallorum non æque ac in Plantis manifesta sint, nequaquam tamen in dubium revocari debent, imo admodum verisimile est, quandoquidem metalla existentiam suam succo metallico debent, quod illis feminis vicem præstitit, proculdubio ex ipsis profundi succum seminalem similem, aptum renovandæ ac multiplicandæ speciei non secus ac in Plantis: Neque cuiquam dubiæ esse debeat iteratæ illæ productiones metallicæ, quandoquidem experimento compertum est in mineris sæpe regenita metalla, iisdem in locis è quibus similia alias eruta fuerant:

Etiamsi vero Sol principem in generatione locum obtineat, incremento & perfectione metallorum, neque tamen denegandus est illis cæterorum Astrorum influxus, quæ non minimum concurrunt: Nec enim immerito Antiqui unicuique metallo cuiusdam Planetæ nomen assignarunt, imo censuerunt horum quodvis singulari adfinitate cum Planeta, cuius nomen gerit conjungi: Quandoquidem ipse Aër, qui medius Astra & Terram interjacet, ex nonnullorum sententia in se continet prima semina aut seminales dispositiones rerum quas Terra proferre solet; neque dubium esse debet quin ab Astris has deducat, perpetuo in corpora omnia sublunaria influentes: Imo huius rensensibiles effectus in terræ superficie observantur, tum quoad conversionem quarundam Terrarum in Lapides, quam regenerationem nonnullorum Salium, ac augmentum quorundam Metallorum, speciatim Plumbi.

Authores sex metalla à se invicem distincta agnoscunt, quorum tres ordines constituunt; Illorum priori duo maxime nobilia & perfectissima accensent, videlicet Aurum, cui Solis nomen indiderunt, tum ratione coloris flavi, tum singularium influxuum quos à Sole mutuari crediderunt; Deinde Argentum, quod Lunæ nomine donaverunt, tam ob colorem candidum, quam ob dominium singulare, ex eorum mente, huius sideris in id metallum.



In secundo metallorum ordine reposuerunt Ferrum & Cuprum, utpote minus nobilia, minusque compacta, ac quoad substantiam impuriora, etiam si dura & solida: Hæc vero ideo combinaverunt, & ratione insignis dispositionis ad mutuam conjunctionem, & quod substantia non admodum discrepent, Ferro Martis nomen adsignantes, Cupro autem Veneris, insignem inter hæc metalla, ambobusque hæc sidera sympathiam adesse rati.

Stannum tandem & Plumbum in tertio gradu collocaverunt, utpote minus solida & dura, faciliusque liquabilia: Prius Iovis nomine insigni vere, posterius autem Saturni, ob insignem adfinitatem quam inter hæc duo metalla, ambobusque sidera finxere.

Prætermitto determinationem ab ipsis adsignatam unicuiusque horum metallorum, ad quasdam corporis partes, pro variis influxibus Astri ipsas regentis, Astronomis hæc relinquens; præcipuus enim mihi scopus est præparationes maxime necessarias horum metallorum attingere, ab Auro ducto initio.

## CAPVT XXXVII.

### *De Auri Præparationibus.*

**N**emo Auro titulum Regis metallorum derogat, quinimo etiam illius pretium, Argentum multum superans, nedum cætera metalla, indicium manifestum illius excellentiæ non exhiberet, elegantia præterea, colorisque fulgor, uniformitas & substantiæ soliditas, ac rubiginis immunitas, collectio & compactio partium, ortum illius gravitati præbentes, atque vis qua quamcumque ignis vehementiam eludit, citra substantiæ ullum detrimentum, aut ponderis, aliarumve qualitatium, satis aperte ostendunt eius supra cætera Metalla eminentiam.

Probatissimi quique Authores censent, uti superius dixi, Solem in Aurum dominium obtinere, nobilique huic metallo vim omnino singularem ad robur cordis inesse, ac fovendo æquali tenori caloris nativi humidique radicalis: Nihil equidem apertum deprehendo quod illorum sententiam convellat quoad influxus Solis in Aurum, plurimi autem in hanc opinionem devenere, quamdiu Aurum statu suo naturali fruitur, aut priori indoli restitui potest, etiam si varias præparationes



rationes alterationesque subierit, nullum ab ipso insignem in cor, cujus vi robur hoc accipiat, influxum expectandum, uti neque in aliquam aliam partem: Imo nonnulli contemptim habuere Antiquorum processum, Auri bracteas confectiōni Kermesinæ remiscentium, Pulveribus Cardiacis aliisque remediōrum formulis; afferunt quippe mixturam hanc Auri bracteati plus fastus quam utilitatis obtinere.

Id equidem ipsis concederem si Aurum, quod omnem ignis vehementiam eludit, itidem calori naturali ventriculi humani obfisteret, cōadjuvantibus succis dissolventibus in ipso obviis, nullam præterea substantiæ propriæ imminutionem experiretur, etsi omnium maxime sit uniformis, compactissima & adstrictissima earum quæ in rerum Natura occurrunt: At vero ex verissima Historia à me allata Volumine primo hujus operis, Cap. XX. Calorem scilicet naturalem Ventriculi commodissime, imo majori efficacia valere Aurum dissolvere, non secus ac Aqua Regia illud in matraccio dissolvit, imo & nonnullas ipsius particulas in massam sanguineam transmittere posse, exinde in universum corporis ambitum deferendas; Prætermissa irradiatione quam Aurum singulis partibus, non secus ac Antimonium inferre potest: Sed quicquid adferri queat, cum nihil omnino ab usu Auri metuendum sit, censeo ab usu bracteati abstinendum non esse, dummodo prius accuratissime depuratum fuerit, uti neque ab illo aliam præparationem perpeffo, si hæc ex artis legibus peracta fuerit.

Auri Lotio perficitur ope Lixivii ex Tartaro & Sale communi parato, si sordes exterius id inquinantes solummodo abstergenda fuerint: At vero si aliis metallis commistum fuerit, sive è minera tale erutum, sive ab additione artificiali, ad alia media confugiendum est, quorum præcipua sunt Calcinatio, quam vocant Immerfivam, Fusio & Calcinatio cum Antimonio, Fusio & calcinatio cum Plumbo in catino probatorio, & Cæmentatio.



## CAPVT XXXVIII.

*De Calcinatione Immersiva Auri, per Aquam Regiam Vbi obiter de  
Auro Fulminante.*

**M**atratio immittatur ea Auri lima detriti quantitas quæ depuranda venit, superfundatur tertium vel quantum tantum pondus Aquæ Regiæ optimæ; Matrarium imponatur Balneo Arenæ modice calenti, in quo cum Aurum dissolutum fuerit, decantandus erit liquor limpidus in aliud vas, postmodum pauca Aqua Regia supra subsidentiam; quibus demum eodem Balneo paululum digestis, decantata posteriori hac dissolutione in priorem, relictoque in fundo Matratij pulvere cui Aqua Regia dissolvendo impar fuit, dissolutionibus affundendus erit liquor Tartari, aut spiritus volatilis Salis Ammoniaci, vel urinæ, quousque nulla manifesta adsit ebullitio, ac maxima Spirituum corrodentium Aquæ Regiæ pars, Auro derelicto, Sali fixo Tartari adhæserit, aut sali volatili Salis Ammoniaci vel urinæ, Aurum præceps in fundum vasis colore flavum iturum est, quod plurimum aquarum affusione lavandum donec omnino insipidum reddatur, qua ratione Aurum Fulminans, vi diaphoretica insigne obtinere dabitur. Sed si huic Auro vis cathartica, à Salibus ipsi impressa, conservanda fuerit, unica aut repetita lotio satis futura est; Calx ista Auri igne mitissimo exsiccanda est, exhibenda à tribus vel quatuor ad quinque aut sex grana, ex aliquo conserva aut condito.

Vehementia effectuum stupendorum istius Auri Fulminantis, Artificem summe cautum præstare debet, tam in exsiccando quam adservando & in usum ducendo hunc Pulverem, nam vel à levissimo calore, accensa parte volatili inflammabili Nitri, in Aqua Forti contenta, antequam in Regiam transferit, cum vis inferatur intima unitati quam Sallium particulæ cum Auri particulis iniere, crepitus ex illis educitur major & penetrantior eo quem emittit pulvis pyrius; hunc consequitur motus violentus, cujus effectus præsertim à summis ad ima vergit, obrenitentiam Auro obviam. Adeo ut aliquot grana Auri fulminantis, cochleari argenteo immissa, parte inferiori excalefacto, impetum faciant versus huius fundum, flammam concipiendo insignemque strepitum edendo; scrupulus enim hujus calcis majorem effectum & sonum editurus est quam semi libra exquisitissimi Pulveris tormentarii.



At vero hæc Fulminatio verenda non est ab istiusmodi Auro ore adsumpto ; Particulæ enim Salinæ illi remixtæ, quæ etiamnum tertiam partem illius ponderis constituunt. ab occurſu Acidorum in ventriculo, cum præterea dimittant auri particulas iisdem Acidis se adſociaturæ, non modo liberantur ab unitate quæ illis cum Auro intercedebat, ſed præterea Acido adeo intime commiſcentur, ac proinde tam infra-ctæ & fixatæ, ut omni violento motui edendo ineptæ ſint, atque Auro liberam poteſtatem faciant cunctis ſuas dotes exerendi.

Eadem de cauſa licet, non obſtante Auri diſſolutione per Aquam regiam facta, fulminationem illius inhibere, Calcem Auri ſpiritu Vitrioli humectando, Salis aut Sulphuris, priuſquam omnino exſiccata ſit; cum enim Acidum ſe adjungat particulis Salium arcte conjunctis Calci Auri, hinc diſſolvitur illa unitas, ac inhibetur impetus illorum mutuus accenſione contingente; Licet poſtmodum exſiccare Calcem Auri ſupra ignem, imo in crucibulo candefacere, aut colliquare, abſque vilo fulminationis metu.

Interim non parum miranda eſt illorum opinio, qui cenſent etiamſi ab Aqua Regia Pulvis Auri fuerit diſſolutus, aculeos ejuſdem ſuperficiarie tantum Auri particulas ſubiſſe, ac hæcenus tantum ut ſufficiat ſuſpendendis his particulis, ac prohibendæ illarum præcipitationi; Crediderunt porro ab huiuſmodi ſuſpenſione particulas has imperceptiles redditas fuiſſe; additis autem *oleo Tartari, & ſpiritibus volatilibus Alkali*, valeant iſtiusmodi corpuscula, motu ſuo & figuris impetum in Acida faciendo, hæc ſufficienter concutere, adeo ut divellantur & abrum pantur; ac poſtmodum Auri particulæ proprio pondere præcipitentur, Exiſtimant, inquam, iſtud Oleum Tartari, atque hos ſpiritus volatiles Alkalinos, ſcatere ſpiritibus ſumme actuoſis & efficaciſſimis, qui occurrentes corporibus quieſcentibus hæc concutiant, ac celeritate motus eo modo convellant ut abrum pantur aculei quorum ope Aurum ſuſpenſum tenebatur, ab iſta autem actione pendere efferveſcentiam, exinde colligentes Aquam Regiam poſtmodum ineptam evadere diſſolutioni, quod penetrabili vi careat, aculeorum iſtius parte maxime acuta in Auro reſtibili.

Magna, inquam, admirationis cauſa ſub eſt circa ejuſmodi opiniones, ac primo, Quomodo fieri poſſit ut Auri limatura, ex ſe ſat craſſa & viſui obvia, ab Aqua Regia diſſoluta ſit ac viſum ſubterfugiat; interim aculei ejuſdem Aquæ ſuperficie tenus tantum dictas particulas attingerint? Secundo, qua ratione Pulvis Auri, in vaſis fundo initio admodum conſpicuus, viſum poſtea ſubterfugiat & deliteſcat? ac præterea, quo



modo Aqua Regia potuit illum auferre, suspendere, ac oculorum aciei præripere, cum illius particulæ superficiem demum illius particularum subierint? Tertio, quæ Salia efficaciora obrineant Oleum Tartari, & Spiritus volatiles Alkalini, iis quæ insunt Aquæ Regiæ, à quibus Aurum dissolvitur, quod cæteris impervium est? Quomodo item Oleum Tartari, ac Spiritus volatiles Alkalini, commovere valeant, concutere ac convellere Acidæ, nancisci hic corpora motui inepta, proprii autem celeritate, illa concutere, Acidorum aculeos obtundere, à quibus Aurum suspensum tenebatur, neque tamen partes Acidæ Aquæ Regiæ commoveantur, nec jungant & confundant proprios aculeos cunctasque particulas una cum iis quæ dictis Alkalibus insunt? Quomodo, inquam, effervescentia potest contingere illis absentibus, quandoquidem non secus accidere posset Auro non præsentem? Quarto, qua ratione statuunt Aquam Regiam iterum ad agendum idoneam fieri dissolutione facta totius Auri quod dissolvere valuit, postquam illius aculei, cunctæque particulæ confusæ fuerunt Alkalinis particulis, ad præcipationem usurpatis? Quomodo iterum aculei Aquæ Regiæ adherere potuerunt Auri superficiem, neque tamen præcipientibus obvii fuerunt, & ab illis dissoluti, aut iis se adjunxerunt, non secus ac totam aquam Regiam amplecti solent?

Cum vero cunctæ hæc cogitationes falsorum principiorum sint soboles, innixæ ratiocibus omnino sibi repugnantibus & impossibilitatem arguentibus, sat multa alias hac de re attulisse sufficiat, ut amplius insistere non debeam.

---

## CAPVT XXXIX.

### *De Calcinatione Auri Immerfiva Quartatione dicta.*

**I**stiusmodi, Auri Calcinatio Immerfiva Quartatio vocatur, quia commisceri solet tribus Argenti partibus, catino expurgatorio probati, adeo ut mixturæ tertiam tantum partem constituat: Eapropter in forti crucibulo liquefiat Auri uncia una additis



tis Argenti purissimi unciis tribus; Ambo hæc metalla una collicata, in vas cupreum sat capax aqua plenum infundantur granulationem faciendam, Eo enim pacto in vasis fundum granulatim decident: his Granulis rite exsiccatis, atque Matratio exceptis, superfunde Aquæ fortis optimæ tertium tantum pondus; Matratiæ autem Balneo arenæ modice calido committendum erit, quousque Argentum paulatim dissolutum fuerit, Aurum vero in fundo præcipitatum Pulveris nigri specie se exhibeat; Tunc decantato liquore limpido, Auro supernatante, in pelvim fictilem aqua repletam, huic iterum tantillum Aquæ fortis superfundendum erit, ad omnimodam Argenti forte superstitis dissolutionem; Postea decantato, committioneque facta postremæ hujus dissolutionis cum priori in pelvi fictili, aqua plena restibili, eluenda erit Auri calx aqua communi, quæ probe dulcorata & exsiccata crucibulo ad incandescentiam indenda, in quo intensum adeptura est colorem, eo modo adservanda, aut eodem in crucibulo liquefacienda, addito pauco Borace, demum in canaliculum cylindraceum effundenda, quo pacto purissimum Aurum comparare licuerit.

Tunc immittenda erit lamina cuprea dissolutionibus Argenti affusis, & in pelvi fictili, aqua repleta, reservatis, Eo enim pacto spiritus corrodescentes Aquæ fortis ab Argento, quod dissolverunt, abscedentes, Cuprum amplexuri, Argentum aminæ adhæsurum est, aut fundum petiturum, in quo decantatione facta liquoris supernatantis, quem vocant Aquam secundariam, obvium futurum est: Tunc Calx ista Argenti eluenda est, exsiccata autem adservanda, aut si vis in crucibulo forti liquefacienda, addito pauco Sale Tartari, demum in canalem cylindraceum, pinguedine interius illitum, effundenda, ea ratione cylindrum Argentaceum purissimum obtinere dabitur.

Tunc laminam ferream Aquæ forti immergere licet, quo medio Aquæ fortis spiritus corrosivi, quibus Aes dissolutum fuerat, eo deserto ferro adhærebunt, calx autem cupri in fundum secessura est, sicuti de argenti calce dictum, in quo deprehendenda est, ferri dissolutionem in alterum vas infundendo: Deinceps Calx ista elui poterit, exsiccari, aut eliquari, non secus ac Calx Argenti.

Possent etiam præcipitati Ferrum, adjiciendo illius dissolutioni aliquot fragmenta lapidis calaminaris, aut Zincki, ac tandem præcipi-



tandæ novæ hæ substantiæ, affusa illorum dissolutioni Aqua Tartari, aut quopiam alio sale fixo, dissoluto in aqua, superstite illorum calce in liquoris fundo; Imo posset ex liquore filtrato extrahi Sal Nitrum, novæ Aquæ forti parandæ idoneum.

Calcinationes Immerisivæ, modo à me memoratæ Auri purificandi gratia, cum me sensim deduxerint ad calcinationes immerivas quorundam aliorum metallorum, omnino incumbit onus rationes indagandi diversorum effectuum in dissolutionibus aut præcipitationibus omnium illorum metallorum observabilium.

Ac primo, Auri Calcinationem per Aquam Regiam quod spectat, hoc ratum esse debet, cum Aurum cuncta alia metalla superet, imo omnia mineralia, tum puritate, gravitate, & partium arcta compagine, quam numero & exiguitate pororum, omnino confugiendum esse ad ejusmodi Dissolvens, ejus aciei eam subtilitatem obtineant ut dictos poros subire valeant, ac partium Auri divisionem inducere, id quod ab aqua Regia omnino expectandum; crassities enim & figura aculeorum Aquæ fortis cum immutata sit, subtilitatemque adepta ab adjecto Sale Ammoniacco, ut in Regiam transire valeat, eam tenuitatem obtinent per quam Auri poros pervadere possunt, ac facile illius partes seungere & divellere, teste experientia; At cum præ subtilitate & tenuitate aculei Aquæ Regiæ, neque satis vitibus, neque motu sufficiente polleant ad disjunctionem partium aliorum Metallorum, quorum pori multo ampliores sunt; neque sufficienti crassitie sint donati ad adimplendos poros, ac partes ab invicem diducendas, mirum esse non debet si Argentum præcipitari in fundum permittat, cum id dissolvere non valeat.

Fulminatio autem quæ Auro obtingit postquam ab Aqua Regia dissolutum fuit, illiusque effectus deorsum impetum habentes contra ignis genium, quod sursum vergit, multo magis illos in admirationem pertrahunt qui Chymicarum rerum rudes sunt: Causam vero ego refero in partes Nitri inflammabiles, in aqua Forti contentas, quod basis vicem præbet Aquæ Regiæ, acidis partibus ejusdem Nitri commixtas, intime conjunctas tum parti Salinæ urinose & acidæ, & Salinæ fixæ marinæ Salis Ammoniaci, Tum Salinæ fixæ Liquoris Tartari, aut Salinæ volatili, quæ Auri præcipitationi impendi potuisset.

Id quoque censeo dicta Salia eo modo conjuncta, cum alte Auri poris immersa sint, neque exuant naturam Salium fixorum: quip-



pe quæ in igne permaneant, valide obfistere omnibus quæ divor-  
tium inter illa inducere possunt: adeo ut unitas prædictarum sub-  
stantiarum, cum nequaquam immutaverit dispositionem quæ qui-  
busdam Nitri particulis ad inflammationem concipiendam inest, et  
jussmodi particulæ vehementer commotæ, ad occursum ignis partic-  
ularum, quæ motus sui partem illis impertiunt, illico in flammam  
erumpant: at vero in conatu adhibito ut sursum vergant, cum de-  
terminatio hæc immutata sit ad occursum Salium fixorum & Auro-  
conjunctorum, necesse illis sit eo referri quo exitus illis patet, nam  
*qua data porta ruunt*, propulsisque obicibus obviis summo nixu &  
fragore intensiorem edant effectum quam si libertate naturali dona-  
ti essent; Adeo ut Auri pori, & Salium, cum ubique sibi similes  
sint, tum in centro tum in circumferentia, partes Nitri inflamma-  
biles undique eodem impetu erumpant, partes Auri & Salium, qui-  
bus distinctæ coercerentur, æqualiter diffingant: Etiam si enim il-  
lorum effectus à Natura ad inferna determinatus sit, partes tamen  
superiores & laterales æquali robore pollerent si Aurum fulminans  
conclusum esset in pyxide ibique flammam conciperet; etiam si re-  
nitentia salium fixorum, aut, si mavis, Auri, non parum concurrat  
ad eum effectum quo inferius tendit, in hoc sale præsertim obser-  
vabilem.

Nonnulli Auri fulminationem adscripserunt gravitati & constri-  
ctioni partium illius metalli, etiam si vero dictæ Auri qualitates non  
parum augeant efficaciam conjunctionis Salium, imo illis adsignan-  
da sit causa fragoris & strepitus insoliti, contingentis quando mate-  
riæ inflammationem concipiunt, Salia tamen pro præcipuis in ful-  
minatione motoribus, atque pro *causa sine qua non* habenda sunt.

Dubium vero removebitur si illud perspectum fuerit Pulverem  
fulminantem confici posse ex mistura trium drachmarum Nitri e-  
lecti pulverisati, cum sesquidrachma Salis Tartari, & drachma  
una Sulphuris, etiam in pulverem deductorum, remissa hæc con-  
gerendo in fundo cochlearis ferrei, infra autem leni subfido igne;  
statim enim ac minima ignis particula particulam aliquam Nitri in-  
flammabilem attingere valet, pulvis in flammam erumpit, ve-  
hementi edito strepitu, minus tamen eo sonoro qui ex Auro ful-  
minante prodit.

Etiam si vero Pulvis iste fulminans eodem tempore in universa  
sua circumferentia erumpat, affectus nihilominus, productus à  
renitentia Salis Tartari, considerationem majorem mereretur, quip-



pe cum idem hic Pulvis certissime cochlearis ferrei fundum, si tenuis sit, pertundat.

Effectus Aquæ fortis in Argentum quod attinet, quos in Aurum non exferit, referendi tantummodo sunt ad magnitudinem pororum Argenti, ac proportione respondentem crassitiem aculeorum particularum Aquæ Fortis, sufficienter quidem tenuium quoad unum extremum, quo ingressum sibi parent, satis autem latitudinis obtinentium in altero, ad diducendas ab invicem Argenti particulas, crassiorum tamen quam ut subire possint poros Auri, postmodum divisionem illius partium inducere.

Præcipationem Argenti per Laminam Cupream, eius dissolutioni immixtam quod spectat, atque effectum Aquæ Fortis in idem cuprum, quanquam infracta fuerit illius vis ab aqua in vase fictili contenta, in quam argenti dissolutio infusa fuerat, adscribi solummodo debet mollitiei substantiæ Cupri, cuius partes infirmiore compaginem obtinuerunt quam Argenti, atque conformitati pororum ejusdem Cupri cum aculeis superstitibus in particulis Aquæ Fortis, etiam si aliquanto retusioribus à dissolutione in Argento inducta.

Eadem ratio locum tenere debet ratione præcipationis Cupro accidentis, atque dissolutionis ab Aqua Forti laminæ Ferreæ demum inustæ; cum enim illius substantia adhuc mollior sit substantia Cupri, ejusque pori conformitatem obtineant cum figura aculeorum Aquæ Fortis, ad eam conditionem deducta est ut prius deserat, posteriori se adfixura.

Valet præterea eadem ratio quoad præcipationem Ferri, & dissolutionem Lapidis calaminaris & Zincki: Quoad Præcipationem posteriorum, ab illis superaffuso Spiritu Tartari, vel Sale fixo Nitri, adscribenda solummodo fuerit conjunctioni Acidorum corrodentium Aquæ Fortis cum Salibus ejusmodi fixis; Neque etiam in dubium revocandum quin eadem adjunctio fundamentum sit illorum in Nitri corpus conversionis: Atque ex his conspicua est subsistentia formæ interioris Nitri, etiam si insignes alterationes ab igne perpeffum sit, vel ab advocatis materiis extraneis in misturam venientibus.

Præmitto Calcinationes Immerfivas Auri hoc Aquæ Forti immisso, robur noctæ ab admisto Sale Marino, vel Sale Gemmeo, vel spiritu Salis egregie rectificato, institutas aut Oleo glaciali Anrimonij, aliisque liquoribus corrodendi vi præditis, ne tædium Leætori inducam.



## CAPVT XL.

*De Auri depuratione per Cæmentationem,  
Et per Ammonium.*

**O**B insignem adfinitatem inter Cæmentum usitatum ad Auri depurationem, & Cæmentum fabris Cæmentariis familiare, Authores huic operationi Cæmentationis vocabulum imposuerunt: Cuius perficiendæ gratia subtilem in pulverem conterantur Laterum uncia tres, Salis Ammoniæ uncia una, tantundem Salis Gemmei & Salis communis; quibus simul commixtis, vrina probe humectatis, ac in aëre libero exsiccatis, Auri purificationi destinati uncia una in tenuissimas lamellas deducenda erit, quibus in particulas minimas divisas, ut crucibulo plana superficie imponi possint, illorum quantitati, sicuti & cæmenti proportione respondenti: Fundo Crucibuli cæmenti pulverisati stratum immittendum erit, quod lamellis Auri cooperiendum; hæc cæmento, cæmentum autem laminis, in stratificationibus pergendo donec unaquæque lamina cæmento probe involuta & cooperta sit, imo summam omnium superficiem cæmentum accurate integat; Demum crucibulo imponendum erit tegmen dimensum, in medio exiguo foramine pertusum, cuius commissuris optime luto obductis, foramine non obturato, crucibulum igne Rotæ circumdandum erit, qui paulatim illi admovendus est, tempus concedendo evaporationi humiditatis materierum per foramen, cum vero nullus amplius fumus exiens conspicuus fuerit, omnino obturato Crucibuli foramine, gradatim ignis augendus erit per novem aut octo horas, imo postremis duabus aut tribus horis carbonibus, accensis id obruendo; postea sponte refrigerato crucibulo, eoque decrustato, educendæ erunt Auri laminæ, quibus de pondere aliquid decessit, ob consumptionem à Cæmento inductam aliorum metallorum forte illi commixtorum; His e-lotis, absterfis, atque in altero crucibulo fufis, addito pauco Borace, liquefactum Aurum in canalem cylindraceum, pinguedine deliburum, infundendum erit, è quo purum, à cæteris metallis extricatum eximetur, quinimo & Argentum, si quod remixtum fuerit, quod nequaquam corrosioni istius cæmenti obistere valet, uti neque alia metalla.



Per Antimonium Aurum purius efficitur hac processus ratione, Optimo crucibulo uncia Auri committitur, pedamento supposito, medio in Fornacis anemix foco, in quo accenso luculento carbonum igne, incandescere permittitur; demum adjiciuntur paulatim electi Antimonii pulverisati uncix quatuor, quod cito colliquatum in fusionem etiam adducit *Antimonium*: Materiae in fusione continentur donec nullæ *scintillæ* prodeant, atque hinc judicium ferat ab Antimonio quasvis materias extraneas Auto commixtas, absumptas fuisse: Tunc præsto sit Cucullus ferreus idoneus, excalesfactus, & pinguedine aliqua illinitus, cui infundendæ materiae, statim Cucullum percutiendo ad faciliorem Auri descensum infundum: Demum plane frigefactis, atque rite exsiccatis omnibus scoriis superficiem obtegentibus, crucibulo immittitur, & Fornacis anemix, medio in igne luculento, Id colliquefactum, addito paulatim duplo pondere Nitri depurati, & in fusione conservatum donec Nitrum cunctas Antimonii scorias, aliaque inquinamenta residua abstulerit, iterum infunditur Crucibulo ferreo, incalesfacto & pinguedine delibuto, Sic emergit Aurum purissimum, coloris elegantissimi & ad quasvis usus idoneum.

Liceret & Aurum per catillum obryse depurare, cum præsertim solum remixtum est, fusionem addito plumbo instituyendo, metallis imperfectis: At cum Argentum Auro sæpenumero confusum reperitur, ejusmodi autem purificatio tunc temporis inutilis futura sit, quandoquidem Argentum non obedit catillo obryse, ideo perraro rarissime hujusmodi depuratio in usum advocatur: quamobrem de illa solummodo inter Argenti depurationes verba facturas sum, ubi multo commodior est illius usus.

Cum obvium sit Aurum egregie depuratum apud Aurifabros, Monetarios, aliosque repurgandi peritos, inutilis videtur fuisse disquisitio mediiorum illius purificationi idoneorum à me allata, at vero curiositati quorundam satisfaciendum credidi, firmandasque credidi præparationes rationum momentis additis.



## C A P V T X L I.

*De Expurgatione Auri per Mercurium.*

**A** Malgama vocant unitatem factam metallorum & Mercurij, una in massam mollem & tractabilem deductorum; postmodum ab invicem segregandorum calcinationis, beneficio, Mercurio in fumum fugato, qui à metallo secedit cujus poros subierat.

Amalgama Auri cum Mercurio omnium & usitatissimum & consideratione maxime dignum est; Hic autè est processus, Imponantur duo exigua Crucibula Fornaci anemix, horum unum excipiat Mercurij cum cinnabari revivificati drachmas sexi, alterum Auri, rite expurgati in lamellas tenuissimas deducti drachmam; hæc forfice minutissime dissecentur; in ambitu crucibulorum accendatur ignis carbonum, cum vero Aurum incanduerit, Mercurius autem fumos exhibere inceperit, Aurum Mercurio jungatur, unoque crucibulo ambo contineantur, virgula ferrea hæc commovendo; quo pacto ex Auri & Mercurij combinatione fiet Amalgama, in scutellam aqua semiplenam effundendum.

Hoc rite elutum, & manibus iterum atque iterum contrectatum & affricatum in prædicta aqua, ad sordium absterfionem, producturum est Amalgama lene, tractabile, digitis cedens, & fere unctuosum; quod exsiccandum, & comprimendum alutæ rupicaprinæ commissum, ad expressionem portionis Mercurij quæ Amalgamationem subterfugit: Massa autem semunciæ pondus vix superatura est, quod Mercurij reliqua pars ab igne exhalatit, vel per alutam evaserit, quandoquidem Aurum sibi illius subtripulum tantum sui ponderis adsumere potest.

Præcipiunt nonnulli Auctores Amalgama hoc exiguæ Retortæ immitendum, Mercurio autem igne leni & gradatim adhibito educto, pluribus vicibus iterari Amalgamationem; toties Mercurium in exiguum Recipiens recondendo, rostro Retortæ admotum, ut Aurum eo pacto admodum spongiosum evadat, ac juxta eorum mentem, ineptum admit-tendo deinceps Mercurio; hunc sibi coaptando.

Sed præterquam quod dubius est successus, Operationum autem ejusmodi diuturnitas & confusio tædium allatura est, spe ille non excidet qui Amalgama istud crucibulo indiderit, igne mitiori accenso, exhalato autem, non autem exaltato Mercurio, sicuti quibusdam visum; Amalgamatio Auri, in crucibulo superstitis, recenti addito Hydrargyro instituta fuerit, etiam tribus vicibus dictas repetendo operationes: Post-



modum commiscendum, leniterque incendendum, Auro inspergendum sex ex serie vicibus, duplum ad Aurum sulphuris pondus, tam ad faciliorem illius referationem, quam ad cunctas Mercurij particulas abstrahendas, forte residuas: Eoque pacto emerget Auri calx, cujus partes accuratissime divisæ erunt, probe eluendæ, & ad usus servanda eisdem, eisdemque morbos, ac non dissimili ratione qua Aurum Fulminans adhiberi solet.

Ad majorem præterea perfectionem dicta Auri calx, probe eluta, commisceri potest tertio tanto ponderi florum salis Ammoniaci, optime præparatorum & pulverisatorum, omniumque Alembico cæco proportionem respondentem, commissorum sublimatio ex Balneo Arenæ, igne moderato institui; demum repetitis lotionibus tota substantia florum salis Ammoniaci abstracta, prober edulcorati Auri flores adservandi, utpote præstantissima omnium operationum quibus subjacere potest metallorum Rex.

## CAPUT XLII.

### *De Calcinatione Auri per Cornu Cervinum.*

**E**Tiamsi exigua adpareat Cornu Cervini in Aurum efficacia, si præsertim illi remixtum fuerit solum id quod ustionem passum, sicuti præcipiunt istius præparationis Authores, ac præterea consideratio tantum videatur habenda separationis quam præstat lamellis Auri interjectum, hoc tamen verisimile est si tempus concessum fuerit partibus subtilibus & volatilibus Cornu cervini, in Aurum exserendi actionem, quantum in ipsis est, futurum ut quodammodo illius partes pervadant, ac multum eo pacto conducant illius Calcinationi, accedente igne: Constat saltem, si ineptæ fuerint alterationi qualitatum Auri in ipsa calcinatione, licere in usum trahere partes utiles Cornu Cervini, utpote quæ adeptæ sint quandam exaltationem à mora cum Auro contracta; imo, forte, ob quasdam particulas inter distillandum ab illo abstractas, isti methodo insistendo.

Accipiatur semunciâ Auri depurati per Antimonium; eo in tenuissimas laminas deducto, hæ in minutissimas particulas forfice dividantur, commiscendæ libris duabus rasuræ Cornu Cervini, misturaque hac grandi Retorta Argillacea, luto obducta, excepta, hæc Furno Reverberij clauso committenda, postea admoto illius rostro Excipulo rite loricato, suscipienda distillatio igne gradatim accenso, eadem processu ratione ob-

servata



servata quam indicavi ad ordinariam Cornu Cervini distillationem : De-  
 mum sponte refrigeratis vasis, Recipiente decrustato, effusis in lage-  
 nam vitream densam in eo contentis, optime occlusa lagena, in pelvim  
 infundendæ erunt laminæ Auri cum subsidencia Cornu Cervini in Re-  
 tortâ superstitis, seorsimque repositis Auri laminis, iisque commixtis  
 duabus libris recentibus rasuræ Cornu Cervini, iterum omnia Retortæ  
 committenda, suscipiendaque nova distillatio ; Imo ter cunctæ hæ ope-  
 rationes repetendæ sunt ; Postea effusis laminis Auri cum subsidencia po-  
 stremæ distillationis in ollam fictilem quæ ignis impetum sustineat, ap-  
 positoque illi operculo, luto probe obducendo, per triduum calori fur-  
 ni figulini committenda ; postea materiæ frigefactæ, contritæque lami-  
 næ cum capite mortuo Cornu Cervini, eadem Olla excipiendæ erunt,  
 reverberationem passuræ, beneficio ignis moderati ad aliquot horas,  
 aut donec omnia adepta sint colorem fere lateritium : Deinceps lotio-  
 nibus adhibitis secernendum erit Cornu Cervinum ab Auri calce, fun-  
 dum vasis occupatura, quæ exsiccata ad usus adservanda erit.

Interim commixtæ cunctæ substantiæ, in Receptaculo reperiendæ,  
 ex triplici distillatione manantes, in Matratium prolixiori collo donatum  
 infusæ, Balneo Mariæ committantur, quo capitello suo instructo,  
 adjunctum in rostro gerens excipulum, accurate luto cunctis juncturis  
 munitis, perficienda erit Rectificatio, eodem modo procedendo quem  
 alias innui ejusmodi materiæ gratia, Inde proditura sunt Oleum &  
 Sal volatile, proculdubio viribus non inferiora iis quæ è Cornu Cervino  
 extrahi solent, nullo Auro admixto.

Silentio prætereo Calcinationes Auri in Furno Reverberij fieri solitas,  
 sive solitarium adpositum fuerit, sive commixtum Sali communi,  
 vel sulphuri ; sat multis me ad tulisse confisus, in normam plurimarum  
 aliarum operationum.

## C A P U T XLIII.

*De Tincturis aut Extractionibus Auri.*

**C**Vm illorum imitator esse nolim qui rati sunt posse se secernere Sal,  
 Sulphur & Mercurium à quibusvis metallis, speciatim ab Auro ; ne-  
 que gloriari possim ejus rei consequendæ me callere media, uti neque  
 ullam Auri præparationem in medium adferre, qua peracta Aurum ne-  
 quaquam pristinæ formæ restitui queat ; Forsan mirum alicui videbitur  
 quod de illius Tincturis aut Extractionibus sermonem adgrediar : At vero



raturum cum habeam ventriculi calorem sufficientem esse perficiendis dissolutionibus & præparationibus, & specialioribus, & magis intimis illis omnibus quas Ars excogitare potest, impellor ut non omnino prætermittam quasdam præparationes non contemnendas: Atque huc ut inferam illas quibus superandis & digerendis ventriculus par esse videtur, ac separationi partium faciendæ, imo, quantum in illo est, extrahendo succo medico, aut alimentario.

Potest elici Auri Tinctura, hac ratione procedendo, Accipiatur semuncia Calcis Auri optime reverberatæ, admodum spongiosæ, coloris rubri, fusco proximi; hac Matratio immissa, affusoque spiritu vini alkoolifato, additamento salis urinæ excitato, usque dum Calci Auri super emineat tribus digitis; hermetice matratiatum occludatur, digestionemque præmissa super Pistoris furnum imposito Matratiatio, materias ex intervallis commovendo, mensis spatio ibi sinendo, vel donec Tinctura sanguinis ruborem adquisierit, Recludendum erit Matratiatum, decantandaque Tinctura in lagenam vitream densam, qua rite obturata, iterata fiet adfusio recentis spiritus vini, acumen nacti ab adjecto urinæ sale volatili: demum hermetice occluso Matratiatio, iterata digestio suscipienda, tamdiu producenda quamdiu priori vice, imo iterato instituta, donec menstruum nullum amplius induat colorem; Postea commistione facta, & digestionem omnium harum Tincturarum, in Matratiatio, cui impositum sit Alembicum Cœcum, accurate luto munitum, per decem vel duodecim dies infundendæ erunt in Cucurbitam vitream, colli angustis; qua commissa Balneo Mariæ tepido, Capitello suo instructo, admoto Excipulo illius rostro, accurateque luto obductis cunctis juncturis, igne lenissimo maxima Tincturæ pars elicienda erit, ad similes usus adhuc deinceps adhibendæ; Conspicuaque erit in fundo Cucurbitæ Tinctura Auri rubicundissima, olei propemodum specie, in quovis liquoris genere dissolubilis, exhibenda à tribus aut quatuor ad septem vel octo guttulas.

Potest & huic Tincturæ concentratæ adfundi quintupla aut septupla portio spiritus vini rectificatissimi, præviaque aliquot dierum digestionem, faciendâ abstractio ex Balneo Mariæ tepido, imo repetitis vicibus, ad adfusionem recentis spiritus vini supra Tincturam redeundo, sicuti ad digestionem & abstractionem, exaltandæ gratia ulterius istius Tincturæ, nomine Auri Potabilis insigniendæ, quippe quæ medicamentum perquam idoneum sit roborando cordi, ferendisque illi suppetiis in quibusvis affectibus, ut & cerebri, aliarumve partium principum, humidum enim radicale tuetur, caloremque nativum illico recreat, spiritus vitales & animales instaurat, partibus robur ad actiones necessarium restituens & conservans.



Quercetanus miris laudibus effert Auri quandam Tincturam, cujus præparandæ ergo Calcis Auri digestionem in Aceto stillatio instituit, usque dum hoc menstruum admodum rubrum fiat, demum decantata, & recondita hac Tinctura, recens Acetum calci affundit, donec nulla amplius prodeat Tinctura: Deinceps, abstracta Balneo Mariæ maxima menstrui parte, Tincturæ in fundo restibili spiritum vini rectificatissimum adfundit; addita per plurimos dies circulatione una cum Tinctura, abstracto hoc spiritu, affusoque recenti supra Tincturam, ac identidem repetitis hisce operationibus, rubicundissima in vasis fundo se exhibet.

Gruelingius describit Vitrum, aut Rubinum Auri, concinnatque ex limatura semunciæ Auri purissimi, aut bracteis, & Antimonij Hungarici pulverisati unciis octo, in crucibulo leni igne fundendis, postea in pelvim infusa, & in tenuissimum pulverem deducta, diutinæ calcinationi exponit, eadem ratione qua calcinatur Antimonium cum in Vitrum id conflandum est, usque dum cunctum Antimonij sulphur omnimode deflagaverit, postmodum parte Pulveris exiguo crucibulo indita, pedamentoque Crucibulo supposito, in Fornace idonea, Pulverem ad fusionem deducit, fufumque pelvi cupræ infundit, occurrente hinc Auro vitri-formi, Rubino colore adfina, quod eximium censet & ad lenem Vomitum ciendum, Hydropemque curandum, cunctosque affectus frigidos, Luem Veneream radice tenuis exterminandam, dolores illius comitis mitigandos: Ad Pestem etiam valere asserit, morbosque epidemicos, expurgandam sanguineam massam, Pedagricos & Arthriticos sublevandos, præbetque à grano uno ad duo.

Ex eodem Rubino, in pulverem subtilissimum contrito, educi ait Tincturam beneficio spiritus vini rectificatissimi, cujus duo cochlearia integra dare liceat, & nullo excitato vomitu, neque dejectione per imum ventrem, sudorem efficacissime promoveat, ac morbos desperatissimos curet, massam sanguineam depurando, humores ad corruptionem vergentes emendando, cunctasque corporis impuritates per insensibilem transpirationem excludendo.

Ulterius excrescere posset hoc caput allatis non exiguo numero præparationibus Auri Potabilis, Tincturis, Extractionibus, aliisque Auri præparationibus, plurimis in libris obviis, Eam vero solum amplector quam eruditissimus Dom. Ioel Langelotius transmisit ad Academiæ Naturæ curiosos in Germania, Epistola ad hos conscripta, Francofurti edita anno 1672. ubi de obscurioribus quibusdam in Chymia agit: Ibi loci præcipit concinnari Molam Philosophicam, cujus figu-



ram adducit, ex chalybe purissimo sæpissime temperato; quam etiam exhibemus Tabula quarta huius libri.

Præcipit inquam, Aurum præparandum in laminas tenuissimas diduci, idem forficibus minutissime dividi, ac in machina prædicta conteri à mane ad vesperam, toto mense, citra intermissionem, molam sola charta apposita integendo, prohibendi gratia ne quid impurum incidat, ac tandem istud Aurum, ad atomos fere deductum, excipi Retorta vitrea aliquantisper plana, cujusmodi sunt ut plurimum Anglicæ; qua Balneo Arenæ commissa, admotoque exiguo Excipulo illius rostro, adhiberi per gradus ignem, initio mitem, sub finem ad extremam vehementiam urgendum, exstillantibus hinc guttis aliquot rubicundissimis; quæ digestionem seorsim expositæ, aut spiritui vini Tartarificato committæ, in Aurum potabile legitimum transeant, quandoquidem nihil plane extraneum illi additum est.

Iubet etiam repetitam contritionem fieri, ope ejusdem molæ, Auri in Retorta residui, quod in atomos sicuti prima vice conversum, iteratisque iisdem operationibus quoties necessitas adfuerit, totum in liquorem tandem abiit.

Præparationem vero istam ad examen deducens ait, ipsam, etsi specie simplicissimam, diurnoque labore perfectionem obtineat, si accurate perpendatur rationi admodum consonam deprehensum iri, eo quod experimento crebro sibi compertum sit ejusmodi triturationem, coadjuvante innata Chalybis, è quo constat hæc machina, proprietate, proculdubio admirandum Aëris sal in se allicere, quod paulatim Auri poros pervadens, hujus dissolutionem promovet: Molam præterea istam Chalybeam infinitis parasangis præstantiorem esse quibusvis mortariis vitreis, vel aureis in hunc usum advocari solitis.

Præparatio autem ista nimis speciosa est quam ut prætermitti debeat; imo curiosos & divites ad experimentum pellicere debet, tædio diurni laboris, ad hanc præparationem requisiti, & curæ adhibendæ ut mola affabre concinnata sit, excusso.

## C A P U T XLIV.

### *De Preparationibus Argenti.*

**A**Rgēntum nunquam non metallum perfectum indicatum fuit, quod ad Auri perfectionem plusquam quodvis aliud metallum accedat, etiamsi hac conditione non minimum ab illo recedat.



Lunæ nomen illi inditum est, tum quod colore & nitore hoc sidus referat, tum ob influxus singulares quos ab illo suscipit, vimque illi impertiuntur cerebrum ab affectibus, quibus obnoxium est, liberandi, non secus ac existimatum à Sole in Aurum influxus commeari, ad defensionem Cordis adversus morbos illi infestos.

Argentum albedinem à candido suo sulphure interno mutuatur, sicuti Aurum colorem suum deducit à sulphure rubicundo illi innato: Etiam si vero sulphur Auri multo perfectiorem digestionem obtinuerit, ac puritatem quam sulphur Argenti majorem adeptum sit, cum tamen posterioris hujus puritas longe antecellat Sulphur cæterorum metallorum, Ferri, Cupri, Plumbi, & Stanni, ideoque metalli perfecti titulum, cum Auro illi communem, adeptum est, exclusis cæteris omnibus.

Argentum quodammodo ad ignem permanet, at non quamdiu Aurum, etiam si purificationem summam, cujusmodi capax est, nactum sit, non nihil tamen illius substantiæ decedit, sicuti & ponderi, si diutius ignis examini subiectum fuerit: Imo neque diu Salium corrodentium impetum sustinet, sicuti id ipsum observare est quando Auro commixtum Cæmentationi subiicitur; A salibus enim tunc temporis eroditur non secus ac Metalla imperfecta; cujus eventus causa non obscura est, quandoquidem sulphur internum, cunctæque Auri particule longe puritate præcellunt, compactiores sunt ac magis constrictæ quam in Argento, quæ cõvenientis digestionis, ac perfectionis indigæ, poris præterea insignioribus interstinguuntur, qua de causa Argentum substantiã consequitur minus adstrictam & cõadunitam, adeo ut firmitatem & soliditatem debitam non obtineat, ideoque tam firmiter non obsistat, nec citra aliqualem dissipationem iisdem vexationibus quibus Aurum exponitur quin alterationem subeat, aut quantitatis propriæ & ponderis decrementum: Eapropter etiam Argentum minus Auro extensibile est, aërisque impressiones multo facilius excipit, sicuti id observare est in vasis argenteis divo expositis, noctu præsertim, quandoquidem candore nativo exuto rubicundum utcunque cum fuscidine, si præsertim impurius fuerit aër, induunt.

Impuritates naturales Argento, quandiu intra mineram est, commixtæ, aliaque metalla aliunde ipsi ad venientia, artifices ad hujus expurgationem impellunt, mediaque indaganda quibus hanc perficiant: Lotiones equidem adhibentur ad terrestrium partium, particulas illius inquinantium detractionem, quandiu mineræ adhuc remixtum est, ac deinceps ignis, ut in massam cogatur; At vero cum Aqua nequaquam crassioribus & solidioribus quibusdam impuritatibus auferendis par sit, etiam si superficie tenus id inquinantibus, Argentum in lixivio ex Tartaro & sale Marino confecto excoquitur, sicuti id in more est apud Auri



fabros Argentum de albuturos : Attamen ejusmodi lixivium proculdubio particulas quasdam metallorum imperfectorum dissolvit, Argento in superficie solum commixtas, quinimo & quasdam propriæ Argenti substantiæ particulas; at cum quantitas illa admodum sit exigua, ideoque illi Aurifices non attendunt.

Calcinatio immerfiva ad Argenti expurgationem non admodum commoda est, quandoquidem cum ab illa dissolvi queant nonnullæ particula metallorum imperfectorum, Argento commistorum, vix eo pacto puritatem illius adipisci licuerit : Scopum forte melius assequi dabitur Fusionem Argenti in crucibulo, adjectoque repetitis vicibus tantillo Nitro purissimo, ibi accendendo; At cum nec hujusmodi expurgatio par esse queat quibusvis Argenti impuritatibus detrahendis, ad Plumbi auxilium confugiendum est, cujus solum beneficio absumi queant quævis metalla imperfecta, si quæ Argento commixta sunt, aut ab eo secerni, ut inde scorix quædam excernantur, de quibus subsequenti capite verba facturus sum.

## C A P U T X L V I .

### *De Auri expurgatione per Plumbum.*

**E**Tiam si Auri pori multo quam Argenti constrictiores sunt, posterioris autem hujus multo magis quam cæterorum metallorum, ea tamen ratione dispositi sunt ut accedente Fusionem metalla imperfecta, commisceri solita, intime illis se adjungant, sicuti in illorum conjunctione cum Plumbo in catillo obrysa ad tempus id observare est, aut in artificiali concreione à monetariis artificibus, aut Aurificibus instituta cupri cum perfectis hisce metallis : Concreio hæc, Asicuti nonnulli existimant, nequaquam superficialia est, alias Lixivia, ex salibus acris & corrodingi facultate præditis parata, satis essent ad detrahenda metalla hæc imperfecta : Sin porro horum coitio superficialia esset, cum una fusioni exposita fuere, inutile esset Plumbi additamentum, sicuti & Antimonij, necnon alia media usitata ad expurgationem Auri & Argenti, & secretionem quorumvis metallorum imperfectorum ipsis commixtorum.

At vero Plumbum ad deputationem Argenti adhiberi solet, quia cum facile fusioni obediat, cæteraque metalla ipsi conjuncta promptè ad colliquationem adducat, eodem tempore illorum poros subit : Cum porro ramosis partibus constet, sulphureis, ac cito in vaporem solubilibus, facillime



facillime cæteris metallis intricatur, illorum particulis confociabilibus se intime adjungit, illasque ad exitum una moliendum ex poris Argenti impellens, prout ignis per Catillum expurgatorius illa constringit, ita eadem secum fumi specie aut scoriarum excludit. Si enim naturalis pororum Auri constrictio, aut Argenti, prohiberet ingressum in poros metallorum imperfectorum, & cum illis conjunctionem, quandiu in fusione versantur: Vel si solius fusionis beneficio metalla illa perfecta pristinae integritati possent restitui, ex illorum poris metalla imperfecta excludendo, quæ fusionis tempore priora subiere, vel alia quamquam via, omni alio subsidio pronum esset carere; Sed cum mediis prædictis id consequi non liceat, experimentis autem felicibus alia cum sint confirmata, ideo Plumbum ad hujusmodi repurgationem usurpari solet, Eapropter etiam sequentem methodum adducturus sum.

Quibus non omnia requisita ad depurationem Argenti à Plumbo suppetunt, iis satis est Crucibulum forte, supposito pedamento, in media fornace anemia collocasse, accenso in toto ambitu igne carbonum luculento, id Crucibulo candenti immittunt, exempli gratia, Plumbi uncias quatuor, cui liquefacto infundunt Argenti unciam unam, quod Plumbo commistum facillime funditur, demum ignem luculentum circumcirca Crucibulum fovent, quousque Plumbum, aliaque metalla imperfecta, si quæ Argento commixta sint, in fumum discedant, aut in scorias convertantur, supra Argentum eminentes, quod purum superstes erit, solidum & candidissimum in fundo crucibuli: Ejusmodi scoriis Lithargyri nomen impositum fuit, quia ab expurgatione Argenti residua lapidum fere soliditatem obtinent.

Id vero quibus plurimum Argentum expurgandum est, suppetunt vero affatim Catilli expurgatorij, Fornacesque idoneæ, faciliori & compendiosiori via scopum assequuturi sunt, Imposito enim Catillo lato & denso, intra conceptaculum ferreum proportione respondens; hoc vero idoneæ Fornaci, postquam paulatim incanduerit Catillus intra Conceptaculum, ope Ignis circularis, Plumbum Catillo expurgatorio exceptum liquefieri curant, ac demum Argentum in Plumbo; demum luculentum carbonum ignem circumcirca conceptaculum foventes, tandem Argentum solum depuratum se exhibet, consistentia alba & dura medio in Catillo expurgatorio, postquam Plumbum, aliaque metalla in auras abrepta sunt, vel in scorias secesserunt.

At vero cum nunquam desit occasio Argentum, per catinum expurgatorium depuratum, sibi comparandi, eapropter hæc illud expurgandi ratio per aquam raro in usum adducitur: Adde quod inter-nus Argenti usus neque creber, neque magni momenti est, ut



commodi quidpiam in Pharmacopœa redundet ex hujusmodi suscepto labore.

Missa facio a malgamata, confici solita ex Argento Mercurio commisto, sicuti & Cementationes in Furno Reverberij instituendas, utpote vix utiles, nec necessarias.

## C A P U T X L V I .

### *De Dissolutione & Crystallisatione Argenti.*

**A** Pud plurimos Authores sanitum est irrito labore ex Argento, uti & ex Auro, requiri remedia interna ad curationem quorundam morborum, quandoquidem omnes Calcinationes, ac variæ Argenti vexationes, in illius præparatione, nequaquam prohibent quominus pristina restitatur formæ, easdemque iterum induat qualitates, quas ante partium divisionem obtinuerat.

At cum à me superius observatum fuerit Ventriculi calorem nativum idoneum esse perficiendis digestionibus, dissolutionibus ac separationibus Auri, nequaquam fictitiis, & utilioribus cunctis illis quas ab igne quovis artificiali sperare est, hinc colligendum videtur, cum Argenti particula minus compacta sint quam Auri, ideo magis proclives esse penetrationi, dissolutioni, & digestionem admittendæ, beneficio ejusdem caloris ventriculi, coadjuvantibus illius innatis dissolventibus, Neque contemnendas esse præparationes quas suscipere aptum natum est.

Simplicissima Argenti præparatio, ejusdem est Dissolutio & Crystallisatio, vel in Crystalla concretio, cujus perficiendæ gratia, Cucurbitæ vitreæ, Balneo arenæ commissæ, modice excalesfacto, immittitur uncia una Argenti in Catino expurgati, & granulati, aut in lamellas vel bracteas deducti; affusisque postmodum spiritus Nitri optimi unciis tribus, à partibus subtilibus & penetrabilibus hujus spiritus, in tumultum ingentem excitatis, indeque ingenti incendio concepto, pervasio fit & dissolutio totius substantiæ Argenti: postmodum motu spiritus Nitri aliquantisper sedato, vaporibus rubicundis, qui supra dissolutionem conspicui fuerant, discussis, vasisque refrigeratis, decantandus liquor in aliam Cucurbitam; qua eidem Balneo iterum imposita, & capitello proprio munita, illius commissuræ luto investiendæ erunt, admotoque hujus rostro exiguo Receptaculo loriceto, igne moderato extrahendæ circiter tres quadrantes spiritus Nitri, eum in  
finem



finem usurpati; demum sponte refrigeratis, decrustatisque vasis, in fundo Cucurbitæ obvia erunt Argenti Crystalla, illis supernatante dissolutionis portione quæ Crystallisationem subterfugit, qua decantata in aliam exiguam Cucurbitam, licebit eodem Balneo iteratæ evaporationi subiicere ad pelliculam usque, Crystallisationem absque igne perficiendo; vel ad omnimodam exsiccationem ope ejusdem Balnei perducipi poterit, Calcem istam Argenti postmodum adservando in lagena vitrea densa rite obturanda, prius repetitis lotionibus optime edulcorata, omninoque eo pacto spiritus Nitri particulis delitescens discuffis.

Crystalla in Cucurbita residua quod attinet, post accuratam exsiccationem in lagena vitrea densa ad usus custodienda erunt, Expurgandum videlicet Cerebrum ab humoribus supervacaneis, curandam Epilepsiam, Apoplexiam, Lethargum &c. exhibendo ex Vini unciiis quatuor, Iusculo, aliove liquore idoneo, pondere semigrani vel ad grana duo, non ex quorundam mente, ad decem usque vel duodecim, prohibente scilicet effectuum vehementia, vique caustica eximia, summam ejusmodi dosim; Imo monendum omnino arbitror doseos horum crystallo-  
rum deductionem ad grana quinque vel sex, recens excogitatam, superfluam etiamnum esse, ad summum una vice grana duo præscribenda esse, nisi quis experimento pœnitendo discere velit ejusmodi Crystalla, majori quantitate exhibita; tunicas ventriculi corrodere posse, ac non secus veneno inficere quam sublimatum corrosivum.

Spiritus exinde elicited usui iterum esse poterit ad dissolutionem Mercurij: Crystallis Argenti nomen Vitrioli Lunæ nonnulli indidere.

## C A P U T XLVII.

*De Tinctura Argenti.*

**M**atratio indatur Vncia una Argenti in Catino expurgati, granulati aut bracteati, Illi superfundantur uncia tres spiritus Nitri optimi: Exponatur Matratium Balneo Arenæ modice calenti, inibi detinendum quo usque Argentum à spiritu Nitri omnino dissolutum fuerit: Demum ab immissa Salis Marini ea quantitate quam absorbere valuerit libra una Aquæ communis, filtratione præmissa, & infusione in pelvim fictilem mundam, Argenti dissolutio in hanc decantanda, in Matratij fundo relictis paucis facibus si quæ superstites fuerint: Eo pacto, à



combinatione partis Acidæ Salis Marini, Partis salinæ sulphuræ volatilis spiritus Nitri, ac partis salinæ fixæ ejusdem salis, intime se adjungentis Acido ejusdem spiritus, hic proculdubio recessurus est ab Argento à se dissoluto, infra præcipitando, quod eo citius futurum est si non exigua copia aquæ fontanæ superfusa fuerit, aut fontanæ vel fluviatilis, sed limpida per linteum transmissæ super materias: Nitri enim spiritus vires cum undique infringantur, ideo præcipitatio fiet ad imum singularum Argenti partium, à dicto spiritu dissolutarum.

Adeo ut nequaquam necesse sit, sicuti perperam quidam existimant, quandam commotionem aut concussionem, inductam ab Aqua salita spiritui Nitri, aut Argento comminisci, ad præcipitationem illius in fundum sollicitandam, quandoquidem nulla commotio, aut validissima etiam concussio istius dissolutionis, sive brachiis facta, sive aliis mediis, quantum vis & gravioribus & solidioribus ipso sale Marino, id unquam præstituræ sunt quod partes salis Marini, absente quovis succussu & jactatione, effecturæ sunt, conjunctæ particulis Nitri spiritus, Argenti adimplendo poros, dum partes aculeatæ spiritus Nitri vicissim subeunt exigua intervalla ab illis omissa.

Verissimum id esse deprehensus est quisquis ad pelliculam usque in vapores faceffere permiserit liquorem Argenti calci supernatantem, postquam hæc præcipitata fuit; In fundo enim vasis conspicuum futurum est Sal Crystallinum, constans ex Sale Marino & spiritu Nitri, quæ sese combinavere quando Argenti præcipitatio contigit.

Peracta hujusmodi Præcipitatione, sinendum ut Calx Argenti subsi-deat, demum decantato liquore limido qui supereminet, iterum atque iterum illa aqua pura affusa eluenda erit, quousque omnino dulcorata sit, quæ postea exsiccata matratio indenda additaque semuncia salis volatilis Tartari, ac tantundem salis urinæ, superaffusis adhuc spiritus Vini rectificatissimi unciis duodecim, imponendum erit Matratio aliud minus, quod Alembici cœci vices teneat; accurateque commissuris, vesica madida admota, loricatis, Vas arenæ immittendum erit supra Pistoris furnum, inibi detinendum spatio quindecim aut viginti dierum, per vices materias versando, donec spiritus Vini fuerit adeptus colorem cœruleum elegantem: Tunc decrustanda erunt vasa, ac decantanda Tinctura in ampullam vitream densam, quæ accuratissime oclusa talis adservanda erit ad usum; vel exigua Cucurbita vitrea, colli angustioris, excepta, Balneo Vaporis commissa, superindito Capitello proprio optime luto investito, eliciendi erunt circiter duo trientes spiritus Vini, derelicta in fundo Cucurbitæ Tinctura concentrata, sicuti prior conservanda.

Tinctura hæc nihil aliud est quam dissolutio particularum quarundam Argenti,



Argenti, ope salium volatilium Tartari & Vrinæ divulsarum, demum beneficio spiritus vini exaltatarum.

Eximiæ hæc utilitatis esse censetur contra Apoplexiam, Epilepsiam, Vertiginem, Hemicraniam, aliosve cerebri affectus, exhibendo hanc Tincturam à quinque aut sex ad duodecim & quindecim guttas.

Addi possunt Calci Argenti, in matratio relicta, eadem cum illa quantitate, spiritus volatiles Tartari & Vrinæ, ac spiritus Vini rectificatissimus; Iterumque imposito super Matrarium Alembico cœco idoneo, lutoque obductis juncturis, repetitisque iisdem commotionibus & digestionibus, recens extrahi Tinctura.

Sed & postmodum in usum adduci potest Calx Argenti in matratio superstes, fusione præmissa, & detonatione paulatina, in Crucibulo candente, unciæ unius Tartari, tantumdem silicum pulveratorum, Nitri purissimi unciarum quatuor, ac carbonum pulveratorum drachmarum duarum; liquefactas has materias in mortarium calens infundendo; quæ cum refrixerint, contritæ cum æquali pondere calcis vivæ crucibulo excipiantur, committanturque Igni fusorio, tunc Calx ista pristinum Argenti corpus resumptura est, utile postmodum ad quasvis sicuti prius præparationes.

Salia fixa Tartari & Nitri hic omnino requiruntur, ad coërcendam volatilitatem salium Vrinæ & Tartari, quibuscum Calx Argenti digestionem subiit, sicuti & ad fixationem partium istorum salium, quæ poros Calcis intime subiere, & absque dictis salibus fixis, dum evaporatio fit, partem illorum secum abstractura essent.

Pulvis Carbonum salibus & silicibus commixtus, detonationem Salium promovet, sicuti & exhalationem spirituum volatilium Nitri, effectus salium fixorum impugnantium, quæ sola hic requiruntur.

Nonnulli adpositissime Tincturam Calcis Argenti per Vitrioli spiritum, dulcificatum à spiritu vini rectificatissimo abstrahunt, juxta methodum à me traditam capite illi proprio: Neque Tinctura istiusmodi ulla ratione inferior est illis quas plurimi Authores exhibent, quarum descriptio Lectori tædium induceret.

Hæ Tincturæ Argenti nomen Lunæ Potabilis adsumpserunt, ad similitudinem Tincturarum & Auri Potabilis.

Plurimas Argenti præparationes hic prætermitto magis curiosas quam necessarias, satis fuerit huc adtulisse præparationem Lapidis Caustici, ratione sequenti perficiendi.



## CAPUT XLVIII.

*De Luna Caustica, vel Lapide Infernali.*

**A** Argenti per catinum expurgati, granulati, vel in lamellas deducti, uncia quatuor excipiantur Cucurbita vitrea idonea; superaffundantur Aquæ fortis optimæ uncia duodecim; commissa Cucurbita Balneo Arenæ moderate calenti: ibi detineatur donec Argenti ab Aqua Forti dissolutio absoluta sit, Imo, si lubet, ab indito Cucurbitæ Alembico idoneo, pauloque intensiori reddito igne Balnei, poterit abstrahi media circiter pars Aquæ Fortis, utilis futuræ cuiusdam Mercurij dissolutioni.

Alias illius evaporatione procurata ad medias, ejusdem Balnei ope, sponte refrigerata, & in crysalla deducta subsidentia, crucibulum Germanicum solidum, pedamento subdito, immittendum erit medio focò parvæ Fornacis, accensoque in ambitu exiguo igne carbonum, crucibulo imponenda erit pars CrySTALLORUM dissolutionis Argenti, paulatim evaporatione facta maximæ partis spirituum Aquæ Fortis, addendo iteratis vicibus cætera omnia CrySTALLA, adhibito recto ignis regimine, ne si forte materia in fervorem raperetur, crucibuli oras excederet ac effunderetur; In eo tenore illum producendo donec Argentum propemodum in crucibulo exsiccatum adpareat, vapores autem rubri, ex Aqua Forti ante emissi, evanescere incipiant: Eo tempore Ignis aliquantisper intendendus ad promovendam Argenti fusionem, quod, præeuntibus levibus quibusdam ebullitionibus Crucibuli fundum petiturum est: Cum vero animadversa fuerit consistentia Oleo crasso similis, vossellis validis arripiendum erit Crucibulum, leniterque Argentum liquefactum idoneis canalibus cylindricis infundendum erit, prius excalectis & sebo delibutis, hos invertendo & supra mensam concutiendo; frustra postmodum pyxidibus excepta recondendo, vel vasis aliis idoneis, adeo ut Aëris humiditas subire nequaquam possit, lapidem emollitura ac vim illius causticam infractura.

Lapis iste citissime causticam vim imprimit partibus quibus admoveatur, sive fuerint carnes sive ossa, dummodo leviter madefacta fuerit extremitas lapidis, aut locus ipsemet cauterio inurendus, qui effectus adscribendus videtur postremis spiritibus Aquæ fortis intra Argenti poros superstitionibus, una cum ipso lapideam formam adeptis, qui citius, tardius operationem exerunt, majori aut minori vehementia



mentia prout dissoluti fuerint ab uberiori vel pauciori humiditatis copia.

Neque tamen existimandum Argentum in Aqua Forti dissolutum, vel spiritu Nitri, Causticam vim solummodo adeptum esse, quando una cum ultimis spiritibus lapideam nactus est naturam, Crystalla quippe Argenti, materiam lapidi præbentia, ipso lapide magis sunt caustica; Simplex Argenti dissolutio, in Aqua forti facta, majori celeritate & vehementia adurit ipsis lapidibus & Crystallis, teste experientia, nam si forte guttula in manum resiliat, vel vultum Artificum aut assidentium in ipsa præparatione, illico vim adustoriam depromit, imo penitus se immergit, nisi protinus elotus fuerit locus illam excipiens, infringendorum gratia & delendorum spirituum causticorum Aquæ Fortis.

Neque id mirum, nam cum Aqua Fortis nullam fere particulam obtineat quæ caustica non sit, Salia actioni demum prodendæ idonea redduntur quando fuere dissoluta; Id quoque manifestum est Lapidem infernalem nequaquam ustorium esse quamdiu aridus est, sed humore indigere ut in effectum deducatur; Eadem etiam de causa dissolutio Argenti in Aqua Forti multo celerius adurit ipso lapide infernali, eo quod non solum liquida est, sed etiam quia ejusmodi naturam adepta est ab Aqua Forti, vel à Spiritu Nitri; quæ quamvis actu liquida sint, facultate nihilominus caustica quoad singulas partes prædita sunt, solaque agere valent & præstare id quod omnino superat qualitatem Aquæ communis, adhibendæ ad dissolutionem, & promovendam actionem partium Salinarum in lapide infernali contentarum.

## C A P U T XLIX.

### *De Preparationibus Ferri.*

**F**erum, Cuprum, Plumbum & Stannum, metalla imperfecta ideo vocantur, quod illis desit Auri & Argenti puritas, partes minus compactas obtineant, ignisque impetum non æque sustineant: At vero etiam si longe inferiora sint Auro & Argento, illisque imperfectiora, Ars tamen Chymica plurima & præstantissima ex illorum sinu depromit remedia, præsertim ex Ferro, quamvis conflatum sit ex Terra, Sulphure & Sale impuris & imperfecte digestis, prave coalitis: Quo fit ut si diutius igni admotum fuerit, totum pene paulatim in scorias discedat, imo neque aëris injurias impune ferre possit, qui id pervadit successuque temporis erodit.

Ferro Martis novem inditum est, vel quia usurpari solet ad armorum



fabricam, quorum Martem Ethnici Deum constituerunt; Vel ob influxus quos à Planeta cognomine id excipere creditum est.

Chalybis etiam nomen gerit Ferrum, quando illius substantia universa expurgata est, partes autem compactiores; Eam naturam adeptum cum per aliquot horarum spatium Ferreæ fudes intenso igni commissæ fuerint, additis cornubus bubulis aliorumve animalium, carbonibusve salignis aut faginis, quorum ope absumptis partibus maxime terrestribus & impuris Ferri, expurgantur & adstringuntur, compactioresque fiunt partes præcipuæ: Vel etiam postmodum prædictas fudes ad excandescentiam usque excalesciendo, ac demum per vices in aquis aut decoctis adstrictoria vi præditis extinguendo, ad majorem ferri partium compagem obtinendam.

Impuratum causa, quibus scaterere solet Ferrum, solus Chalybis ad cunctas præparaciones, quas id metallum subire debet, in usum adduci solet, eligendo ut plurimum illius limaturam, eam præsertim quæ ex acubus deteritur, utpote omnium purissimam, quam nullo negotio comparare licet: Attamen nonnunquam usurpantur Massulæ, aut Laminæ Chalybeæ, adhibitis præparacionibus necessariis.

Iam pridem acri studio disquisitum est, cur Chalybi adsignatæ fuerint duæ qualitates sibi repugnantes, aut saltem quoad effectus admodum dissimiles, Aperitiva videlicet & Adstrictoria? Eo major vero occurrit difficultas quod nequaquam diversæ hæ partes, Chalybem componentes, ab invicem distincte divelli queant, quæcumque demum cura adhibita fuerit: Frustra enim quis pollicitus fuerit vel Sal, vel Terram, aut Sulphur distincta, quandoquidem quascunque id subierit præparaciones, quoad universam substantiam sibi simile semper adparet; etiam si verosimile sit sal proprium, atque sulphur interna, aliquam dissipacionem perpeffa esse.

Quandoquidem vero secerni nequeunt diversæ illius substantiæ, fecus ac separantur in Animalibus, aut Vegetabilibus, frustra quis adsignatum iverit vim Aperitivam illius salis, Adstrictoriam autem Terræ quæ pollet: Cum enim nunquam à se mutuo divellantur, ac semper consociabilia sint, combinata tantum effectum editura sunt, ac conjunctim exceptura sunt probas aut improbas qualitates ipsis inducendas; Adco ut admodum probabile sit Martem effectus solum edere pro ratione Præparacionum quas subiit, aut, ut satius dicam, pro varietate succorum, acidorum aut salinorum, volatilium aut fixorum, simplicium vel compositorum, quos in ventriculo obvios habuerit.

Sæpe enim usû compertum est, simplicem Chalybis limaturam, omnis præparacionis expertem, ore aliquot diebus ex ordine mane adsumptam, imo teneriori constitutione præditis præscriptam,



non modo in ventriculo fuisse dissolutam, sed & obstructions Iecoris, Lienis & Vteri referasse, id quod præstare nequaquam potuerant plurima alia remedia summa cura præparata: At vero hic effectus immerito proprio Sali limaturæ Chalybis adscribendus esset, quandoquidem cæteris illius partibus indivulse cohæret, id quod soli temperationi succorum Acidorum aut Salinorum in dissolutione Martis ab ipsis facta adscribendum videtur.

Si enim experientiam consuluerimus, Chalybs non difficilis est solutionis, quem non modo Tartarus, qui sale fixo abndat, spiritusque acidus Sulphuris sicuti & Vitrioli, Salis Marini & Nitri, pervadere ac fere æque dissolvere; sed ævinum, imo & aqua penetrare, ac partem illius limaturæ valent, ideoque admodum verisimile est succos, tum acidos tum salinos, aut, si vis naturæ mediæ, vel enixæ, ad occursum chalybis in ventriculo, proculdubio illi se adfigere ac id dissolvere; ad cuiusmodi autem dissolutionem referendam libertatem restitutam partibus corporis in quas dicti succi actionem suam exerebant, ac restitutionem in statum pristinum, functionumque pristinarum liberum exercitium; quo fit ut ventriculus, intestina, aliæque partes, tunc nullo negotio à pravis humoribus illas obfidentibus se expediant, resumptoque requisito robore, unaquæque illarum partium dilatat aut constringat, prout necessitas exposcit, proprios meatus, etiamsi nullo forte jure huiusmodi referationis effectus Sali Martis adsignentur, uti & adstrictionis soli Terræ, quandoquidem hæc à toto inseparabilia sunt; ac revera id unum præstant ut in ventriculo præstolentur actionem & effectus succorum Acidorum aut Salinorum, si qui ibi contineantur.

Neque etiam hoc vero simile duritiem & densam compagem partium Chalybis, quam in Ferro eminentiores, cuius pori majores sunt & patentiores, minus illum ad quasvis præparaciones aptum reddere, quandoquidem experientiam adstipulantem habemus spiritum Vitrioli, & Tartarum crudum, æque dissolvere limaturam Ferri & Acuum, ex purissimo chalybe ac maxime temperato confectarum, ac proinde adstrictiori & compactiori; ab admoto autem magdeleoni sulphuris Chalybis massulæ ex fornace, admodum candefactæ, recens eductæ, non secus hanc colliquefacere ac si butyrum esset: Adde quod illius durities id commodi præstare possit, quod invadat & amplius coercet partes succorum dissolvendi vi præditas, in ventriculo obvias; metallorum autem hæc est conditio ut pura impuriorebus semper præstent; quamobrem præstantissimi quique Authores Chalybem Ferro ad quasvis præparaciones prætulerunt; Sin sal in Marte singulare & distinctum dif-



quirendum esset, id ille potius qui expurgationem admisit deprompturus est quam scorix ab illo secretæ, tanquam sordes habendæ, quibus liberatum est Ferrum in Chalybis præparatione.

Cum ergo unitas variarum Ferri partium adeo stricta sit, ut nullo artificio hæ ab invicem sejungi queant, atque cunctæ simul semper occurrant in unaquaque parte illius substantiæ; In omnibus porro Martis præparationibus admodum conspicua stypticitas occurrat, ac præterea istius metalli actio adscribenda sit solû, tanquam causæ, efficacix succorum acidorum aut Salinorum illum in ventriculo dissolventium, Immerito quispiam fingeret aliquo modo posse præparari Martem ut ex propria natura aperiendi vi revera polleat, aut etiam adstrictoria.

At vero nihilominus traditurus sum descriptiones ab aliis excogitatas, repudiata enim quavis singulari aperiendi aut constringendi vi, quæ illi assignari solent, adeo ut una alteri emineat, id apud me ratum, quo magis variis adhibitis calcinationibus referatus fuerit Mars, eo aptiorem illum evasisse suscipiendæ dissolutioni à succis, in ventriculo obviis, admittendis demum eorundem succorum effectibus, ideoque corroborandis (id quod præstat) cunctis visceribus.

Cum notitiam partium, ex quibus Mars constat, quidam non sine assequuti, ideo obstinate hoc Metallum tanquam Alkali venditant, in quo incogitanter Sal Acidum delitescere volunt: Sed donec illis innotuerit discrimen quod agentia à patientibus dirimit; ac noverint substantias quæ cum neque agere neque reagere possint, patiuntur tantum, ac in prædam cedunt corrodentibus à quibus, per Artificem præcipirandæ, illasque à legitimis Salibus distinguere sciant, quovis tempore ad actionem & reactionem paratis ubi dissoluta fuerint, obviasque habuerint materias affines, nulli omnino præcipitationi ipsa obnoxia; Illi inquam, perpetuam rerum confusionem in caute inducaturi sunt, minime percipientes quam absurde statuunt Martem in se comprehendere Sal Acidum separabile, dum interim ipsemet Alkali vicem obtinet erga cætera Acida.

Hi cum omnia susque deque traducere in more habeant, perperam aut recte, ea quæ alij adhibito maturo judicio chartæ consignarunt, ductum Doctorum probatissimorum sequuti, improbant quod Mars non defecatus Chalybi posthabeatur, potiores existimantes amplitudinem pororum prioris, sal in illo constituentes quod nulla arte secernere valent, uti neque Terram & Sulphur eiusdem Martis: Minime animadvertentes ipsam Naturam indicare quam utilis sit Martis expurgatio, quandoquidem plurimis in locis occurrit Chalybs natus; Yngulæ & Cornua Animalium, quibuscum straticantur



tificentur fudes ferreæ, depurationis harum gratia proculdubio ad illum scopum plurimum conferentia; maxima præterea constrictio partium Chalybis, nequaquam prohibens quominus Aqua simplex illas referet, & aliqualem præster dissolutionem: Contactus etiam magdaleonis sulphuris & Chalybis laminæ ad summum incandescens, hanc æque cito referans ac liquefaciens ac ipsum Ferrum, ac tandem familiarissimus usus, isque felicissimus, limaturæ Acuum proculdubio Ferri limaturæ præponendæ, cum eadem ad dissolutionem proclivitas adsit, Proculdubio inquam hæc in hanc sententiam deducunt quoscunque rectæ rationi litaturi sunt.

Frustra iidem Sal Martis distinctum statuere adtuntur, à probatissimis quibusvis Authoribus denegatum, in confirmationem sententiæ adferentes, si non exigua copia Ferri rubiginis in aquam immergatur, in eaque ferveat hanc Ferri saporem referte; Colo autem transmissa, evaporataque hac aqua, nonnihil salis in illa deprehendi; quandoquidem Aqua, cum sit menstruum idoneum utcumque dissolvendæ isti ferrugini, Acidum autem Aëris, quod se adjungit Acido, eidem Aquæ inexistenti, proculdubio dissolvere valent ac secum concorporare plurimas particulas istius rubiginis, imo eandem secum traducere in aquam filtratione facta, sicuti id ipsum videre est in dissolutionibus & filtrationibus substantiarum naturæ confimilis; adeo ut tantillum illud Sal, quod in exemplum adducunt, illegitimum sal censendum sit, non secus ac fictitia salia Saturni & Corallorum.

At vero, quod iidem iudicium laturi sunt de Martis dissolutione per spiritum Vitrioli? De filtratione & coagulatione in legitimum Vitriolum, ab ipsis instituta, quod tamen tantummodo constat ex torali Martis substantia una cum hoc Spiritu? Quid censebunt de plurimis aliis dissolutionibus & concorporationibus metallorum cum illorum solventibus.

Frustra quoque vim Diureticam huic Ferruginis decocto adscripturi sunt, quandoquidem nec illa deest ipsi aquæ fluviali, si eadem copia adsumpta fuerit: Frustra etiamnum in dubium adducturi sunt effectus succorum naturalium Ventriculo inexistentium erga Chalybem, ac moram huius nimiam in illo damnare, quandoquidem ab aqua simplici potest dissolvi; Nunquam non utiliter Chalybs ingeritur, diuturna experientia testimonium præbente citra ullam noxam in illo detineri, sive simplex sive præparatus adsumtus fuerit.



Frustra iidem impugnant id quod conditione adposita protuli, videlicet si Sal Martis distinctum nancisci daretur, id potius in Chalybe quam in Ferre repertum iri: An forte illitentur à Salibus volatilibus Vngularum & Cornuum, perimi fictitium illud sal Ferri acidum? Ab illis Ferri partes constringi, acarceri rubiginem? Quandoquidem si Sal Ferri distinctum esset, idque Acidum, cohiberet Salia volatilia, illis concorporaretur, ac tandem ritu cæterorum Salium se proderet; Quin potius cuncta illa volatilia in auras abeunt, quod in ferro nullum Acidum obvium habeant, aliudve corpus quod coërcere illa valeat, aut cui socia se adjungant, id quod contingit ab Acidorum occurfu.

Argumenta illorum & conclusiones nimium erronea sunt quam ut animum subeant illorum, quibus cum perspecta sint & Chalybs & Ferrum, verorum Alkalium & Acidorum natura non obscura est, ac mutua illorum ad conjunctionem intima propensio.

## CAPUT L.

*De rocis Martis Adstringentibus & Aperientibus.*

**O**Mnium simplissimus, maxime innoxius & rubicundissimus Crocus Martis, ab Authoribus titulo Adstrictorij insignitus, is est qui colligitur & eraditur è sudibus aut laminis ferreis, ignis violentiam diu expertis; imo non raro Sudium superficiem occupat, quibus Retortæ aliave vasa diutius infedere in Furnis Reverberij.

Comparare etiam illum licet insternendo, limaturam Chalybis capsulæ fictili depressæ & latæ, quæ, loco idoneo imposita, in Fornace Vitriaria, vel Figulina, aut alio quopiam Furno, Fornaceve Reverberij idoneo, ibi detinenda est donec admodum rubescat & subtilis fiat.

Potest etiam Limatura Chalybis commisceri æquali ponderi Salis Marini decrepitati, ac in subtilem pulverem contriti, hæc junctim Igni Reverberij exponendo, donec universa Limatura in pulverem subtilissimum admodum rubrum abierit, cujus postmodum Sal, crebris adhibitis lotionibus, secerni potest: exsiccando demum & custodiendo hunc Pulverem, exhibendum pondere semiscrupuli, ad semidrachmam usque, ex ovo, conserva aliqua, aut liquore quopiam idoneo.

Præparantur etiam Croci Martis, Adstringentes dicti, imponendo quatuor uncias Limaturæ, aut Laminas chalybeas, grandi Cucurbitæ vitreæ,



vitreae, ad medias usque optimo luto circumlitae, Balneo Maris commissa, moderate calido, superaffuso paulatim & repetitis viribus Spiritu Salis aut Sulphuris, aut Nitri, aut Vitrioli, vel Aceto, vel etiam fricta placet, Aqua Forti, ad uncias quatuor, omnia simul continendo quousque Sal martis propemodum dissolutum sit: Deinceps educta dicta Aqua, aut Spiritu eum in finem adhibito, ac ter quaterve cohobatione subsidentiae facta; distillationeque eousque producta donec illa omnino exsiccata fuerit, in fundo deprehendendus erit Chalybs colore ad rubro fuscum tendente, qui postea igni Reverberij ad decem aut duodecim dies expositus intensum colorem rubrum adipiscetur, demum optime elotus, & exsiccatus ad usus servandus.

Adstrictio Chalybi iunata, illi conjuncta quam dissolventia imprefserunt, proculdubio qualitatem adstrictoriam, inducere valent. imo felici successu exhiberi potest, si modo in ventriculo obvii non sint succi actionem illius inhibere apti nati.

At vero Chalybis effectus non perpetuo uniformes sunt, si enim huic metallo forte occurrant succi in ventriculo, qui illud corrodere & dissolvere idonei sint, proculdubio ab opere retrahitur, quodammodo obsequiturum qualitatibus eorundem Succorum; nisi contingat Succos Acidos, dum id corrodunt, ac aculeos proprios in erosione retundunt, à propria natura recedere & metalli indolem mutare, Id nihilominus vero simile est cum à dissolventibus qualitatibus tantum alteratio inducatur, his non omnino destitui Chalybē, quatenus scilicet illarum beneficio Naturae tempus conceditur ad vires readsumendas, adeo ut hac, propulsis humoribus impuris qui oneri erant, roborata, restituitoque sanguini circulari motu, ac spiritibus vitalibus & Animalibus, com meatu necessario gaudentibus, functiones quævis omnium partium in integrum restituantur, roburque ad conservationem illarum necessarium concilietur.

Etiamsi Adstrictoria vis manifeste elucescat in Marte ac quibusvis illius Præparationibus, ab Authoribus tamen prætermissa non est cura ut varia media disquirerent præparandi causa Crocum Martis, quem vocant Aperitivum; Modo enim æquales partes Sulphuris, in pulverem contriti Limaturæ Chalybis commiscuerunt; quibus Ollæ fictili, ignis vim sustinere aptæ, inditis, Olla pedamento subdito, imposita medio Fornacis foco, circumcirca Carbones accensos imposuerunt, luculentum ignem foventes, materias per intervalla longa spatula ferrea commovendo, donec absumpto Sulphure, Limatura chalybis admodum incanduerit, imo super porphyrite terendo, ut tenuitatem majorem obtineat.



Modo iidem Chalybeas massulas in Fornace Fabrili ad candorem incensas, ac scintillis plurimis micantes, admovent magnis Sulphuris magdalenibus, fusas & liquatas pelvi fictili subditæ aquæ repletæ excipiendo, demum optime secreto sulphure, ac in pulverem subtilem granis chalybis contritis, Pulverem colore fuscum adservarunt, quem nonnulli nomine Chalybis Aperitivi nigri indigitant, & aliquando ipsi cum Sulphure reverberant, ad colorem rubrum illi conciliandum, utque tenuitatem adipiscatur majorem.

Nonnunquam præmissa irroratione lamellarum Chalybis, affuso Spiritu Vitrioli aut sulphuris, aëri per quattriduum exponendo, ab iis detrahunt florem utcunque candicantem & subdulcem; demum in irroratione pergendo, ac florum deratione, iisdemque operationibus identidem repetitis, Chalybis poris magis ac magis reseratis, florum non exigua copia ab illis collecta est, quibus nomen Croci Martis Albi indidere.

Alias iidem Soli, aut sub divo, laminas Chalybeas posuerunt, è quibus postmodum florem flavum detraxerunt: Vel easdem Laminas aqua communi irroravere, aut ipsam Chalybis limaturam, è qua postmodum ferruginem abstulerunt, à lotione flavescens, hanc postea exsiccant & adservant; vel cum sulphure pulverisato reverberant, coloris rubri conciliandi gratia.

Cunctæ ejusmodi præparationes æqualis fere sunt præstantiæ, nec raro optatum effectum edunt, Aperiendi scilicet, quando succi Acidi, aut Salini, vasis contenti, ac præsertim ventriculo, derelictis materiis quas fixas reddiderunt, dissolutionem Chalybis amplexuri, cum eadem dissolutio iisdem fixandis inutilis sit, usum præstat reserando meatus, com meatuique parando humoribus à Salibus, quorum ope fixata sunt, separatis.

Colorem rubrum, Chalybi in diversis calcinationibus advenientem quod attinet, etiamsi Sulphuri ipsius proprio adscribi possit, potiori jure imputandus Acidis externis Salis, Sulphuris aut Dissolventium, imo nominatim Salibus ab igne emissis, quæ ejus poros subeuntia incrementum etiam ponderis faciunt: Id enim experientia compertum, Chalybis colorem rubrum intensiorem fieri in igne, si irroratus is fuerit Spiritu sulphuris, vel alio quopiam Acido: Sed & quoque nobis obvium elegantissimum quemvis colorem rubrum per sola Acida intendi & exaltari, quæ momento etiam temporis colorem nigrum in rubrum elegantissimum commutare valent.



## CAPVT LI.

*De Sale Martis.*

**E**Tiam si nemo gloriari possit, sicut alibi me pronuntiatum, se à Marte legitimum Sal comparare posse; quicquid vero ejusmodi superbit titulo, specie tenus tale esse, officii tamen mei esse existimo, quædam de illo enuntiasse.

Præparari solet istud Sal imposita certa quantitate Limaturæ Chalybis grandi Patinæ vitreæ, aut fictili, quæ aceto stillatio probe irrorata, demum ad Solem exsiccata, aut ignem mitem, ac super porphyrite lævigata, humescit iterum affuso spiritu Aceti; postmodum exsiccatur & conteritur, quinimo plures ejusmodi operationes repetuntur, quoad Chalybis limatura optime impregnata deprehendatur sapore dulco acido prædita: Qua postea rite contrita, ac grandi Cucurbitæ vitreæ immissa, in Balneo Arenæ illi superaffunditur non exigua copia phlegmatis Aceti, in quo dicta limatura sedulo commovetur, ad promovendam dissolutionem illius partium, à Spiritu Aceti etofarum, demum paulatim excalesfacto Balneo, tandem materiæ ebullitioni traduntur spatio duarum aut trium horarum, recens phlegma aeti affundendo in vices illius quod per ebullitionem absumitur: Dehinc sponte frigefacto Balneo, colaturaque facta Liquoris, hujus evaporatio procuratur in Cucurbita vitrea, Balneo Arenæ, igne moderato subdito, ad pelliculam usque: Illa cum refrixerit, decantato prius in aliud vas supernatante liquore, secernuntur exsiccanturque crystallæ; iterum adhuc evaporationi subjicienda, crystallisando hunc liquorem donec omnino in Sal abierit; quod Matratiõ excipiendum, ac superaffuso spiritu vini rectificatissimo, ut quatuor digitis superemineat, Matratiõ imponitur Alembicum cœcum, cujus optime luto munitis commissuris, præmissa digestionem per tres aut quatuor dies, igne lenissimo spiritus distillatione elicitur, Sal ad usus servando.

Sal istud tantummodo constat ex Spiritu Aceti ac particulis Chalybis ab eodem Spiritu dissolutis, quas præcipitare licuerit affundendo dissolutioni liquorem Tartari aut cujuspiam Salis Fixi.

Illud tamen commendant Authores tanquam utile de obstruendo Iecori, Lieni & Vtero, imo curando Hydropi, exhibitum à quinque aut sex ad duodecim, quindecim aut viginti grana, ex liquoribus aperienti vi præditis.



At vero austeritas ab aceto distillato huic Sali impressa, incrementumque adstrictionis exinde metuendum, præter rationes quasdam alias à me adducendas, inducunt me ut credam Sal Martis, cuius præparationem hic infero, præstantius longe præcedenti futurum.

In parato sit Sartago ferrea, quæ in nullos usus ante venerit, aliquantisper cava, probe contusa & interius lævigatissima; hac plano situ imposita mensæ, aut armario, in loco idoneo collocata, accurate commisceantur spiritus vini optimi unciæ octo, Spiritus Vitrioli rectificatissimi tandundem, lagena vitrea excipiantur, demum lenissime in Sartaginem infundantur; hac patyro imposita cooperta, dimittatur citra ullam commotionem totis duodecim aut quindecim diebus, vel donec animadversum sit à binis illis spiritibus conjunctis paulatim dissolutas fuisse plurimas particulas propriæ Sartaginis substantiæ, ac una concorporatas esse in Sal album, ad cineritium colorem paululum declinans, quod exsiccatum fundo & lateribus Sartaginis adhæserit, unde educendum: Hoc autem in Pulverem contitum, in mortario marmoreo, aut vitreo, recondendum in vase idoneo ad usus, id præbendo à semi scrupulo ad semidrachmæ pondus, ex liquoribus adpropriatis, ut pote remediorum ex Marte eliciendorum præstantissimum quod non immerito Animæ Iecoris titulo donatum fuit.

Corrosio & stypticitas manifestæ in spiritu vitrioli, eximiam temperationem adeptæ sunt ab admixtione Spiritus Vini, utriusque quippe particule, ex commutatione figuræ & situs, aliam partium cum positionem obtinent, imo mutuam quasi confusionem consequutæ sunt, Ambo porro hi spiritus commixti, sufficientem cum possideant penetrabilitatem ad Martis intima subeunda, ejusque particularum non exiguam copiam dissoluendam, à quibus omnino retunduntur aculei, particularum Spirituum, quibus comites se adjungunt unicum corpus composituri, Illud ratum esse debet postremum hoc Sal multo aptius esse & convenientius dispositioni ventriculi, ac varietati succorum in eo contentorum, Sale Martis cum Aceti, Spiritu præparato, cum enim hic Spiritus Sali, non solum propriam formam indat, sed materiæ, ex qua constat, maximam partem, ideo existimandum ab hoc efficaciæ maximam partem deducendam; Propria vero corrodendi vis, acrimoniæ iuncta, cum ventriculo non infesta esse nequeat, proculdubio Martis stypticitatem innatam exinde incrementum sumpturam, nedum Aperiendi vi donatum iri, sicuti supponunt.



## C A P U T L I I .

*De Vitriolo Martis.*

**E**X sapore styptico, nonnihil simili illi quo donatum est Vitriolum vulgare, in Limatura Chalybis observabili, cunctisque ex illo præparatis, colore item, figura partium, aliisque Vitrioli qualitatibus in Vitriolo Martis conspicuis, sufficienter elucescit artificialis hujus præparationis natura, cui Authores non immerito Vitrioli Martis nomen imposuerunt, quandoquidem cum solummodo constet ex propria Martis substantia, ac spiritu ex Vitrioli vulgari exstillato, in illo licet deprehendere singulas dotes & notas veri Vitrioli.

At cum spiritus Vitrioli, ad Martis dissolutionem usurpari solitus, corrodendi vi sit præditus, una & adstrictoria, posterior autem qualitas proculdubio incrementum illatura est illi quam Mars innatam habet, vix verosimile est Vitriolum, ejus productum, propria indole vi aperiendi pollere; quin potius credendum, cum idoneum solummodo sit intime suscipiendis substantiis salinis, forte in ventriculi capacitate redundantibus, illarumque aculeis retundendis, reseratione meatuum & expulsionem cacochymiae forte subsequuturæ, hæc tantummodo effectus esse Naturæ, quæ remotis obicibus, liberis functiones præpedientibus, illis expedita feliciter munera obit.

Est & hoc probabile Vitriolum hoc aptius esse comprimendis & constringendis fibris Ventriculi & Intestinorum, orificia item & interiores vasorum quæ permeat partes, quam iisdem relaxandis vel expandendis; Et si hoc adferri queat, compressis ex una parte vasis, forte ex alia amplificari, eoque pacto humorum vitrosorum ibi contentorum excretionem promoveri.

Cunctæ vero hæc circumstantiæ eo deducunt, ut Vitriolum Martis perpendendum veniat tanquam remedium adstrictoria facultate præditum, potius quam reserandi infarcta humoribus vasa, si præsertim obstructions vetustæ sint & pertinaces: quamobrem etiam Vitriolo huic anteferendum videtur postremum sal Martis à me memoratum, vel aliæ quædam Martis præparationes minus stypticæ isto Vitriolo.

Sed à more solito non recessurus, ut idoneum fiat usibus ipsi adsignatis, si necessitas incumbat corroborandi & constringendi, vel salium acrimoniam obtundendi, Præparationem illius huc illaturus sum.

Limaturæ Acuum quantum volueris immitte Cucurbitæ vitreæ, irre-

S s



retur & probe imbuatur hæc limatura optimo Vitrioli spiritu, Balneo Arenæ committatur Cucurbita, igne mitissimo adhibito; Ex intervallis hæc materia exigua spatula ferrea commoveatur: postquam aliquandiu hic spiritus cum limatura steterit, inque hanc actionem exserere inceperit, super affundatur aqua calens, quousque superemineat limaturæ quinque aut sex digitis; demum paulo auctiori reddito calore Balnei, in eo digerendæ erunt materiæ per vigintiquatuor horas, liquorem postea transmittendo per chartam emporeticam; quo in aliam vitream Cucurbitam transfuso, eodem Balneo, ac in vapores discesso liquoris humido superfluo, ad pelliculam usque, permittendum ut subsidentia refrigescat & crySTALLIFERUR: Deinde decantato in aliud vas liquore CrySTALLIS supernatante, separatis, exsiccatis, ac reconditis iisdem CrySTALLIS, iterum evaporatio ad pelliculam usque procuranda erit liquoris, eliciendi gratia quicquid Vitrioli superstes esse potest.

Necnon licet subsidentiam Limaturæ irrorare rursus spiritu Vitrioli, concessoque aliquo temporis spatio spiritui ut actionem in limaturam exerat, affusaque eadem quæ prius aquæ quantitate, Digestionem aliasque operationes repetere, ad obtinendam majore copiam Vitrioli Martis.

Nonnulli aquam commiscunt spiritui Vitrioli, ante affusionem supra limaturam Chalybis; at cum illius dissolutio exiguo temporis spatio perfici nequeat quam beneficio spiritus Vitrioli, hic vero majori efficacia munere fungatur sincerus quam aquæ additamento infractus, multo satius est ab illo Chalybis dissolutionem inchoasse: Experientiam vero multiplicem testem huc advoco, speratus quippe semper mihi adfuit successus, eo pacto perpetuo adsequuto & elegantissimum Vitriolum, & insignem huius copiam; Aquæ autem supplementum eo solum nomine prodest, quod diluat & secernat Chalybis particulas à spiritu Vitrioli dissolutas, ab illis qua dissolutionem subterfugerunt.

Elegantissimum Martis Crocum adipisci dabitur id Vitriolum, Crucibulo exceptum, calcinando igne patente, quousque deductum fuerit intenuissimum pulverem ruboris intensi; Hoc vero reapse aliud nihil est quam pars Chalybis à spiritu Vitrioli dissoluta.

Vitriolum Martis à granis tribus aut quatuor, ad duodecim aut quindecim ad summum exhiberi solet, id ex liquoribus convenientibus diluendo.

Potest & per Retortam distillari Vitriolum Martis, eadem processu ratione qua ad Vitriolum vulgare; Spiritusque abstrahi ad limaturæ Chalybis dissolutionem adhibitus; superstite in fundo Cucurbitæ Chalybis substantia, pulveris rubri forma, pro legitimo Croco Martis habendi.



## C A P V T L I I I .

*De Tincturis Martis.*

**C**onstrictio conciliata partibus Ferri cum in Chalybem id transmurtandum est, nequaquam illi adimit dispositionem per quam penetrari & dissolvi potest, non modo per spiritus corrodingi vi insignes, ac per Salia volatilia & fixa, sed etiam per Rorem, Vinum, imo & Aquam communem, dummodo illo in minutissimam limaturam deducto liquoribus pervadendi legitimum concessum fuerit spatium temporis: Etiam si enim neque Vino neque Aquæ concessa sit facultas Chalybem penitus dissolvendi, neque vi adeo insigni polleant, uti neque eadem celeritate qua Spiritus & Salia corrodentia, valent tamen non exiguam illius partium copiam dissolvere; cujus eventus certissima sunt indicia Chalybis sapor à vitriolico non alienus, & color fuscus illis succedentes.

Aqua, qua Chalybis limatura irroratur, superficiem penetrat, illique Rubiginis formam inducit, quæ postmodum majori aquæ quantitate dilui potest, Tincturam flavam hinc adipiscentis, ac commodissime in usus adducendæ.

Sed si absque igne per aliquot hebdomadarum decursum Limatura Chalybis macerata fuerit in vino albo aliquantum austero, hæc commista excipiendo lagena densa optime obturanda, Acidum, quo pollet vinum, sali suo volatili conjunctum, partium limaturæ ampliorum dissolutionem effecturum est, quapropter Vinum Tinctura admodum fusca imbutum erit; commodissime exhibendum à semicochleari, ad integrum, imo duo, mane jejuno Ventriculo; Cujus usus ad plures dies producendus erit; proficui referendis Iecoris infarctibus, Lienis & Vteri: Vel in syrupum, addito saccharo purissimo deduci poterit, cujus dozis semuncia, uncia una vel duæ in dozina unicam.

At cum diurnitas justo major sit ad dissolutionem integram Martis obtinendam, ejusmodi menstruorum beneficio, ad alia media confugiendum, Tinctura autem modo sequenti commodissime perficitur.

Tartari electi libræ duæ in pulverem tenuissimum contunduntur, commiscuntur semilibræ limaturæ Acuum, ex Chalybe purissimo confectarum, excipiuntur hæc vasta Olla ferrea, omnino fere aqua communi adimplenda; demum igne illi supposito fervor contentis conciliatur, per vices illa commovendo, præcipue versus fundum promovendæ gratia Martis dissolutionis; recenti aqua calenti superaddita, supplementum



gratia illius quæ fervendo absumitur : Hujusmodi decoctio ad decem vel duodecim horas producenda est, vel donec omnimoda limaturæ Chalybis in liquore dissolutio observata fuerit, qui colorem rubicundum fusco proximum adepturus est, postquam colo transmissus fuerit ac à fæcibus secretus, etiamsi eadem colorem ex cineritio candicantem obtineant, in contentis materiis dum fervent observandum.

Postmodum remota ab igne Olla, & ad alterutrum latus inclinata, adeo ut liquor transcolari possit secundum longitudinem lingularum pannearum adpositarum, subsidere debent materiæ per viginti quatuor horas, postea humefactis, ac leviter expressis lingulis, dimidia uniuscujusque parte in liquorem immersa, reliqua parte extante, adeo ut exstillans liquor secundum longitudinem prædictarum lingularum excipi possit pelvi fictili suppositæ, concedendum erit tempus liquori ut sponte distillet, per vices, ac magis & magis declivem Ollam collocando, ad promovendam filtrationem.

Ejusmodi Operatio ad aliquod temporis spatium producitur, imo bi-duum vel triduum exposcit; Sed ea ratione Tincturam Martis admodum limpidam obtinere licet, etiamsi color ex rubro ad fuscenedinem tendat, sapor autem austerius, Vitriolico admodum similis.

Cum propemodum filtrata omnino fuerit hæc Tinctura, probe mundatæ Ollæ, illa reasfundenda erit, humidum superfluum igne miti in vapores dissolvendo, donec optime concentrata fuerit ac deducta in syrupi consistentiam liquidiusculam: quæ cum refrixerit, recondenda est in lagena vitrea densiori rite occludenda, ad usum; præscribenda à drachma una ad duas, mane, jejuno ventriculo, danda ex liquoribus convenientibus, pergendo in usum quamdiu necessitas postulaverit.

Si tædium non obrepserit fervorem conciliandi huic Tincturæ, ac aquam calentem in Ollam infundendi prout prior absumitur, omnimoda dissolutio limaturæ Chalybis observabitur; Etiamsi nonnulli obiecerint constrictionem partium imminentem ab his operationibus, ac impossibilitatem penitus dissolvendi Martem, quam Tartaro adscriptam voluere.

Hi quod Tartari portionem, necessariam dissolutioni Rubiginis, infelici successu detraxerint, in sententias erroneas abiere; tum quod falso arbitrati sint Tartarum Martem rarefacere non posse, nec illi commisceri, huncque ab illo suspensum tenere; Tum quia intulerunt, si Mars penitus dissolutus fuisset, nullam Tincturam manifestum fore, uti nec in dissolutione à spiritu Vitrioli inducta.

Errant, inquam, minime perpendentes cum Tartari pars acida commixta sit proprio Sali & Terræ, etsi sufficiens sit dividendæ limaturæ Chalybis in particulas inconspicuas, non posse hunc colorem suo exuere, neque inferre perspicuitatem qua ipse caret, neque una cum illo in Crystalla viridantia



ridantia commutari, sicuti spiritus Vitrioli, qui cum potentissimum sit Acidum, cujus singulæ partes omnino dissimili virium robore cum polleant, efficaciores sint, penetrabiliores & expurgatiores Tartari particulis, sufficientes vires obrinet ad spoliandum, apparenter saltem, Martem colore proprio & forma, sua illum induendo, ac præsertim pelluciditate & partium constrictione; etiamsi in Artificis potestate sit utrasque sejungere ope distillationis vel præcipitationis; ac Martem proprio corpori restituendo, conspicuū reddere colorē rubrum à spiritu Vitrioli illi impressum.

In præparatione istius Tincturæ hoc observandum venit, salia Acida, ac mere salina, æquali vi Chalybem dissolvendi pollere: Id quoque verosimile est Martem, eo modo dissolutum, facilius deferri ad partes affectas, illo qui actionem edere non potest nisi à Ventriculo dissolutus fuerit: Ipsum vero dissolutum à Sale acido salino, ac proinde naturæ enixæ vel mediæ, majori efficacia posse superare vitia à pravis humoribus inducta.

Hæc enim Tinctura tanto magis idonea est referendis vasorum obstructionibus, quanto majus illi auxilium præbet sal acidum salinum Tartari à quo Mars fuit dissolutus; quod citra detrimentum insignium virium, quibus præditum est Ferrum, robur inferendi partibus quas permeat, id ut actioni suæ obsequatur impellit diluendo materias meatus obstruentes, per vias solitas expellendo, ac Naturam roborando, cunctasque illius actiones ac partibus, qua indigebant, valetudinem restituendo.

Affundi potest optimus spiritus Vini Croco superstiti à distillatione Vitrioli Martis, exindèque elici Tinctura per Balneum Arenæ moderate calidum, qua per chartam emporeticam transmissa, e ductisque Maris Balneo circiter tribus quadrantibus spiritus vini, ad servari Tinctura concentrata in fundo Cucurbitæ residua; præbenda à septem vel octo, ad duodecim vel quindecim guttas ex liquore quopiam idoneo.

Tinctura hæc plurimum valere dicitur præsertim ad curationem Hydrophis, inducti à relaxatione vasorum Lymphaticorum, ferum per universum corporis habitum effundi & expandi permittentium: Vi enim istius Tincturæ constricis vasorum osculis robur adquirent ad repulsionem humoris Lymphatici & regressum in vias solitas, adeo ut in cæteras partes non exundet.

Limatura Chalybis in generoso Aceto dissolvi potest, prægressaque evaporatione maximæ partis humiditatis istius dissolutionis, extrahi Tinctura per optimum spiritum Vini, quæ demum filtrata & concentrata, ad servanda ad eisdem usus sicuti præcedens: At vero observandum hanc majoris adstrictionis participem esse, eo quod innata Chalybis adstrictio augmentum non leve suscipit ab Aceto illum dissolvente.

Nonnulli impostam Chalybis limaturam Sartagini ferreæ, forti Acetæ



irrorant, ad ignem exsiccant spathula ferrea versando, has operationes sæpius reiterando, postea per aliquot dies in vino generoso Hispanico hanc Limaturam macerant, per vices commovendo; filtrationeque præmissa ad usum servant.

Plurimas alias Tincturas omitto, quippe quarum descriptio non mihi admodum necessaria videtur.

## C A P U T L I V.

### *De Extractionibus Martis, Illiusque Sublimatione in Flores.*

**I**N Extracta facili negotio deduci queunt singulæ Martis Tincturæ à me descriptæ, crassiciem illis conciliando paulatina ad ignem lenem exsiccatione ad Extracti consistentiam, Sed & alia Martis Extracta præparari possunt sequenti modo.

Commisceantur partes æquales Croci Martis cum sulphure reverberati, & Salis Ammoniaci pulverisati, quibus Curcubita Vitrea exceptis, Balneo Arenæ commissa, superimposito Capitello diligenter luto obducto, facienda erit sublimatio igne per gradus adhibito; quo pacto pars Croci Martis, commixta Sali Ammoniacico, sursum evehetur specie Florum flavorum, qui terendi, & remiscendi postea una cum subsidentia, eandem sublimationem, & subsidentia commisionem quinquies aut sexies repetendo, Aut toties quousque Crocus Martis fere totus cum sale Ammoniacico sursum elatus sit.

Postmodum hi Flores Matratio immissi, superaffusoque vini spiritu rectificatissimo, donec quatuor digitis superemineat, imponendum erit matratio Alembicum cœcum, accurate luto obductum, quod demum Balneo Arenæ committendum erit ad ignem Digestionis, producendum per decem aut duodecim dies, materias per vices subagitando ad promovendam Extractionem: Postquam Tinctura egregie colorata fuerit, colo transmittenda erit, Extractaque, si lubet, mediis lenissimis, maxima spiritus vini parte, id quod superfluum est evaporandum ad Extracti consistentiam.

Id seorsum exhiberi potest à semisrupulo ad integrum, vel remisceri Opiatis, aliisve remediis aperiendi vi præditis, purgantibus aut diaphoreticis, Ope enim salis Ammoniaci cum penitus divisæ sint, & subtiles redditæ Martis particulæ, hæque illius volatilil nonnihil participes factæ, secum illas per sublimationem evehendo, imo transfusa propria substantiæ portione in id Extractum, cui cum confusum est, Nulli dubium quin sibi adsciverit utiles quibus pollet qualitates, ac præsertim vim diaphoreticam, quæ proculdubio comitem se adjungit, atque obsequitur aliis effectibus ab hoc Extracto expectandis.



Martis Extractum simplicissimum concinnari potest imponendo Matraticio Limaturæ Acuum libram unam, illi affundendo succum racemorum recens expressorum, & fermentationis expertum, donec quinque aut sex digitis illi superemineat: Deinde Alembico cœco cooperto, sedulo loricato, illoque Arenæ immisso, collocatoque supra Furnum Pistoris, per vices materiæ commovendæ erunt, vas ibi detinendo totis quadraginta diebus, vel donec fucus racemorum admodum obscurum colorem contraxerit: Dehinc hac Tinctura per chartam emporeticam transmissa, exceptaque pelvi fictili rite intus vitreata, humiditas superflua evaporanda erit, igne mitissimo, donec Tinctura Extracti consistentiam adquisierit, cuius usus idem sit qui prioris.

Cum porro Extracta, aliæque Chalybis præparationes comitem habeant indivulsam nativam hujus metalli stypticitatem, è re fuerit commiscuisse, aut saltem præmississe, quædam Purgantia, quæ & subsequi eadem debent, quorum subsidio meatus facilius referentur, illo quippe destituta sponte id nequeunt, adminiculoque forinsecus adveniente indigent.

Nullo negotio paratur Extractum Martis Adstrictivum, maceratione prægressa per plures dies, deinde ebullitione facta Limaturæ Chalybis in Vino tortivo, vel succo Berberorum, aliove succo adstringente, filtrando postmodum hunc liquorem, ac deducendo mediis solitis in Extracti consistentiam, quod commode præbere licet à semi scrupulo ad semidrachmam, in quavis debilitate ac retentrice infirma Ventriculi & Intestinatorum.

## C A P U T L V .

*De Præparationibus Cupri.*

Cuprum accensetur vilioribus Metallis, sat solidum, sed mollius & minus quam Ferrum mallei ictibus obsistit, hoc ductilius; Præstantissimi quique Authores materiam illius compositionis unicam voluere, Sulphur improbe digestum, Sal rubrum & Mercurium flavum; id tanquam ratum constituentes, etsi difficile sit legitimam instituere separationem istius metalli imperfecti principiorum, quod præterea Cupri & Veneris quoque titulum adeptum est, tum ratione insignis sympathiæ quam illi intercedere cum cognomine Planeta existimant; tum etiam ratione auxilij singularis quod impertitur in affectibus partium generationi destinatarum.

Sed etiam si pauci in dubium revocare audent tria principia generalia, scilicet Sal, Sulphur & Mercurium, ex quibus Cuprum constare asserunt, non sequitur tamen in illo Vitriolum copiosum adesse, sicuti finxerunt



quidam à recta ratione & veritate devij: Ij proculdubio cum animadvertissent in variis Vitriolis contineri Cupri particulas, ab ipsis dissolutas, vice versa continens pro re contenta admifere, quæ inde absurda imminent minime præcavescentes: Si enim plurimum extaret in Cupro Vitriolum, non cederet hoc in prædam, (sicuti id contingit) vero Vitriolo, à quo corrodi solet: id ipsum, inquam, eroderet substantias à Chalcantio erodi solitas; si vero adfinitate conjungeretur corrosivis, non secus ac illa corrodingi vim obtineret, cum potius à quacunque illorum specie corrodi soleat.

Decepti illi fuere nomine Vitrioli Veneris, quod imponi solet hujus dissolutioni in Crystalla deductæ, à spiritibus Vitriolicis inducta, At ab his minime animadversum Cuprum devoratum & dissolutum, dissolventis vices non tenere, ac omnino necesse esse ut obsequatur corrodingium determinationi, à quibus in illum statum deductum est; cum vero sui juris non sit, ad tempus aliquod quasi incarceratum illis cohærere necesse habeat; sed expediri & libertatem adipisci potest, pristina restitutum formæ, si modo Artifex media suppeditaverit, adeo ut ne minima illius substantiæ in dissolvente particula distincta deprehendatur; Alias si particula Vitriolica revera adessent, intime illi se adjungerent.

Nominis celebritatem viri iidem venari debuerant, constituendo etiam Vitriolum partem alteram compositionis Argenti & Stanni, quandoquidem illorum dissolutio in Crystalla deducta Vitrioli etiamnum nomine donata est; Spe forte freti fuere vel nobilitatem, aut adstruentium insignem numerum, ab ipsis assertionis positæ fundamentum futura; at vero tam pauci illorum placita amplectuntur, ut nūquam animū eruditorū subierint.

Limatura quandoque calcinatur, aut Laminæ Æris solæ, in Furno Reverberatorio: Nonnunquam posteriores hæ cum sale decrepitate pulverisato stratificantur, in Crucibulo, vel quopiam vase fictili ad ignem non fragili; Demum extinctæ hæ laminæ in Aqua, probeque abstersæ per scopas ferreas, exsiccantur, iterumque cum iisdem materiis stratificantur, ad tres usque vices operationes istas repetendo; qua ratione emergit Crocus Veneris rubicundissimus, quem satis est plurimis lotionibus expurgasse, ac forma Pulveris subtilis ad servasse, immiscendi Emplastris aliisve Remediis externis usurpari solitis ad mundationem Vulnerum & Ulcerum.

Potest & alia ratione præparari Crocus Veneris, terna extinctione in urina facta laminarum Æris in igne candefactarum, postea stratificatione in Crucibulo, duplo pondere sulphuris pulverisati addito, luculento igni id committendo ad consumptionem usque sulphuris; eo enim pacto friabilitatem omnimodam obtinent.

Sin iisdem pulverisatis, ad libram unam adsumptis, remisceatur



uncia una sulphuris in pulverem contriti, omnia crucibulo, in igne luculento posito, excipiantur, spathula ferrea indefinenter istum Pulverem commovendo, demum ter eademmet additiones & consumptionis sulphuris; Pulveri additi, iterentur, adipisci dabitur Crocum Veneris colore rubro insignem, ad quosvis usus, in quos venire solent hi Croci, idoneum.

Celebratur etiam Cupri Calcinatio immersiva, hujus dissolutione in Aqua forti facta, vel Spiritu Nitri, aliove quopiam corrodendi vi prædito; demum abstracta per distillationem Aqua forti, vel alio spiritu dissolvente, in fundo vasis deprehenditur Cuprum, Pulveris rubicundi forma, abluendi, exsiccandi, & ad usus servandi.

Vel præcipitatur dissolutio immissa lamina ferrea, superaffusa aqua calente, quamobrem dissolvens à Cupro abscedere cogitur per quod hoc dissolutum fuerat, in vasis fundum Pulveris rubri specie præeps delatum, qui recondendus tanquam Verus Crocus, aut Præcipitatum Veneris.

In frustra etiam dissecantur Laminæ Æris, quibus in capaci Crucibulo stratificatis, additis partibus æqualibus Sulphuris pulverisati, cooperitoque crucibulo, foramine exiguo pertuso illius operculo in medio, circumcirea luto obducuntur juncturæ, quo sponte exsiccato, podio imponitur Crucibulum, ac circumcirea accenditur Ignis Rotæ, paululum remotus, quo solum colliquescat sulphur, in illo statu per horam unam fovendus, demum per gradus admovetur, donec sulphur flammam concipiat, quæ per foramen operculi erumpere conspiciatur; Eo pacto consumpto sulphure, ac materiis frigidatis, in fundo crucibuli obviæ sunt Laminæ Cupri quodammodo tumefactæ, coloris fusci, admodum fragiles, ex quibus constituitur *Æs ustum*, quod in pulverem contereri potest, pro Veneris Croco etiam habendum, cujus usus externus tantum est.

Alia etiam Cupri calcinatio, multo minore vi peragenda, usitata est, ac solum superficialia, madefaciendo scilicet laminas Cupri, affusis spiritibus corrodendi vi præditis, vel salibus in aqua dissolutis, qua ratione extrahitur *Ærugo*, vel *Viride æris*, laminis cupri insidens.

Alia quoque ratione *Ærugo*, sed multo mitiori, in regionibus calidioribus extrahitur, nominatim Monspelii, infuso paulo vino in grandes Ollas fictiles, ima parte angustiores, imponendo supra vinum bacillos aut craticulas, quibus insident lamellæ cupreæ, stratificatis postea racemorum scapis, vino ante humectatis, vasi postea operculo adposito, in loco frigido collocando, spatio octo vel novem dierum, vel donec laminarum Cupri superficiem sufficienter obtegat *Ærugo*,



cultrorum ope postea eradenda; Iterata eadem stratificatione, ac iterum laminas has cupreas in vasis per æquale temporis spatium detinendo, obtinendæ gratia Æruginis maioris copia.

Hanc nonnulli indignant nomine Floris, alii Salis Vitriolici Cupri, etiam si revera nihil aliud sit quam ipsa Cupri substantia, à Spiritu volatili acido Salino vinaceorum dissoluta, coadjuvante illo qui vino inest, ac utriusque arcanis fermentis.

## CAPUT LVI.

*De Transmutatione Cupri & Viridis Aeris in Vitriolum.*

**M**agnum Crucibulum, supposito pedamento, imponatur medio foco Fornacis Anemiæ, Croci Veneris libra una super porphyrite subtiliter conteratur, additaque suboctupla parte ponderis Sulphuris vivi, mistura hæc crucibulo indatur, in cuius ambitu accendendus ignis Carbonum modicus, paulatim augendus, indefinenter Pulverem commovendo longa spathula ferrea, hunc ad infimam Crucibuli partem deturbando cum eius parietibus adhæserit; ignem impellendo donec Sulphur omnino absumatur; interim sedulo iterum contundendo materias, si contingat per operationem ipsas in grumos converti: Postmodum materiis frigefactis, huic Croco tantum Sulphuris pulverisati adjiciendum quantum prima vice; mistura autem hac rursus Crucibulo indita, accensoque igne, pergendum erit in injectione & consumptione Sulphuris, commotione materierum aliisque processibus sicuti antea; quinimo etiam decies vel duodecies, iterando misturam recentis Sulphuris cum Croco Veneris, & easdem operationes, ad perfectam Cupri refectionem & ut ad prime dissolutioni evadat idoneum.

Tandem Crocus refrigeratus, in porphyrite lævigatus, excipiendus erit pelvi argillacea, Balneo Arenæ mediocriter calenti commissa; hoc postea humectato, ac tandem omnino dissoluto in quantitate non exigua aquæ pluvix, aut fluviatilis fere ferventis, vehementer concutendum erit vas, macerandæ erunt materiæ, per vices adhuc eas commovendo, donec Aqua colore ceruleo eleganti tincta fuerit: Demum filtrata hæc Tinctura, ac immissa Cucurbitæ Vitreæ, eidem Balneo commissa, evaporatoque humido superfluo ad pelliculam usque, ac materiis refrigeratis, conspicui erunt in fundo Cucurbitæ Crystalli Veneris, decantato prius ac in aliam Cucurbitam infuso supernatante liquore, qui postmodum in vapores absumendus erit, sicuti priori vice cry-



crystallisationem promovendo, donec penitus in Crystalla abierit.

Admirationi forte cuipiam fuerit quam facile Crocus Veneris in aqua, cui immittitur, dissolvatur, quandoquidem propria Cupri substantiæ, in illius Croco contenta, utur accurata fuerit Calcinatio, aut Reverberatio, menstruo tam debili, cujusmodi est Aqua, nequaquam cedere debeat; At vero rei possibilitas manifesta fiet, ubi animadversum fuerit Acidum quod Sulphuri inest, postquam corrofit, ac in plures particulas Croci Veneris, per calcinationem, partem dissolvit, ac quodammodo illi sese concorporavit, Aquam fere ferventem id facillime dissolvere, ac una cum eo partes ejusdem Croci quas corroferat & ex parte dissolverat: Adeo ut Vitriolum, quod inde extrahitur, reapsetantum constet ex partibus Acidis Sulphuris ac Croci Veneris, quas idem Acidum Sulphuris referaverat, & ad dissolutionem aptas reddiderat in aquam una cum illo immisum.

Exhiberi solet id Vitriolum Veneris à duobus vel tribus ad duodecim & quindecim grana, ex liquoribus idoneis, in affectibus Cerebri, Ventriculi ac Partium generationi dicatarum, quarum posteriorum gratia Injectionibus remisceri solet, illius drachmam circiter semis in libra una Succorum, Decoctorum, vel Aquarum distillatarum idonearum affectui diluendo, Necnon maxime conducit enecandis Vermibus.

Cum porro Aqua fervens insufficiens sit penitus dissolvendæ substantiæ Croci istius Veneris, subsidentiâ Cucurbita Vitrea excipienda erit, superaffusoque Aceto stillatio, donec quatuor ad minimum digitis superemineat, maceratio Balneo Arenæ modice calido instituenda erit, donec Acetum distillatum colorem elegantem cæruleum adquisierit; demum decantata, & servata hac Tinctura seorsim in vase, affusoque recenti spiritu subsidentiæ, iteranda erit maceratio eodem Balneo, imo operationes istas repetendo donec spiritus nullo amplius colore imbuatur; Postea committis cunctis his Tincturis, evaporatio procuranda erit, & crystallisatio non secus ac præcedentis, exsiccando & servando Crystalla.

Æris viride cum multo magis referatum sit, meliusque digestum quam Crocus Veneris, ideo facilius dissolvitur & celerius: Eapropter tres aut quatuor libræ æruginis pulverisatę excipiantur vasta Cucurbita vitrea, Balneo Arenæ commissa, ibique paulatim diluantur optimo Aceti Spiritu, commovendo spatula lignea, prædicto Spiritu affuso, donec supernatet Ærugini ad eminentiam quatuor aut quinque digitorum: demum accensus ignis moderatus infra Balneum foveatur, in quo macerandæ materiæ, quousque Acetum distillatum viridem colorem intensissimum induat,



Postmodum per colum transmissa, & seorsum servata hac Tinctura, alioque spiritu Aceti subsidentia Aeruginis adfuso, iteranda erit maceratio, quæ & iterum repeti poterit, sicuti ceteri omnes operationes, donec tota pars purior Aeruginis in Aceti spiritu dissoluta sit; Dehinc omnibus hisce Tincturis in magnam Cucurbitam vitream, eidem Balneo impostam, infusis, accentoque subius igne admodum moderato, humiditas superflua paulatim erit evaporanda, quæ nihil aliud fere erit quam Aceti phlegma, eo quod pars hujusacida concorporatur ærugini, cujus etiam mole incrementum datura est, etiamsi fæces, in filtro restitantes, aut in fundo Cucurbitæ, Crystallorum copia immixtionem inducere debuisse videantur. Pergendum in humiditatis absorptione lenissimo calore adhibito, ad pelliculam usque, poste sponte refrigeratis materiis, decantato in aliam cucurbitam liquore crystallis innatante, leniter exsiccatis, ac seorsum repositis iisdem Crystallis, Cucurbita eidem Balneo rursus imposta, iteranda erit concorporatio & crystallisatio quoties reforevisum fuerit, ut nihil pereat crystallorum quæ Tincturæ inesse possunt, colorem cæruleum exhibiturorū.

Qui horum Crystallorum, ex ærugine pavatorum aciditatem intensiorē desiderant, generosum spiritum ex iis educendi gratia, idoneum dissolvendis plurimis substantiis mineralibus, hæc Crystalla dissolvunt in recenti spiritu Aceti, filtrando dissolutionem cujus, evaporata ad cuticulam usque humiditate, Crystalla segregant, imo repetita additione spiritus Aceti, cunctisque aliis Operationibus, donec ab impostito Cucurbitæ Alembico, dum in vapores abeunt dissolutiones, spiritus Aceti æque generosus extillet ac priusquam dissolutioni Crystallorum adhibitus fuerit; unde colligere liceat omnes poros materiæ penitus compleri à partibus acidis spiritus Aceti, nec majorem illorum copiam illam esse admissuram.

## CAPVT LVII.

### *De Distillatione Crystallorum Veneris.*

**A**Ntequam quis adgrediatur distillationem Crystallorum Croci Veneris, aut eorum qui ex Viridi Aeris educti fuerint, illis prius Cucurbitæ Vitreæ immixtis, affundendus spiritus vini rectificatissimus, donec quatuor digitis superemineat; demum imposta cucurbita Balneo Arenæ, ad ignem lenissimum, admotoque Alembico accurate luto obducto, instructo Recipiente etiam loricato, abstrahendus spiritus vini,  
imo



imo iterum Crystallis adfundendus bis alius spiritus, iidem abstrahendus obtundenda aliquatenus illorum acrimonia, quæ demum exsiccata & contrita in magnam cucurbitã vitream cui lutũ circumductum, congienda, adeo ut duo circiter trientes illius adimpleantur, qua Furno Reverberatorio commissa, admotoque illius rostro grandi Recipiente accuratissime lutato, Distillatione eliciendus spiritus immediato, initio, lenissimo, demum paulatim ac per gradus adaucto, illum producendo donec nulli amplius conspicui sint vapores è Retorta prodeuntes: Postmodum sponte frigefactis vasis, subsidentia altera Retorta excepta, luto obducta, superaffusoque spiritu qui in Recipiens exstillavit; Eadem sicut priori vice Fornati Reverberatoriæ imposita, adposito rostro Recipiente probe luto munito, nova suscipienda distillatio, qua peracta cohobandus iterum spiritus distillatus supra subsidentiam, terna vice distillationem repetendo.

Ea ratione adipisci licet spiritum prægnantem partibus maxime essentialibus Crystallorum Croci Veneris, aut Æruginis, commendatissimum apud plurimos probatos Authores, utpote Remedium specificum adversus Epilepsiam, Apoplexiam, Spasmm, aliosque cerebri affectus, sicuti & passiones Hystericas.

Eximium etiamnum esse aiunt in ventriculi debilitate, ad contereundos calculos in Renibus, Vesica: Valere necnon volunt in Ictero, omni Febrium specie, imo ipsa Peste, ac commode substituendum Aquæ Prophylacticæ Silvij in cunctis affectibus ad quos hanc commendat: Quinimo Paracelsus spiritum hunc quartam partem Pharmaceuticæ officinæ constituere ait.

Dosis illius est à quinque ad sex, ad decem usque vel duodecim guttas ex liquoribus adcommoatis.

Valere etiam aiunt ad Capillos deciduos cohibendos, & ut novi renascantur, ad curationem Achorum, omneque Scabiei genus & Prurimum.

Sed præter cunctas illas vires, pro vero Alkaest habitus est ille spiritus, cujus ope valeant dissolvi & Margaritæ, aut Corallium, & oculi Cancrorum ac quævis aliæ similes substantiæ, citius & facilius quam à quovis alio dissolvente eum in finem usurpari solito, quod cum alterationem patiatur, ac quodammodo atteratur dum in materias illi subiectas agit, etiam acrimoniæ qua pollet non minimas impressiones inducit; At vice versa, ex illorum mente, postquam hic spiritus officio functus est, dissolvendo ejusmodi substantias, ab illis omnino divortium facit si per distillationem expellatur, iisdem viribus præditum erumpens, quas ante dissolutionem obrinuerat, adeo ut novis materiis occurrens eas dissolvere sit idoneus, quoties & quando libuerit ad id officium illum adhibere.



At cum pars Salina dictarum substantiarum sibi adsumere soleat illam Acidi portionem cui se adungere intime potuit, ac præterea pars terrestris nonnullas alias particulas sibi adsciscat illasque amplectatur, non nisi lotionum ope rite separandas, vix verosimile est dictum spiritum semper sibi similem permanere: Neque ex mea sententia, illius usus admodum necessarius est ad ejusmodi dissolutiones, quandoquidem, ob rationes alibi à me allegatas, Magisteria Perlarum, Coraliorum, aliarumque similibus substantiarum, multo inferiora sunt substantiis in porphyrite subtiliter tritis, Sal autem, improprie dictum, exinde eliciendum, in concorporatione huius spiritus cum substantiis ab illo dissolutis, etiam acrimonia majori polleret illo quod eliciendum foret ex iisdem substantiis cum aceto distillato dissolutis, foretque sal acidum concorporatum cum substantia ab ipso dissoluta.

Fallacia etiam insignis subesset, sicuti alias à me demonstratum, si quis Cuprum, Ferrum, Margaritas, Coralia, &c. pro veris Alkalibus venditare vellet, ea fretus ratione quod spiritus Acidi in illa agant; Etiam si enim prædictæ substantiæ proprio Alkali non careant, non exinde tamen particula pro toto habenda est, neque existimandum alias particulas posse illam in propriam substantiam commutare: quandoquidem cum spiritus Acidi ejusmodi substantias dissolvunt, id ipsum non præstant se illi intime uniendo, sicuti id præstant conjuncta legitimis Alkalibus, at potius eadem destruendo, divisione partium illorum inducta, imo ab ipsis secedendo, ac ut præcipitentur permittendo, si sal quodpià fixum aut volatile occurrat quocum coire possint; quandoquidem solæ substantiæ Salinæ, in aqua dissolubiles, quæ cum oleis copulari & concorporari aptæ sint, pro legitimis Alkalibus admittendæ sunt: Etiam si enim aqua fervens, sicuti dixi, aliqualem Cupri in crocum deducti dissolutionem inducat, quando Calcinationem cum sulphure subiit, solam tamen partem Acidam sulphure corrosam, & ex parte per calcinationem divisam, dissolvere valet.

Nonnulli sperarunt eductores se Sulphur Veneris, illius vitriolum commiscendo limaturæ chalybis, adsumpta illius ponderis parte dimidia, hæc iteratis vicibus aceto stillatitio irrorando, ac toties exsiccando, tandem in massam admodum rubram deducendo, igne gradatim adhibito, sub finem adaucto; postmodum massam conterentes ac mediis ordinariis ex illa Tincturam per Acetum stillatitium extrahentes, ut postmodum hæc ad medius evaporet curantes, demum superaffuso liquore Tartari præcipitatione facta consequuturi substantiam, cui nomen sulphuris Veneris indiderunt, etsi revera nihil aliud sit quam propria Cupri substantia in Vitriolo & portione limaturæ chalybis, ab aceto stillatitio dissoluta delitescens, ad usum deducto pro hac Tinctura elicienda.



At cum in huiusmodi præparatione plus ostentationis quam utilitatis adsit, inutile iudicavi diutius circa illam immorari; Neque etiam nū multiplices huc inferrevolui præparationes quas subire potest Cuprum, ratus si quæ à me traditæ sunt non sufficiant ad explendas omnes indicationes, In processibus tamen præcedentibus, vel in iis quas exhibent variæ præparationes Martis à me allatæ, curiosis obvia fore media & indicia necessaria, quorum ope assequi poterunt quascunque circa Cuprum adgredi voluerint.

## CAPVT LVIII.

*De Præparationibus Plumbi.*

**P**lumbum non modo postremæ classi metallorum imperfectorum adscriptum est, sed & ab omni ævo omnium vilissimum habitum est, maxime terrestre, frigidum, molle ac liquabile præ cæteris: Constare dicitur ex Sale & Sulphure terrestribus, impuris ac improbe digestis, & Mercurio imperfecto, ad naturam Antimonij quodammodo accedente.

Saturni denominatio illi imposita est; à Planeta eiusdem nominis, dominium in illud obtinente, juxta vulgatam sententiam: Facultates præterea omnino singulares in affectibus Lienis illi adsignatæ sunt, imo & Cerebri, quod fere illi commixtæ sunt in minera Argenti quædam particulæ.

Ob Sulphur & Salia terrestria quibus scætet, quando liquefactum est intime pervadit & commiscetur quibusvis metallis; si vero una cum illis ignis impetum experiri cogatur, omnia imperfecta in scorias deducit: Ratione eiusdem sulphuris, quando in calcem deductum est & pulverisatum, facillime conjungitur cuilibet materiæ unctuosæ, quamobrem non raro usurpari solet in compositionibus Unguentorum & Emplastro- rum, quibuscum facillime in unum corpus coit.

At quantumvis imperfecta sit illius substantia, ad plurimas tamen præparationes in utraque Pharmacia admittitur, potissimum ad usus externos; hac vero ratione crebrius usurpari solet quam cætera metalla simul sumpta.

Vilissima & simplicissima omnium præparatio Plumbi eiusdem est expurgatio, ad quam perficiendam, prius liquefit in exiguo vase fictili idoneo, vel cochleari ferreo capaci, superiniectisque frustulis aliquot sebi aut ceræ, accensis, & flamma desinente, separantur sordes plumbo supernatantes instar spumæ: Imo diutius ad ignem detinere liceret, aliisque ceræ & sebi frustis injectis, à deflagratione spumam iterum efflorescentem detrahere, at eo modo totum Plumbum & tandem in ejusmodi scorias abiturum esset, si ma-



terierum ejusmodi pinguium iniectio & adustio sæpius repeteretur, & igni frequentius Plumbum exponeretur: quamobrem suffi it una vice liquefaciendo plumbo hæc admiscuisse, despumasse, ac postmodum in vas quoddam aqua calente ad dimidias repletum effudisse, si plumbum sufficiens depuratum desideretur, perquam idoneum quibusvis aliis præparationibus suscipiendis.

Ea ratione expurgatum Plumbum, si calcinandam fuerit in Calcem cineream, exponi poterit igni moderato, eodem vase exceptum, continuo longa spatula ferrea id commovendo, ac per vices separando Pulverem cinereum, ad flavum colorem vergentem, ibi colligendum; ad ignem tamdiu detinendo, itidem agitando, ac Pulverem separando, donec totum Plumbum in prædictam Calcem abierit.

Calx ista postmodum pelvi fictili non profundæ insterni potest, qua imposito Furno Reverberatorio idoneo, accendi & fore ignis moderatus, adeo ut idoneus sit Calcis fusioni, concessa illi reverberatione ad aliquot horas, ac quousque flavum ad optata sit colorem, à Pictoribus *Macicot* vocatum; vel donec transeat in colorem corticis mali Aurantii maturi, ad rubrum accedentem, Minium dictum.

Potest etiam Plumbum in laminas deduci, quæ suspensæ excipiant vaporem Aceti, inditi alicui vasi, supposito igne moderato, separando postmodum substantiam candicantem, ibi colligendam nomine Cerusæ venientem.

Vel potest liquefieri Plumbum in Crucibulo, admixtaque dimidia parte ponderis Sulphuris pulverisati, id supra ignem detinendo donec totum Sulphur absumptum sit, adeo ut in fundo obvium sit Plumbum coloris obscuri, nomine Plumbi (sive) indigitatum.

Prætermitto Plumbi calcinationem in Lithargyrum, quæ contingit dum Metalla perfecta expurgantur, uti & calcinationes immersivas cum Plumbo perficiendas per Spiritus corrosivos; quarum ea quæ fit per spiritum Aceti, in præparatione Salis Saturni, exen p um sufficiens exhibitura est.

Mentem vero meam explicaturus sum circa ponderis incrementum in Calcibus Plumbi & aliorum Metallorum, vel substantiarum metallicarum, quibus undecima circiter pars accedit, si diutius ignis actionem experta fuerint: hæc vero ratio est, quod interim dum flamma illorum referat & diducit particulas, acidum & substantia fuliginosa elignis prorumpens, aliisve materiis accensis, poros Calcium illarum subeunt, inibique detinentur ab arcano Alkali illis obvio: Adeo ut quamdiu pori, quos subierunt, patentes adhuc sunt, in illis delirescant, non secus ac Acidum & Sal alkali lignorum in fuligine caminorum, hinc quando



quandoquidem unicum corpus cum prædictis Calcibus constituunt, manifeste illarum pondus ad tempus adaugent: At vero si hæ Calces fusioni expositæ fuerint, ac pristinum corpus metallicum readsumpserint, à contractione pororum metalli expellitur Acidum extraneum, ac cunctæ substantiæ extraneæ, adeo ut cum ex propriis tantum substantiis constet, solum supersit pristinum pondus antequam in Calcem deductum fuisset.

Etiamsi vero Calx Plumbi hic aliquomodo Alkali munere fungatur, unitatis quandam speciem cum Acidis iniens, neque etiam inficiari liceat quin Plumbum Alkali arcano præditum sit, non secus ac cætera metalla substantiæque metallicæ, immerito tamen totum pro parte acciperetur, ac universa Plumbi substantia pro legitimo, puro & simplici Alkali. Id enim si foret non modo multo majorem Acidi partem absorberet, sed aliquando absorpsum intime sibi adjungeret, unde ex utroque unicum corpus constitueretur; neque, sicuti fit, accedente fusione ab illo secederet, quam non secus experiretur ac cætera Acida Alkalibus conjuncta, citra tamen ullam illorum substantiæ divisionem.

## C A P U T L I X .

*De Sale & Magisterio Saturni.*

**A**D hujusmodi præparaciones sine discrimine admitti possunt Lithargyrum, Minium, Cerusa, aliæque Plumbi Calces, satis quippe est habuisse Plumbum referatum, quod idoneum sit suscipiendæ facili dissolutioni per Acetum stillatitium: At cum metallum istud, ad albedinem calcinatum, magis accedat ad colorem quo donandum est istud Sal, satius fuerit hoc usurpasse, eamque in rem Cerusam adsumpsisse, vel aliud quoddam Album Plumbi.

Est vero hic eligenda legitima Plumbi Cerusa, cujusmodi Veneti nobis suppeditant, nequaquam autem fictitia & adulterium passa, quæ quod cretam permixtam habeat, aut quampiam aliam materiam extraneam, caret friabilitate, pondere & candore, quibus pollet Cerusa Venera.

Cucurbita ergo vitrea, aut argillacea, eam Cerusæ pulverisatæ quam volueris quantitatem excipiat, illa committatur Balneo Arenæ, superfundaturque Acetum distillatum, adeo ut quinque aut sex digitis supernatet: Supponatur ignis Balneo, sæpius materias commovendo longa spatula lignea, tum ad prohibendum ne Cerusa in vasis



fundo conglobata subsistat, tum promoverendæ gratia illius dissolutionis: Admodum moderatus sit ignis quousque spiritus aceti manifestam dulcedinem exhibeat, indicio certo ab ipso Cerusæ maximam partem esse dissolutam; Tunc sponte frigefacto Balneo, decantatus & frigefactus liquor seorsum recondendus in lagenâ vitrea densa; Demum iterum reposita in Balneo Cucurbita, recenti Aceto distillato subsidentia Cerusæ adfuso, subditoque rursus Balneo igne, iteranda erit maceratio cæteraque operationes, usque dum universa Cerusæ substantia propemodum in Aceto stillatitio dissoluta sit; postea cunctis hisce dissolutionibus colo transmissis, Cucurbitæ vitreæ mundæ immixtis, ac Cucurbita Balneo arenæ imposita, igne modico adhibito, humiditas superflua evaporanda erit, donec solum superstes sit circiter Tincturæ quarta pars: Tunc calide filtratus hic liquor, reponendus erit in loco frigidiori per horas circiter urginti quatuor, succedente post coagulatione maximæ illius partis in Crystalla alba, longa & pellucida, quibus eminebit pars liquoris qui Crystallifari non potuit, ob humiditatem superfluum: Ideoque iterum decantandus erit hic liquor in Cucurbitan, eodemque Balneo invapores soluta illius humiditate ad medias circiter, nova Crystallifatio procuranda erit, idem postmodum observando erga liquorem Crystallis supernatantem, donec quicquid adfuerit salis Aceti, cum Plumbi substantia concorporati, crystallifatum fuerit: Crystalla autem exsiccata, ad usum recondenda.

Eximia dulcedo qua præditum est Sal Saturni, in causâ est ut perpetuam pro mero Sale plumbi habitum fuerit, etiamsi reapse nihil aliud sit quam verum Sal Aceti, concorporatum propriæ plumbi substantiæ, à spiritu aceti dissolutæ: Dubium vero nullum suberit, postquam dissolutum fuerit istud Saturni sal per Retortam, nam foras prodeunte parte aceti salina, in spiritum abeunte, in Retorta occurret propria Plumbi substantia in hoc sale prius delitescens, suo corpori reddita, veri plumbi naturam revera iterum readsumens: Fidem vero ampliorem id faciet, si Saturni hoc Sal, una cum Sale Tartari Crucibulo immixtum fuerit, adhibito igne Fusorio, Nam ob Acidum spiritus Aceti, quod à Plumbo divortium facit, Sal Tartari amplexurum, idem Plumbum in eandem redit naturam quam obtinuerat priusquam à spiritu Aceti dissolutum esset, ac in cerusam aut calcem deductum.

Saporem istius Salis dulcem quod attinet, neque is ullo jure Saturni Sali interno adscribi potest, nam præterquam quod secerni nequit à cæteris Plumbi partibus, Metallum autem hoc nulla omnino dulcedine præditum est, neque sapore quopiam manifesto, idem etiamnum inferendum foret de Salibus Margaritarum, Corallorum &c. quandoquidem postquam dissoluta fuere in Aceto stillatitio, illorumque dissolutio in sal  
conversa



conversa est, sal istud, quod sal etiamnum est spiritus Aceti, concorporatum substantiæ Margaritarum, Coraliorum &c. ab eodem spiritu Aceti dissolutorum, sapore præditum est admodum simili illi quo donatum est Sal Saturni; etsi demonstrari possit saporem istum dulcem nequaquam esse deducendum à quopiam Sale separabili, illis substantiis inexistente; quandoquidem licet præcipitatione facta harum substantiarum dissolutarum, vel distillando hæc Salia, idem fere pondus deprehendere sit quo pollebant antequam à spiritu Aceti dissolutæ fuissent, cum porro elotæ fuere ac expurgatæ ab omni commistione spiritus Aceti, æque insipidæ ac ante observantur, nedum in illis quampiam dulcedinem deprehendere licet, uti neque in Plumbo: Adeo ut immerito adsignetur sapor hic dulcis, manifestus in sale Saturni, alteri causæ quam actioni spiritus Aceti in Plumbum; Neque etiamnum sapor dulcis salis Margaritarum, aut Coraliorum, aliter perpendendus quam ut affectus actionis Aceti in has substantias, atque combinationis utrorumque; cujus actionis efficacia, aculei spiritus Aceti cum obtundantur, hinc sequitur mollior illorum in lingua impressio quam ante.

Cum Plumbum eodem modo agere nequeat quo salia in spiritum Aceti, posterior porro hic cum solum agens in dissolutione Calcis Plumbi censendum sit, Eapropter multo levior ebullitio observatur, minusque etiam intensus calor quam in conjunctione Acidorum cum veris Alkalibus, in quibus præceps & celer contingit utrinque actio, ut inde emergat unitas ipsis admodum familiaris, fervor enim & calor concitati, effectus sunt insignis & reciproci illorum motus: Idemque observare est fervorem & calorem omnino desinere statim ac ad unitatem properant, desinente illorum actione & motu: At vero hic nulla expectandus est alius fervor, neque alius calor, quam quos solus spiritus Aceti excitare potest quando agit in calcem Plumbi, in quam etiam spiritus Aceti molliissime tantum agit, ea scilicet de causa quod cum multo semper scateat phlegmate, aculei illius obtusiores sunt, ideoque minus ad actionem & motum idonei, quo fit ut non exiguum tempus requisitum sit quo hic spiritus istam dissolutionem peragat.

Quibus frigiditas Plumbi suspecta est, sicuti & acrimonia spiritus Aceti, ij Sali Saturni adfundere possunt spiritum Vini rectificatissimum ad quatuor digitorum eminentiam, præmissaque tridua aut quatruidua digestionem, hunc abstrahere, demum sal exsiccare & recondere.

Eximium habetur Sal Saturni ad extinguendas inflammationes internas ardoremque febrium, imo & ad libidinem frænandam, ex liquoribus idoneis id exhibendo à tribus aut quatuor ad quinque aut sex grana: Plurimum etiam commendatur ad resolvendos Tumo-



res duros & scirrhosos, ac dissipanda enchymomata.

In Collyriis utilissime adhibetur, tam cohibendarum fluxionum in oculos causa, quam sedandæ inflammationis, ac delendarum albuginum incipientium; id diluendo à scrupulo uno ad duos in aquæ Chelidonij, aut Euphrosiæ unciis quinque vel sex, quarum augeri potest quantitas si Collyrium temperatius requiratur.

Injectionibus etiam commiscetur in Gonorrhoea, Inflammationibus & Ulceribus Vesicæ & Vteri ac illorum meatum: Gargarismis etiam commodissime additur, in plerisque affectibus Ori molestis, quos ut plurimum pariunt Alkalia volatilia aut fixa, Acidum quippe spiritus Aceti, cooperante Plumbi qualitate frigida, actionem horum salium evidentissime retundit, inflammationemque ab illis indutam extinguit: Id vero rationi eo magis conscataneum videtur quod, experientia teste, Sal prunellæ, spiritus salis, sulphuris & Vitrioli, & quodvis Acidorum genus, imo & vulgare Acetum, optime in ejusmodi affectibus admittuntur, qui in deterius laberentur usurpatis cæteris salibus, tum fixis tum volatilibus.

Præparari solet linimentum à Saturno denominatum, commiscendo simul partes æquales dissolutionis salis Plumbi & Olei Rosati, hæc deducendo in quandam Unguenti Nutriti speciem, admodum idonei ad curationem Ulcerum malignorum, inductorum ab humore acri & salso, uti & Herpetis, Scabiei, Impetiginis, imo & Ambustionis.

Abstinere licet à singulari dissolutione Calcis Plumbi, obtinendi gratia magisterium Saturni, quandoquidem satis est immisisse Cucurbitæ, aut capaci disco vitreo, quantum volueris liquoris filtrati Saturni, ad salis extractionem præparati, illi leniter adfundendo liquorem Tartari quousque nulla amplius ebullitio manifesta sit: Liquor enim Tartari, postquam conjunctus est spiritui Aceti, à quo dissoluta fuit Calx Plumbi, efficiet ut istam Calcem deferat, quæ in fundum præceps itura est: Postmodum subsidentia facta materiæ præcipitatæ, decantatoque liquore supernatante, materia hæc iteratis vicibus aqua purissima eluenda erit, donec perfectissime edulcorata sit: Exsiccandum postea hoc Magisterium, ad usus servandum.

Magisterium hoc reapse nihil aliud est quam Calx Plumbi, depurata & subtilis reddita, quæ admitti potest ad usus externos, si refrigerandi & exsiccandi necessitas inciderit: Nonnulli unguentis Pomaceis id remiscent ad vultus decorationem: At candor adparens, quem unguenta ejusmodi vultui conciliare videntur, comitem sæpe habet colorem ad plumbeum vergentem, relicto priori materiæ, è qua



qua magisterium eductum est, in facie vestigio, in quam abire aptum natum est non secus ac Sal Saturni.

Possit & concinnari magisterium Saturni, infracto spiritu Aceti, Calce Plumbi prægnante, illi superaffusa non exigua Aquæ copia, cujus causa in vasis fundum dimissurum est Calcem Plumbi à se dissolutam.

Nonnulli dissolutione facta Laminarum Plumbi in Aqua Forti, comparata ex Nitro & Alumine, dissolutioni illi affundunt Aquam Salsam filtratam, unde præcipitatio sequitur Magisterij admodum candidi: quod rite per plurimas ablutiones dulcoratum, ac in umbra siccatum, intra duas chartas conclusum, in usum venit ad vultus decorationem.

## C A P U T L X .

*De Distillatione Plumbi.*

**P**lumbum quanquam molle, non ideo tamen aptius cæteris metallis ut solitariū exhibere possit per distillationem discrepantes substantias liquidas, id quod præstant plurima Salia ac partes Vegetabilium & Animalium; Nam etiam si Plumbum diutius ad ignem luculentum detineatur, ac tandem ad eam conditionem deduci queat quam nonnulli Authores vocant *Gas*, nihilominus tamen neque per distillationem, neque alter ullum sal ex illo elicere licet, neque spiritum, neque oleum quæ pro legitimis haberi possint, etiam sancte talia quidam polliceantur.

Quandoquidem id hætenus omnino non licuit, ideo necessario artis peritis confugiendum fuit ad spiritus corrodendi vi præditos, quorum ope Plumbum in calcem deducatur, quo ex conjunctis Calce & spiritibus elicere queant compositum, salis multam similitudinem præbens, postmodum ex isto sale per distillationem extrahere phlegma, spiritum, & oleum, specietenus tale, cujus Præparationem hic exhibeo.

Ut felicius succedat Distillatio Salis Saturni, è re est prius id ipsum iterato dissolvere in Aceto distillato; unaquaque vice Balneo Mariæ partem aquei humoris à prædicto spiritu abstraxisse, hæcque operationes repetiisse donec spiritus aceti distillatione prodeat non minori acore præditus quam cum immisus fuit: unde colligere dabitur poros Plumbi substantiæ Acidum omnino intra se admisisse.

Tum libræ duæ vel tres Salis istius Saturni, optime exsiccati, ingenti Retorta vitrea excipienda sunt, qua imposita, (congesta toto in am-



bitu arena) capsulæ <sup>in</sup>tili idoneæ, admoto Excipulo illius rostro, accuratèque luto obductis cunctis commissuris, suscipienda Distillatio igne gradatim adhibito, leni quidem initio, sed sub finem admodum aducto, ac donec nulli amplius ex Retorta vapores prodeant.

Distillatione peracta, vasisque frigefactis & decrustatis, occurrent Phlegma & spiritus Salis Saturni in Recipiente commixta; quæ simul Cucurbitæ vitreæ committenda; hacque Balneo Arenæ imposita, Alembico proprio probe loricato cooperta, admoto etiam exiguo Excipulo similiter lutato, perficienda erit Rectificatio igne lenissimo, Eoque pacto, postquam præterit spiritus inflammabilis (cui nonnulli nomen spiritus ardentis Saturni indidere, etiamsi æapse nihil aliud sit quam pars volatilis sulphurea Aceti) postmodum subsequente Phlegmate, In fundo Cucurbitæ obvius futurus est liquor purpureus, cui admodum improprie concessum nomen Olei Saturni, quandoquidem nihil aliud est quam spiritus Aceti concentratus, paucissimis Plumbi particulis donatus; id quod demonstratu facile est fusioni imponendo massam reliquam Retortæ, proculdubio enim abitura est in Plumbum omnino illi simile quod in Calcem deductum fuerat, præparandi gratia Salis Saturni.

Alibi dixi quando Vinum in acetum transit, partem acidam, tunc dominium obtinentem, partem Vini sulphuream volatilem nequaquam destruere, hanc vero in altera dolitescere, etiamsi plurimi contrariam amplectantur sententiam: Eædem rationes, vim naturæ ab eo quod hic contingit, demonstrant spiritum inflammabilem ex hac distillatione prodeuntem, aliud nihil esse quam spiritum vini abstrusum & quasi involutum in Acido Aceti, tunc se exhibentem quando igne urgente maxima pars spiritus Aceti, à quo fuerat fixatus, cohibetur intra poros Plumbi Calcis quam dissolverat: Contingit etiam à separatione spiritus istius sulphurei, id quod in fundo Cucurbitæ residuum est, Olei Saturni nomine signatum, non eadem aciditate pollere quam obtinere potest spiritus purus Aceti concentrati.

Ut cumque tamen difficile est Luteriæ in distillationes Salis Saturni verum spiritum inflammabilem consequi, eo quod Aceta idonea spiritui suppeditando ut plurimum adulterina sunt, Aquam probasi obtinentia: Quendam tamen spiritum habere licet si adhibitum fuerit Acetum purum, quod tale evasit ab acore Vini accidere solito: Hinc Sal Saturni, paratum ex legitimo Vini aceto, fere semper flammam aliquam in ignem projectum emitte-  
re solet.



Authores spiritui inflammabili ex hoc Sale educto, adscribunt eximiam vim diaphoreticam, qui utilissime in usum adducatur adversus Febres malignas, affectus luis Venereæ comites, & qui cerebrum obsident, exhibendo remixtum liquoribus idoneis à quinque aut sex ad quindecim aut viginti guttas.

Liquorem in Cucurbita restibilem commendant ad curanda & cicatrice obducenda vulnera & ulcera, levissima horum inunctione: Nonnulli etiam plurimi faciunt ad morbos qui in Equorum oculis accidunt.

## C A P U T L X I.

*De Balsamis Saturni.*

**I**nsignis facilitas observata in dissolutione & concorporatione ad ignem Calcium Plumbi pulverisatarum, cum oleis ac quavis materia pingui, occasionem præbuit judicandi à dissolutione harum Calcium per spiritibus corrosivos, iisdem postmodum in sal ductis, minus difficilem fore illorum dissolutionem in quovis liquore, ac in usum adducere ad compositionem quorumvis remediorum tum interiorum tum exteriorum.

Balsami Saturni non minoris momenti remedia præbent, ex illo parabilia; quorum causa nonnulli præcipiunt immitti Retortæ vitreæ Salis Saturni octo uncias; illis superaffundi duplex pondus Spiritus ætherei Terebinthinæ; hæc accurate commixta distillari Arenæ Balneo, igne per gradus adhibito: Inde primo extrahi aiunt spiritum limpidum, admodum convenientem curationi Gonorrhœæ vitulentæ, si præsertim tantillum Camphoræ admixtum fuerit, Demum educi Oleum, nomine Balsami Saturni venientem, idoneum mortificandis ac sanandis ulceribus canerosis & malignis.

Alij jubent quatuor uncias Salis Saturni pulverisati immitti Matratico, cum altero tanto spiritus ætherei Terebinthinæ; imposito autem Matratico exiguo Alembico cæco, accuratissime lutato; hæc digeri Balneo Arenæ, admoto minimo igne, per vices commovendo; digestionem autem eo usque progredi donec Sal Saturni propemodum sit dissolutum, spiritus autem intensi sit coloris: Demum vasis decrustatis, addendo huic Tincturæ unciam unam Caphuræ pulverisatæ; vasis iterum luto obductis, pergendo in digestionem donec Caphura dissoluta fuerit, filtrari hunc Balsamum transmittendum per paucillum gossipium, fundo infundibuli



inmissum; Recondendum postmodum in lagena vitrea densa accurate obturanda.

Remedium esse asserunt cui nullum comparandum sit ad curationem quorumvis Ulcerum, Fistularum, Vulnerum, cujuscumque fuerint generis, calide partibus affectis admovendo.

Alij adhibent secundum aut tertium Oleum à Terebinthina elicatum, dimisso illius spiritu æthereo, eum in finem ut Balsamus, solidiorem consistentiam nactus, diutius partibus adhærere queat.

Nonnulli in usum adducunt Oleum distillatum baccarum Juniperi, rati præter facultatem diureticam, qua pollet, hoc loco forte inutilem, aliasque insignes dotes illi communes cum Oleis Terebinthinæ, hoc Balsamica vi insignius esse, magis idoneum ad resistendum malignitati vulnerum & ulcerum.

Omitto Tincturas & Extracta quæ suppeditare valet Sal Saturni, per spiritum vini parata, vel alia menstrua; quorum ope, præmissis diuturnis & repetitis circulationibus & abstractionibus, consequi tandem licet Oleum odoratissimum.

Præmitto præterea modos Mercurium ex Plumbo extrahendi, factius enim duco aliis magis utilibus immorari.

## C A P V T LXII.

### *De Stanni Preparationibus.*

**E**Tiamsi Stannum accenseatur tertix classis Metallorum imperfectorum, non secus ac Plumbum, postremo tamen hoc id purius est, pondere quippe id superat, quapropter etiam Plumbi albi nomine donatum est: Sed præterea durius est, & frequentius ad confectio-nem vasorum in usum ducitur, utpote magis idoneum: Id etiam singulare obtinet, quod Aquæ, aliive liquores qui illi committuntur, nihil vitij contrahunt, dummodo corrodendi vis abfuerit.

Stannum perhibent compositum ex Terra & Sulphure impuris, tantillo Sale metallico, ac Mercurio paulo puriori, magisque digesto quam qui Plumbo inest, at multo inferiori eo quo donata sunt Aurum & Argentum.

Iovis nomine donatum fuit ab iis qui crediderunt Planetam cognominem influxus suos in id metallum diffundere: Sancitum & facultates illius Iecur & Vterum præsertim spectare.

Cum



Cum facillima sit Stanni ab igne fusio, ac citissime cæteris metallis conjungatur, eapropter si aliquando una cum illis colliquefactum fuerit, ac præsertim imperfectioribus, admodum ardui est negotij id penitus ab illis divellere: Ea de causa optimus procedendi modus, ut consequi purum liceat, is fuerit ut primo ex sincera minera eruat; demum liquefcat in capaci cochleari ferreo, additis frustis aliquot sebi aut ceræ, ad deflagrationem, sicuti in Plumbo fieri solet: Postmodum scorix detrahantur, spumæ specie supernatantes.

In ignis hæc nihilominus ad fusionem propensio non prohibet quin ob soliditatem, & implicationem ramosarum partium illius substantiæ, difficilioris multo quam Plumbum sit in Calcem perfectam commutationis, eapropter satis esse non debet id fusioni tradere, ac igni expositum prælonga virga ferrea commovere, quousque Calcis formam adeptum sit, sed præterea Calx ista per plurimos dies, Furno idoneo imposita, reverberanda est, quinetiam per vices Aceto stillatio hæc irroranda, si modo ad eum statum deducenda sit quo facile pervadi queat & dissolvi ab eodem spiritu, præparandi postmodum gratia Sal Saturni, postquam Calcis formam adeptum est.

At cum Sal eo modo præparatum solummodo constet ex Sale ab Aceto stillatio suppeditato, ac propria stanni substantia dissoluta, in illo Sale delitescente, è re est id immittere Cucurbitæ, & spiritum vini rectificatissimum affundere: demum commissa Cucurbita Balneo areæ, igne lenissimo subdito, superimpositoque Alembico, admovendum exiguum Excipulum, cuius accurate luto obductis commissuris, abstrahendus erit hic spiritus, imo recens spiritus Sali affundendus; ter easdem spiritus Vini affusiones & abstractions repetendo, ut Sal hoc idoneum magis ac magis reddatur quod interius adsumi queat.

Exhibetur à duobus vel tribus ad quinque aut sex grana, conservæ alicui remixtum in affectibus hystericis, ac præcipue suffocationibus ab Utero, quarum causa umbilico etiamnum adhiberi potest, oleo Rutæ id exipiendo.

Valet & ad curationem Fistularum ac chronicorum Ulcerum malignorum corrodentium, admovendo id remixtum Linimentis idoneis.

Licet etiam dissolutione facta Calcis Stanni in Aceti spiritu, præcipitare dissolutionem cum sale urinæ aqua diluto, probè que elutum Magisterium hoc ad eosdem usus ac Sal usurpare; imo id Unguentis Pomaceis commiscere ad decorandum vultum comparatis.



## CAPUT LXIII.

*De Floribus Stanni.*

**R**equiritum temporis spatium, & tædium calcinationis Stanni, per media à me jam allata, omnium simplicissima & usitatissima, Artis peritos impulere ad indagandam methodum & faciliorem & compendiosiore; Ei rei plurimi operam navarunt, nec frustraneo plane successu; Inter cæteras præparaciones à quibusdam excogitatas, Sublimatio Stanni in Flores omnium optima est, si bene sentio; Etiam si enim nemini in mentem venerit Stannum in Flores sublimare velle citra aliquod additamentum; ac præterea Salium commixtio, eapropter in usum venientium, improbanda videatur, ob imminentem corrosionis ab his metum; Cum porro omnino fieri non possit ut Stannum Florum speciem adsumat ejusmodi auxilio destitutum, arduum vero non sit Salia ista à Stanno secernere beneficio ablutionum repetitarum, hac de causa usus illorum admittendus est, dummodo ratione habita gravitatis Plumbi, ac innatæ inhabilitatis ad sublimationem in Flores, in augmento proportio habeatur copix Salium eum in finem adhibitorum.

Quamobrem, cum vulgo præscribi solet à nonnullis equale pondus Stanni & Salis Ammoniaci pulverisati, accipi velim uncias octo prioris aut posterioris Calcis Stanni, & quater tantum Salis Ammoniaci quibus in subtilem pulverem contritis, ac rite commixtis, solido Aludel impositis, in Fornace idonea, id cooperiendum superinditis tribus aut quatuor ollis illi adcommodatis, probeque luto obductis juncturis, admotoque capitulo exiguo supremæ Ollæ, accendendus erit exiguus carbonum ignis infra Aludel, qui paulatim intendendus donec Aludel probe incanduerit quoad totam partem inferiorem: Eo tempore per foramen insculptum injicienda semuncia circiter Pulveris, foramine eodem momento occluso; quo pacto Stannum & Ammoniacum una in vapores affurgent, qui intra Ollas Florum formam condensati adsumpturi sunt: Postmodum in Aludel tantumdem Pulveris immittendum, foramen occludendo, donec evehantur & in Flores vapores concorporentur; Cunctas has Operationes repetendo donec Pulvis universus absumptus sit, luculentum infra Aludel perpetuo ignem fovendo, ad faciliorem Stanni sublimationem, quod eo pacto fere totum in sublime efferendum erit.

Aliam



Aliam si inieris viam, videlicet tantum partes æquales Stanni & Salis Ammoniaci adsumas, futurum ut Stannum fere totum in fundo Aludeli subsideat; Neque id mirum esse debet, impossibile quippe est metalla in Flores evehere nisi in subsidium venerint triplum aut quadruplum pondus Salium volatilium admiscendorum, aut saltem plurimæ cohobationes invicem sese consequantur.

Peracta omnino sublimatione, vasisque sponte refrigeratis, ac decrustatis, colligendi Flores ollis adhærentes, quibus inamissis capaci pelvi fictili, aqua pura repletæ, omnia reponantur & sinantur per vigintiquatuor horas; quibus exactis, aqua decantata, in fundo vasis occurret Calx stanni, forma magisterij, quod probe dulcoratum ope plurimarum lotionum, & in umbra exsiccatum adservandum erit, eo modo exhibendum, seorsum aut aliis remediis remixtum.

Neque tamen quicquam prohibet quin, si lubet, in Sal deducatur, id in Aceto stillatitio dissolvendo, eademque ratione procedendo ac ad præparationem Salis Saturni.

Licet etiam, dimisso Sale Ammoniaco, commiscere Calci Stanni triplum pondus Salis Nitri pulverisati, simul facta detonatione ac sublimatione in Aludello, ollis superimpositis cooperto, addito exiguo Capitello, projectione facta Pulveris in Aludellum candens; eadem quoque ratione procedendo ac ad confectionem Florum præcedentium; Collectos demum Flores, ac dissolutos in grandi Pelvi fictili, aqua repleta, postmodum rite dulcoratos, exsiccando & recondendo: Aut, quod satius, affundendus Spiritus Vini rectificatissimus ad altitudinem duorum transversorum digitorum, ibi accendendus, ter vel quater eadem operatione repetita antequam Flores in usum adducantur.

Potest & fieri Amalgama Stanni, quatuor illius uncias in Crucibulo fundendo, in altero excalesfaciendo Mercurij vivi uncias duas, procul ab igne Mercurium calentem Stanno affundendo, illi concorporando; Amalgamata demum conjuncta in aquam frigidam projiciendo, postea Amalgamati, linteo excepto & expresso, commiscendo sextuplum pondus pulveris Salis Ammoniaci, & quartum tantum Sulphuris pulverisati, omnia simul matratio imposita sublimando, igne Arenæ gradatim adhibito, more solito; Ea ratione Sal Ammoniacum & Sulphur Mercurium amplectentia, ac cohærentia, illum abstrahunt, simul indentes formam, consistentiam & colorem Cinnobaris, cuius elegantia Purpurei nomen illi conciliavit, Stanno interim in fundo superstite forma



Pulveris subtilissimi, coloris aurei, nomine *Machicotij aurei* donatum, quod Pi&toribus frequenti est in usu, non secus ac Purpureum.

At si isti colores curæ non fuerint, uti neque Mercurij conservatio, potest igne lento evaporari Mercurius Amalgamatus, Calce stanni alba & subtili in vasis fundo relicta, quæ ulteriorem albedinem consequi poterit, ac in Alkool deduci commiscendo alterum tantum Nitri, par que pondus Salis Ammoniaci, projectione facta & sublimatione in Aludello, juxta artis regulas, Eluendo illam & exsiccando eo modo quo Flores quorum modo tradidi descriptionem.

### CAPVT LXIV.

*De Distillatione, pluribusque aliis Plumbi preparationibus.*

**Q** Vandoquidem omnino impossibile est ullum liquorem è Stanno sursum evehere, vel distillatione educere, uti neque è cæteris metallis si solitaria fuerint; Nullus præterea non desiderio teneatur illius corpus accurate referandi, illudque idoneum reddendi quod probe proprias vires explicet, ideo Artis periti sollicitè disquisiere materias, quæ remixtæ id intime penetrare valeant, dissolvere, idemque liquoris specie distillationis ope impellere.

Quamobrem, commixta Calx, aut Stanni limatura, duplo ponderi Mercurij sublimati corrosivi, committitur exiguæ Retortæ vitreæ, luto munitæ; qua imposita exiguæ Fornaci Reverberatoriæ clausæ, leviterque admoto ejus Rostro Recipiente, instituenda distillatio, adhibito igne immediato lenissimo, eo usque producenda donec liquor butyrosus expectatus stillare desinat: Mutato tunc Recipiente paulatim augendus ignis, tandem urgendus donec quicquid in sublimato Mercurij latebat, reviviscat & currat in Recipiens: Postea affusa aqua pura liquori albo & crasso, relicto in priori Receptaculo, eoque pacto præcipitatione facta substantiæ Stanni, a salibus sublimati corrosivi erosæ & dissolutæ, finitur refrigerari materia præcipitata; decantatoque in aliud vas liquore innatante, iterum atque iterum aqua limpida affusa eluitur id præcipitatum, donec perfecte edulcoratum fuerit, demum in umbra exsiccatum ad usus servatur, exhibendo à duobus vel tribus ad quinque aut sex grana, iisdem in affectibus ad quos usurpari solent aliæ Stanni præparationes à me traditæ.

Immerito quis crederet Præcipitatum istud Mercurio originem suam debere, sublimati corrosivi materiæ præcipuæ; quandoquidem,  
 expe-



experientia teste, quicquid Mercurij continere poterat sublimatum, id in Receptaculum exstillat peracta Butyri distillatione, si urgeatur ignis. Postmodum licet, si lubeat, præcipitatum hoc rursus deducere in merum Stannum, eiusdem omnino naturæ ac antequam à Salibus sublimati corrosivis dissolutum fuisset.

Licet filtrare, ac partem in vapores absumere loturæ prioris hujus præcipitati, consequendi gratia spiritus Acidi, illi propemodum similis qui elici solet è prima lotione Butyri Antimonij, cuius suo loco meminero; Spiritus Vitrioli philosophici nomine gaudens: Aut Crystallificare in Sal hanc Loturam, pergendo in evaporatione ad cuticulam usque, sponte ut refrigescat sinendo, separatione postmodum facta Crystallorum exsiccatorem.

Præparatur præterea Butyrum, aut Oleum glaciale Stanni, cuius postmodum suscipitur præparatio, quam vocant *Bezoarticam Ioviale*, hac ratione procedendo.

Liquefiant in Crucibulo uncia tres Reguli Antimonij, additis unciis duabus Stanni purissimi, demum infusa hæc mistura in Cucullum ferreum, pingui interius aliquo delibutum, & calentem, ac sponte refrigerata, subtilem in pulverem conteritur: postea remixtus hic Pulvis duplo ponderi sublimati corrosivi, itidem pulverisati, cunctisque exigua Retorta vitrea, luto obducta exceptis, hæc committitur exiguæ Fornaci Reverberatoriæ clausæ, suscipiturque distillatio tam Butyri quam Mercurij currentis, eadem via procedendo qua ad præcedentem distillationem: Præcipitatur quoque eadem ratione Butyrum inde exstillatum, materiam præcipitatum etiam abluendo.

Adservatur postmodum, si lubet, nonnulla porrio Pulveris, cui vis inest leniter expurgandi per superiora æque ac inferiora in affectibus Hystericis, dando à duobus ad quatuor aut quinque grana, ex quapiam conserva, aut condito.

Bezoarticum vero Ioviale adipisci dabitur hoc pacto, Pulveris designata quantitas immittatur exiguæ cucurbitæ vitreæ; affundatur tertantum optimi spiritus Nitri, committatur Balneo arenæ, supposito igne moderato, ut spiritus Nitri leniter evaporet curando, donec massa omnino exsiccata fuerit: Demum in pulverem comminuta hæc massa, ritèque plurimis adhibitis lotionibus dulcorata & exsiccata custodienda, excepta lagena vitrea densa accurate occludenda.

Vtiliter in usum adduci posset Bezoarticum istud Ioviale ad Tabidorum curationem, & Febre Hæctica laborantium, quam Angli vocant Consumptionem, illud substituendo Antihectico à Petro Poterio tantopere decantato, ab ipso obscure tantum descripto tertia Centuria Cura-



tionum & observationum Medicinalium, imo existimo hanc præparationem nulli inferiorem esse ex iis quæ legitimæ habentur, quam huc insertam volui.

Liquefiant in Crucibulo Reguli Antimonij unciæ quatuor, & Stanni puri unciæ tres, ambo liquefacta infundantur Cucullo ferreo, interius pingui aliquo delibuto, inde exsurget *Regulus*, *Iovis* nomine designandus: Conterendus posthac iste *Regulus*, rite commiscendus duplo ponderi Nitri purissimi pulverisati; Paulatim fiat projectio, ac detonatio in Crucibulo candente, pedamentum habente subpositum, ad luculentum carbonum ignem: Omnium projectione facta, & detonatione, ponderandum id quod in crucibulo repertum fuerit, conterendum ac denuo commiscendum duplo ponderi Nitri purissimi; Projectione & detinatione huius mixturæ sicuti prius repetita; Demum coopertum crucibulum, ignique luculento per horam commissum, sponte ut refrigeret finendum; Exempta materia optime conterenda, ac plurima tepida adfusione eluenda, eiusmodi lotiones repetendo quoad perfecte dulcorata sit.

Præparatio hæc accedit ad Antimonium diaphoreticum: neque dubium quin Nitrum, dum detrahit huic *Regulo* facultates purgativam & emericam, maxime intimas conservet.

Bezoarticum istud *Ioviale* optima est præparationum quas suppeditare potest Stannum; nam præterquam quod remedium est specificum, in cunctis affectibus Vterinis, Hidroticum præterea est, admodum febribus malignis conveniens, nec non Venereis affectibus si malignitas per sudores expellenda sit.

Datur Boli forma procul a pastibus, ex aliqua conserva aut condito, à quinque aut sex, ad duodecim, quindecim aut viginti grana.

Mitto quasdam alias Stanni præparationes, quarum apud Authores descriptiones prostant, satis enim multas me adtulisse credo, eas præfertim quæ quicquid utile ad usus medicos ab hoc metallo expectandos continent.

## CAPUT LV.

### *De Præparationibus Mercurij.*

**I**N metallorum censum non venit Argentum vivum, sed semi metallici nomine donatum fuit, etsi enim solidum non sit, neque malleabile, sicuti vera metalla, omnibus tamen facillime se adjungit, ac præ-



fertim Auro, cui etiamnum sæpe medium interjacet si cæteris metallis hoc conjungendum fit.

A colore argenteo, ac innata, eaque insigni, mobilitate, Argenti vivi nomen adeptum est, Græci itidem coloris respectu habito, & fluiditatis Argenti liquidi nomen indidere, Latini Hydrargyrum, hoc est Argentum Aqueum dicunt, vel Aquam Argenteam, non vero *Hydrargyros*; Mercurij nomen gerit ob analogiam cum Planeta eiusdem nominis: Fortasse & eo nomine donatum fuit ob convenientiam in crebra figuræ immutatione, quam Ethnici Mercurio, Deo illorum fictitio assignarunt: Eadem quoque de causa, & colorum varietate, quorum capax est, Protheus quoque dictus est: Sicuti fluiditatis gratia, & volatilitatis, fervi fugitivi apud quosdam nomen adeptus est.

Hydrargyrum ergo, Liquor est mineralis, aut metallicus, naturæ volatilis, in mineris terræ obvius, constans, sicuti opinio quorundam est, ex terra sulphurea alba, ac mercurio proprio albo interno, quem Philosophi pro altero Principiorum habent, occulto, non minus ac illius est sal & sulphur.

Argentum vivum occurrit in Mineris Germaniæ, Hispaniæ & Indiæ, ubi nonnunquam reperitur fluidum & sincerum in propria minera, vel quorundam metallorum; at sæpius terris quibusdam remixtum, aut lapidibus sulphureis, ac concorporarum in Cinnabarim naturam, à qua ignis beneficio eruitur.

Gravitate Hydrargyrum cum Auro fere contendit; at substantia adeo volatili gaudet, tamque facile pervia, imo in minimas particulas divisibili, ut neutiquam mirum esse debeat quod tanta facilitate materias excipiat obvias, potissimum autem salia, sulphura, & spiritus, imo plerunque obsequatur illorum actioni, sed nunquam non Ignis efficaciam.

Etiamsi vero nemo inficiari ausit Argento vivo suum inesse & proprium Alkali, non abnegatis aliis principiis, cum id Alkali partem tantum illius compositionis constituat, imo vero inseparabiliter cohæreat cæteris partibus, immerito istud semimetallum pro genuino Alkali haberetur, quandoquidem id ipsum actioni Alkali obnoxium est, imo non minus quam Acidorum & Sulphurum, Acida vero, etiam generosissima, in id quam lenissime agant, imo citra subsequenter aliquam effervescentiam, sicuti id observare est in illius dissolutione per spiritum Vitrioli; Facilitas autem observata in dissolutione per Aquam fortem & spiritum Nitri, ex eo tantum deducenda est quod hæc ex duplici spiritu consistit, uno quidem volatili, salino & sulphureo;



altero Acido, quorum prior censendus præcipuum illius dissolvens.

Non, inquam, Mercurius purum Alkali habendus, quandoquidem eadem donatus non est substantia, neque sapore, neque aliis qualitatibus, Alkalinis, quo fit ut cum illius poris alia figura præditi sint quam Alkalium, careat dispositione illis innata ut cum Acidis conjungantur, sicuti & facultate agendi & reagendi cum illis reciproca, cujusmodi in Alkalibus observantur; quorum substantia in aqua dissolubilis æqualiter obtinere potest, & poros figuræ partium Acidorum adcommodatos, & partium aptitudinem per quam conjungi queat partibus Acidorum.

Dico porro, si Argentum vivum merum esset Alkali, futurum ut id actioni ignis obfisteret, sicuti id observare est in Alkalibus fixis rediis, aut saltem non destructum iri Acidis conjunctum & ab his fixatum; non secus al Sal volatile viperinum, vel aliud quodvis Sal volatile, quando spiritui Salis intime conjunctum fuit, vel alteri cuiquam spiritui summe Acido; Cum viceversa cuncta experimenta, jam pridem circa hoc tentata, contrarium evincant, videlicet hæctenus non innotuisse quo medio fixari queat & coerceri Mercurius ab igne, neque solitarius neque Acidis commixtus, neque cuiquam alteri rei.

Id potius statuendum Mercurium mixtum esse idoneum excipiendæ actioni Salium, non minus eorum quæ donata sunt partibus sulphureis Saliis, aut Salinis fixis, quam eorum quorum partes mere sunt acidæ; Eadem porro Salia cum apta nata sint illum dissolvere, aut particulas dividere, ab ista actione privari illa figura & proprietatum partium dispositione, non ea solum ratione quod illorum aculei obtundantur in Mercurij dissolutione, sed quia posterioris huius partes dissolutæ priorum interstitia adimplent, eorumque actionem immutant, usque adeo ut omnem penetrandi vim illis adimant quando poros penitus repleverunt; Id quod observare licet in sublimato dulci, qui proculdubio egregie dulcescit, si Mercurius fluidus poros sublimati corrosivi adimpleverit.

Sed & tunc conspicuum esse potest discrimen naturæ Salium à Mercurij indole; Si enim sublimatus dulcis in aqua dilutus fuerit, à dissolutione Salium, illi inuritur horum innata acrimonia, in Mercurio delitescens, ac porro manifestum fit eadem salia priori naturæ & qualitatibus restitui posse si Aqua in vapores dissoluta fuerit, Mercurium autem pristinum iterum induere corpus, omnisque corrodingi vi expertem fieri, si media ei rei convenientia usurpata fuerint.

Supposititium autem Alkali nomen, quod Mercurij naturam nequam diversam faciat, variæ autem præparaciones, quibus patet, cum omnino



omnino aliquam mixti, quod elaborandum suscipitur, notitiam supponant; Objecti præsertim quod curiosorum animo sæpe fatigavit, mei officii esse existimo mentem meam pro viribus explicare, videlicet

Cum Argentum vivum actu frigidum se exhibeat, imo eo in gradu ut diutius illi immissam manum detinere non liceat, imo nequidem digitum, quin metus protinus immineat paralytici affectus, aut cujuscumque alterius verendi, quin ab omni ævo nervis inimicitiam indixisse, ac calori nativo, cum manifestum fuerit, usum illius quodammodo suspectum esse debere, aut saltem illum præparandum non esse, vel in usum adducendum, non præmissis cautionibus necessariis.

Quamvis enim jampridem Mercurius ad curationem Luis Venereæ adhiberi soleat, affectuumque accidentium, malignitatis tamen expertem esse, quæ illi innata, non pronuntiandum: Cujus rei infausti plurimi eventus testimonium perhibent, tum in iis quos penitus opprimit usus Argenti vivi, intempestive exhibiti vel adhibiti, aut majori quam decet quantitate, tum prævæ impressiones ut plurimum superstites in iis qui specie tenuis valetudinem recuperant, quando præsertim affectu inveterato occupati sunt, aut qui constitutione corporis sicca & squalli donati fuerunt.

Etiamsi enim Argentum vivum, id præsertim quod ore adsumitur, Alkali functionem exhibere videatur, eo quod Succæ acidæ, vel Salinæ, in ventriculo obviæ, illi coherere possunt ac dissolvere, non inde tamen colligendum Alkalinæ illud esse naturæ; si enim revera ejusmodi esset, venenum autem Venereum Acidum, sicuti nonnulli existimant, ab eodem Acido fixari deberet, cum ex opposito dissolutiones à succis factæ aliud nihil præstent quam ut incrementum præbeant ac manifestiorem faciant illius volatilitatem, vimque corrodingi inducant, tantum abest ut prædicti succi ab eo aperte dulcescant.

Volatilitatis autem causa cum ad cerebrum deferatur, ac partes circumpositas, etiamsi illius efficacia liquefeat pituita, proprietate innata omnino singulari, eidemque pituitæ ansam præbeat per os exitum molendi, dicti tamen effectus alteri causæ adscribendi non sunt quam erosioni vasorum Salivalium, ac partium adjacentium; Unde non raro consequitur erosio & consumptio propriæ substantiæ partium quibus ejusmodi ulcera molesta sunt, supersintque in illis vestigia nequaquam delenda.

Optandum tamen ut virus Venereum merum esset Acidum, id enim si foret illius curatio statuenda esset in usu Salium Alkalium, fixorum aut volatilium, uti oculorum Cancrorum, Margaritarum, Coralliorum, plurimarumque aliarum ejusmodi substantiarum, Acida obtundere &



temperare aptarum natarum, imo maxime efficacia & manifesta, nulla partibus inulta prava impressione; ac proinde carere liceret Mercurio, cujus omnino verendi pravi effectus: At cum per prædicta remedia non semper datum sit superare venenum Venereum, si præsertim inverustatem abierit, nemo, opinor, existimaverit id merum Acidum esse, uti neque simpliciter mere Salini, fixi aut volatilis titulo donandum, quin potius venenorum classi accensendum, cujus causa vix alia ratione innotescere potest quam ex perniciosis quos inducit effectibus, curatis se commiscendo humoribus ac per universum corporis ambitum defundenda.

Quinimo censeo ob insignes & varios progressus, funestosque eventus ab hoc veneno excitatos, imo illos qui nonnunquam Mercurij usum subsequuntur, Medicorù officium esse ad illos sedulo animum advertere; cum enim observare sit effectus istius veneni omnino alios esse in biliosis, alios in pituitosis, alios in melancholicis, sicuti & in diversis constitutionibus aut corporis temperamentis, electionem adhibendam esse, & temporis, & modi Mercurium in usum adducendi si quando requisitus fuerit; ut vel abstineant, vel ad alia remedia confugiant si noxius futurus videatur illius usus.

At eosdem, qui discrimen non constituunt inter vera Alkalia & falsa, & mira se pronuntiasse credant Virus venereum Acidi titulo donantes, Rogo explicant mihi, Num venenum illud substantia sit oculis obvia; palpabilis, aut invisibilis? Si sit invisibilis, id quod concedant necesse est, quomodo ex sapore dignoscere licuerit; ac in illo Acorem deprehendere? Quæro inquam, num Acida, Saliaque naturalia, ad illius conspectum diffugiant, locumque cedant? Num potius consentaneum sit idem Acidum, eademque Salia, cum ab hujus veneni præsentia pravas impressiones admiserint, atque quoad vires & actionem exaltata fuerint, edere non valere id quod in veneni invisibilis potestate non est? Ut porro Mercurio occurrentia, illum complectantur, corrodant, ac dissolvant? Dissolutum autem sub jugum mittant, carcere fugitivum hunc servum concludant, acilli conjuncta massam sanguineam invadant, aliosque humores, & ut una illius circulatione ferantur, horumque perpetuum motum sequantur, impellant, ex simul rapido motu non ad cerebrum modo, sed ad cunctas corporis partes deferatur? Num postulet inquam, ratio, ut postquam ab illis erosus & dissolutus fuerit Mercurius, eundem etiam in corpore una secum subliment, majori multo celeritate quam sublimari possit Mercurius ac dissolvi à partibus acidis & salinis Vitrioli & Salis marini; quandoquidem hujusmodi sublimatio plurium horarum spatium requirit, cum altera momento fere temporis perficiatur.



Quæro iterum, num innata Mercurij volatilitas idoneum ipsum præstet tam repentinae sublimationi quando solitarius est? Numquid necesse sit aliquo tempore ad ignem illum detinere, antequam evehi incipiat & ascendere? Num Acidis substantiis commixtus, aut Salinis, sui iuris sit, vel num potius illorum determinationi obsequi teneatur? Num cum Acidis agere & reagere queat, sicuti id præstant vera Alkalia? Num, quod his concessum, adversus præcipationem imminentem tueri se possit? quandoquidem, illis confitentibus, *Mercurio nonnunquam obvia sunt materia Alkalina, quæ ut Acida hæc deserat impellunt, quo tempore præcipitetur*; Num nova hæc Alkalia, Mercurio in corpore obvia, falsa sint necne? Quamobrem, rursus, si Alkalinae fuerit naturæ, subjaceat dominio aliorum Alkalium? Quomodo id fieri contingat? Annon conjunctione vel unitate, & actione ac reactione Acidorum cum legitimis Alkalibus.

Quæro iterum, quamobrem Spiritus Sulphuris & Vitrioli, qui Acida sunt generosissima, cum impetu omnia vera Alkalia pervadentia, Mercurio adfusa, nullum fervorem inducant, illumque pervadant ac dissolvant tam lento pede, ac demum ab aliquot dierum decursu? Num Mercurius crudus corrodingi vim possideat, sicuti legitima omnia Alkalia & Acida? Num spiritibus corrodingentibus remixtus, illorum actioni non obsequatur, intendatve illorum corrodingi vim? Num divelli queat à corrodingentibus quorum ope dissolutus fuit, pristinae formæ restitui, ac priores facultates induere, & præcipuam illorum corrodingionem in aquam, à qua dissoluta fuere, transferre?

Rogo iterum, reddant mihi rationem cur commode in usum veniant Mercurius præcipitatus ruber, Unguentum Ægyptiacum, imo & Sublimatum corrosivum, ad Curationem Cancrorum & Ulcerum Venereorum? Quandoquidem prior opus tantum suum edit beneficio Spirituum corrodingentium maxime acidorum Aquæ fortis, cum Mercurio concentratorum: Posterius ob corrodingi vim Aceto insitam & Ærugini, Tertium autem ope Spirituum Acidorum & Salinorum Vitrioli & Salis una cum Mercurio Sublimatorum?

Uterius quam decet proveherer, si porro quærerem, cur ad internum usum cum successu usurpantur Mercurius & Decocta Guaiaci & Sassafras, quæ plurimis partibus Acidis constant: Cur exterius adhibentur spiritus albi & rubri, e Sublimato rubro educti, Oleum glaciale Antimonij, & spiritus Sulphuris in Ulceribus Venereis & in Carie ossium? Cur item iidem non metuunt exaltationem, hac ratione imminentem, Acidi Venerei, tantopere decantati?



Sat multa adduxisse credo fallaciam excussurus Acidi, adeo perperam effecti, inepte veneno Venereo impacti, ex productionibus solum in notitiam venientis, quod non magis oculis obvium est quam pestiferum: Neque, ut existimo non mihi assensuros habiturus sum qui una mecum sentiant, cum istud venenum propria indole propensionem insignem habeat ad incrementum, propagationem & sui communicationem, eum qui hoc occupatus fuerit, si ad amplexus Venereos venerit, metuere sibi debere ne hoc, concurrente nativo concumbentium calore, facile se insinuet tam per meatus naturales, quam per poros tunc temporis admodum patentis & diductos in corpus illius qui prius proba fruebatur valetudine; Sin ambo fuerint infecti, Venenum percoitum augmentum capiat.

Id quoque censeo nonneminem assensum mihi præbiturum, Venenum istud corpus subiens, hostili vi & destructiva præditum, illico sanguinem invadere, aliosque humores fluidos & motus susceptivos, illos corrumpere ac depravare; ac prout rite aut prave constituti fuerint, pro copia aut inopia Acidi, aut Salis, aut Bilis, aut Pituitæ, magis aut minus, vel celerius aut tardius tyrannidem exercere; Incrementum autem capiendo, deterioribusve redditis qualitatibus Acidi & Salis, humoribus commistorum, idoneos illos reddere exerendæ & producendæ suæ virulentæ in propriam corporis substantiam, gignendisve variis affectibus, qui comites esse solent, vel præcursores Luis Venereæ; Proclive inquam fuerit imaginari exaltata acrimonia Salis & Acidi naturalium, ab humoribus autem dilutorum, hæc Mercurio cohærere posse, à quibus erodatur, dissolvatur, ac tandem illi se concorporando eundem ipsum impellere ad obsequendum una cum illis sanguinis motui, omniumque humorum, partes universi corporis quascunque peragrandas, ac conjunctim perficiendum quicquid ex illorum unitate expectandum est.

Conjicio deinceps futurum ut ex his elucescat illorum temeritas, qui venenum Venereum, alias invisibile, inducere voluerunt Acidum & Salia fictitia, ac idoneum statuunt iis perficiendis quæ sola legitima Salia & Acida naturalia præstare valent, id quod ne ipsi in dubium revocare auderent.

Necnon spero, postquam ad examen deducta fuerunt mea argumenta, eos qui Mercurium in usum adducturi sunt, ab abusu abituros esse, ac perspectis pravis effectibus ab ipso metuendis, quando intime salibus & Acidis se adjunxerit, illisque concorporatum fuerit, nonnisi tempestive illum usurpaturos, ejusmodique auxilij genere tantum usus cum æger non ineptum corporis statum ad illum excipiendum



exhibuerit, ac emolumentum non leve sperandum est; paucis, cum maius beneficium quam maleficium expectandum.

Etiamsi vero usus Mercurij non semper quibusvis conducatur, cum tamen in nonnullorum insigni commodum venire queat, non solum ad Luis Venereæ curationem, sed plurimorum etiam aliorum affectuum, officij mei esse credo præcipuas præparaciones à Chimico artificio expectandas huc adferre, ab illius expurgatione ducto initio.

## CAPVT LXVI.

*De Expurgatione Argenti vivi,  
Et illius in Cinnabariu transmutatione.*

**V** Sitatum est Argentum vivum eluere Aceto in quo dissolutum est Sals commune, vel generoso quopiam lixivio, ex calce viva comparato, ac aliquo sale lixiviali, immittendo Hydrargyrum lagenæ vitreæ densæ, ac agitando cum alterutro dictorum Liquorum, absorbendæ gratia, aut separandæ partis sordium; demum decantatis his liquoribus, probe exsiccatum Hydrargyrum ope lintei detriti mundi, transmittitur per alutam caprinam, cui crassissimæ Mercurij sordes adhærent.

Etiamsi vero commodissime media ista in usum adducantur, potest & idem Retorta excipi, qua imposita Balneo Arenæ, elicendus Mercurius purus, illum igne per gradus adhibito urgendo, superstitibus in Retorta partibus impuris.

Meliorẽ res sortietur eventum Mercurium Sali Tartari commiscendo, ac calci vivæ pulverisatæ, itidem ex Retorta distillando; Argenti enim vivi sordes calci & sali Tartari adhæsuræ sunt.

Quibus occasio oblata fuerit Amalgama quodpiam Auri parandi, aut Argenti, ii poterunt immittendo Amalgama Retortæ Balneo Arenæ, idque igne gradatim adhibito urgendo, inde educere Mercurium, ab omnibus sordibus expurgatum, alias in Retorta restantibus.

Argentum autem vivum ex Cinabrio resuscitatum; cum omnium exquisitissimum sit, etiamsi ubique obvium Cinabrium vulgare, præparationem tamen illius silentio involvere nolo, uti neque illius in Mercurium fluidum excitationem.

Excipiatur ergo Sulphuris pulverisati semilibra pelvi fictili, latiuscula, intus vitreata, quæ igni obsistere possit; hac imposita aliquot



carbonibus acœnis, inclusa autem aluta caprina Mercurii vivi sesquialbra, arcte stricto nodulo conclusa, cum sulphur rite liquefactum fuerit, compressione noduli manibus facta stillatim exiliat in sulphur Mercurius, adeo ut alutæ poros transmeet, materias interim spatula lignea commovendo, pergendo in expressione, ac commotione, donec Mercurius totus alutam transgressus sit, ac adeo intime sulphuri conjunctus sit, ut illo nequaquam conspicuo ambo simul in massam nigricantem abeant, qua sponte refrigerata, optime contrita, ac immissa Ollæ fictili sublimationibus dicatæ, committendum erit orificio hujus vasis alterius orificium æqualis magnitudinis & inversi, quod in medio fundo exiguo foramine perforatum sit; commissurisque accurate luto munitis, obiterque obturato foramine immissa charta, suscipienda erit sublimatio igne gradatim accenso, initio quidem mitiori, sed tandem adaucto, ac per aliquot horarum spatium producto, omnimode tunc obturando foramen: Quo pacto cum Mercurius incorporatus sit portioni sulphuris, ad id requisitæ, sublime efferetur ad summam Ollæ superioris partem, relictis quibusdam in fundo alterius facibus.

Postmodum frigefactis vasis, obuius erit Mercurius in Cinnabarin sublimatus, coloris rubri intensissimi, intersectam longioribus venis fucis & pellucidis, ad figuram Antimonialium accedentibus, at vero color iste multo rubicandior adparebit, ac magis pellucidus ubi contritus fuerit; Eapropter etiam pictoribus ad opera sua familiarissimo in usu est.

Cinnabaris usus internus infuetus est, at ad suffumigia quandoque adhibetur, provocandi gratia Ptyalismis lue Veneris inquinatis, sed robustiori corporis constitutione præditis: Remiscetur etiam nonnunquam Unguentis ad Scabiei curationem, aliorumque affectuum cutaneorum.

Cinabrium hoc artificialis nomine gaudet, distinctionis gratia à nativo, quod diversis in Germaniæ locis reperitur, imo & Gallia, Naturæ beneficio in terræ visceribus sublimato, vi ignis subterranei; qui Mercurij particulas, sulphuris particulis, iisdem in locis obuiis conjungens, formam Cinnabaris illis inducit, quæ nihilominus sordibus scatere solet, terreis præcipue, commixtis aliquot lapillis, composito huic naturaliter insertis.

Dissoluetur unitas, quam sulphur cum Mercurio iniit, atque hæc corpori pristino, solitæque fluiditati restituetur, hac ratione procedendo.

Subtilissime conteratur Cinnabaris in mortatio marmoreo, addatur alterum tantum pondus limaturæ ferri, excipiatur Mistura hæc exigua Retorta vitrea, cui lutum inductum fuerit; huic pedamentum, altitudinis circiter duorum transversorum digitorum supponatur, collocetur



etur media in Fornace proportionata, ex lateribus citra cementum constructa, qui concinnare possunt circulum Retorta aliquantum elatiorem: Exigui carbones non accensi toto in pedamenti ambitu adponantur, ac super hos, tribus aut quatuor in locis, aliquot carbones accensi, aquibus cæteri incandescere possint; demum tota Fornacis capacitate carbonibus ordinariis impleta, imo iis omnino cooperta Retorta, admotóque eius rostro exiguo Receptaculo, aquam ad medias continente, permittendum erit ut carbones sponte accendantur, ignisque sui sit juris.

Eo pacto Acidum sulphuris, Marti adhærens, cuius poris & figuræ illius partium melius convenit quam Mercurij poris, posteriorem autem hunc deserens, ignis ad exitum è Retorta illum impellit, & ut pristinum corpus readsumat, in aquam decidens: Quo fit ut partes quæcunque extraneæ, quas Cinabrium continebat, in Retorta cum limatura Ferri subsistente, ac decantatione facta aquæ in Excipulo contentæ, in fundo obviùm sit Hydrargyrum purissimum, ad quosvis usus & præparaciones convenientissimum.

## CAPVT LXVII.

*De Præcipitatis Rubris Mercurij.*

**I**Næpte Præcipitati nomen impositum fuit quibusdam Mercurij calcibus, quæ plurimo sunt in usu; Præcipitati enim vox proprie tantum competit substantiis in liquore quopiam corrosivo dissolutis, dissolvens dimittere coactis, demum in fundum vasis præcipitandis; At cum mos supra rationem invaluerit, ea propter duces illos sequar necesse est qui mihi præiere, ideóque succincte optimas Mercurij præparaciones traditurus sum.

Schroderus, nonnullique Authores illum sequuti, exhibent præparationem cuiusdam Præcipitati rubri, ex solo Mercurio facti, qui cum præstantior sit, si ore adsumendus sit, iis qui vulgo concinnantur, Mercurium in spiritibus corrodendi vi præditis dissolvendo, ideoque qui primus in medium exeat dignus est.

Accipiatur vas vitreum densum, oblongo collo præditum, infundibuli propemodum forma, cuius acuminata pars introitum habeat angustissimum, quæ vasis corpus altissime subeat, Illius fundum latissimum esse debet & admodum planæ superficiæ Huic vasi (*Galli vocant Petii Enfer*) immittantur uncia quatuor Mercurij ex Cinnabrio resuscitati; committatur Fornaci Lampadis, Balneo Arenæ, observato æquilibrio, adeo ut Mercurius æqualiter fundum vasis cooperiat: Dein



Lampade Oleo impleta, impositisque tribus ellychniis gossipinis accensis, mediocris crassitie, subditaque Balneo lampade, procurandum erit ut prædicta ellychnia indefinenter flammam depromant, ac ne Oleum deficiat in lampade per quindecim dies, quibus exactis crassiori reddito ellychnio tertia parte, pergendum erit in flammæ productione, ad reliquum usque mensem: Demum iterum media parte auctiori reddito unoquoque ellychnio, curandum erit ut toto mensis alterius spatio flamma perennis sit, vel donec universum Argentum vivum conversum fuerit in Pulverem album & nitentem.

Satis est toto illo temporis spatio summam vasis partem cooperuisse obturamento chartaceo, ac curam adhibuisse ne Oleum in lucerna deficiat, cunctaque ut ellychnia æqualem flammam & citra intermissionem edant, flamma autem ad æqualem distantiam mediū infernæ vasis pertingat: nam ea ratione partes Argenti vivi, post diuturnam agitationem, & mutuam partium implicationem, à continua ignis actione nativa tandem fluiditate destituuntur, adeoque invicem intricantur ut in Pulverem rubicundum & nitentem abeant.

Ad istiusmodi Operationem cura & patientia opus est, tædium tamen nullum exhibet, si modo vas & Fornax idonea suppetant; idemque vas, quo exceptum Hydrargyrum iustum æquilibrium obtineat.

Elui potest iste Pulvis Aquis cordialibus, aut illi affundi Spiritus vini, facta simul illorum digestionem per aliquod tempus, & abstractione præmissa ad usus Pulvis servandus.

Pulvis iste Diaphoretica vi præditus est, sudores ubertim promovens, at non raro vomitus aliquos ejet: Vix præstantior Mercurii præparatio ad cunctos affectus Luis Venereæ soboles extirpandos, uti & Febres quasvis Intermittentes: Specifica quoque vi adversatur Lumbricis.

Præbendus est à duobus aut tribus ad septem aut octo grana, ex conserva quapiam aut condito.

Antequam manus isti Præparato admoveatur, potest addi Mercurio suboctupla pars ponderis Auri per Antimonium expurgati, factoque ex his Amalgamate, hocque vasi imposito, quoad cætera eadem plane incedere via quam indicavi ad Mercurii solius præparationem; quod additamentum proculdubio Medicamentum præstantius effecturum est.

Mercurio necnon posset addi subquadrupla pars ponderis Argenti in catino expurgatorio depurati, atque ex his Amalgama facere; Vel simul Amalgamare Auri uncias duas, Argenti unciam & Mercurij uncias quatuor, hæcque simul fixa reddere juxta methodum à me modo traditam.



Præparatur Præcipitatum Mercurij, quod vocant Corallinum, aut Arcanum Corallinum, eo quod Coralli colorem æmuletur, hac processus via.

Immittantur Matratio Mercurij ex Cinabrio resuscitati uncia quatuor, superfundatur alterum tantum pondus spiritus Nitri optimi, committatur Matratiuum Balneo Arenæ moderate calido: Cum Mercurius probe fuerit dissolutus, leniter inclinato matratiij collo, augendus erit ignis infra Balneum, ad evaporationem spiritus Nitri & siccitatem materiæ: Postmodum adfusa æquali quantitate spiritus Nitri, materia probe dissoluta, declive erit collocandum collum Matratiij, humiditatis evaporationem sicuti primavice procurando; bis iterum easdem additiones & spiritus Nitri evaporationem repetendo, urgendo ignem post postremam evaporationem, donec Præcipitatum perfectum ruborem adeptum sit: Demum effracto Matratiio, in pulverem deductum Præcipitatum in mortario marmoreo humefaciendum optimo vini spiritu, donec tantisper materiæ emineat, flammam illi conciliando; repetendo etiam sexies eandem spiritus vini supra præcipitatum additionem & consumptionem, quæ materia iterum contrita ad usus servanda.

Eximium habetur istud Arcanum Corallinum ad curationem cunctoꝝrum affectuum Venereorum, Hydropis, Rheumatismi, ac Februm Intermitentium; Quamvis cacochymiam exturbat, ac præsertim pituitosam, quam colliquat, ac per vias maximè commodas excludit.

Exhiberi solet ex aliqua conserva aut condito, à tribus aut quatuor, ad octo aut decem grana.

Exterius etiam in usum venit ad curationem antiquorum Ulcerum ac potissimum Venereorum, sicuti & ad delendam quamvis Scabiem, Pomatis id remiscendo.

Præcipitatum Rubrum vulgare quod attinet, ex voto præparatum erit, si hac via processeris.

Cucurbitæ Vitreæ immittatur q. v. Mercurij Currentis, super affusaque ea quantitate Aquæ Fortis, aut spiritus Nitri, quæ sufficiat ad illius dissolutionem, exponenda erit Retorta Balneo Arenæ moderate calido; dissolutione peracta, demersa & inclinata Retorta in Arenam, admoventum erit Excipulum illius rostro, augendus paulatim ignis, qui continendus donec propemodum universa Aqua Fortis educta sit: Demum sponte refrigerato Balneo, cohobanda erit Aqua fortis super Mercurium in Retorta superstitem, abstractioque sicuti prima vice facienda, eadem cohobatione & abstractione Aquæ Fortis ad tres usque vices repetita, Tandem ignem plus solito urgendo, ut hinc intensior evadat color præcipitati, quod rubrum elegantiorē nanciscetur, eo quod plurimi sub



finem in crucibulo calcinant: In quo etiam nunquam reperire datum est pondus Mercurij adsumpti; adde quod vix cavere sibi licet à vaporibus noxiis quos emittit Aqua fortis, interim dum commovetur Præcipitatum, Eo etiam pacto jactura non accidit Aquæ Fortis, quæ iterum in usum admitti potest ad novas Mercurij dissolutiones.

Operatione absoluta, arena autem refrigerata, obvium erit in fundo Retortæ Præcipitatum, in massam rubram & pellucidam adductum, in pulverem si vis conterendum, eoque in statu recondendum in lagenâ vitrea densâ; Vel affusum bis aut ter optimum vini spiritum accendere licet, si præsertim usibus internis dicatum velis, etsi porrigere nefas sit aliis quam robustis, præscripta ad summum dozi septem aut octo granorum: Præcipuus enim illius & frequentissimus usus externus esse debet, tum remiscendo unguentis Pomaceis & aliis remediis vitiorum cutaneorum curationi dicatis; tum unguentis carnes fungosas absumere idoneis, aliasque Ulcerum malignorum excrescentias, præsertim Venereorum: Eapropter Chirurgis usitatissimum est remedium, quod admovent Cancris & Verrucis genitalia invadentibus.

Si ore adsumendum fuerit istud Præcipitatum, admitti non debet Aqua Fortis ad præcipationem Mercurij, eo quod spiritus Nitri & Vitrioli una conjuncti in distillatione, malignam induunt qualitatem, sed debuit usurpati spiritus Nitri, aut saltem Aqua Fortis ex Nitro tantum & Alumine paranda fuit.

## C A P U T L X V I I I .

*De Præcipitatis Mercurialibus, Flavæ, Et Rosæ Coloris.*

**I**mmittantur exiguæ Retortæ vitreæ tres quatuorve uncia, vel quantum libuerit; Mercurij rite expurgati, affundatur quadruplum pondus spiritus Vitrioli, aut Sulphuris rectificatissimi, imponatur Retorta Balneo arenæ, collo illius sursum vergente, igne modico accenso, inibi detinenda donec à spiritu penitus dissolutus fuerit Mercurius; demum inclinato collo Retortæ ad latus, Arena undique immergenda, & admotò ejus rostro Excipulo, abstrahatur humiditas igne gradatim adhibito, sub finem auctiori, producto quousque Mercurius massæ candicantis specie ad fundum secedat.

Illud observandum erit, priorem Aquam distillatione eductam, saporis fere expertem fore, spiritus autem acidus sub finem demum prodituros, Mercurio quippe magnam partem spirituum, à quibus fuit dissolutus, penes se retinente.



Vasis frige factis, contritaque massa in mortario marmoreo, affundenda erit non exigua aquæ calentis copia, donec fere adimpleatur mortarium, eodemque momento conspicua erit mutatio coloris albi in flavum, subsidentia demum facta Pulveris, decantata aqua supernatante, substituenda erit æqualis quantitas aquæ tepentis, pergendo in pulveris lotionem, affusis plurimis similibus aquis, donec omnino acorem dissolventis exuerit, ac perfectum dulcorem adeptus sit; qui exsiccatum ad usum servandus.

Huic Pulveri Præcipitati flavi nomen impositum ob colorem, Vocant etiam *Turbith Minerale*, quia à minerali ducit originem, & conturbatione universali corporis, violenter pravos humores susque deque vacuando: Eapropter perquam raro in usum ducitur, præsertim in Gallia; id exhibendo solum robustissimis ad curationem affectuum Venereorum, à tribus aut quatuor, ad quinque aut sex ad summum grana, ex quapiam conferta aut materia idonea: Impetus tamen & vehementia retundi potest affundendo illi quinquies aut sexies spiritum Vini rectificatissimum, ad desuper accendendo.

Præparare licet Præcipitatum Mercuriale coloris Rosei, hanc methodum ineundo.

Excipiantur Mercurij purificatissimi uncia quatuor, Cucurbita vitrea non mediocri, hac commissa Balneo Arenæ moderate calido, superfundendum duplum pondus spiritus Nitri; Cum Mercurius dissolutus fuerit, remota à Balneo cucurbita, affundenda erit urina calens hominis probe valentis dissolutioni, donec nulla amplius adpareat effervescentia: qua de causa Mercurius dissolutus fundum petiturus est coloris Rosei, ab intima conjunctione spiritus Nitri cum sale urinæ, ac impressione Mercurio ab his inducta: Postea subsidentia facta Præcipitati, decantatoque liquore fluitante, id pluries lavandum erit affusa aqua limpida, donec eunctam dissolventis ac præcipitantis acrimoniam abstulerit, Præcipitatum autem penitus dulcoratum sit.

Conjunctio urinæ & spiritus Nitri Præcipitati, istius effectus multo mitiores efficit quam Turbith mineralis, cujus efficacia potissimum deducenda à postremis spiritibus Vitrioli, dissolutionem præstantibus, unaque cum eo concentratis: Eapropter etiam Præcipitatus hic Mercurius Roseus per inferiora tantum expurgat, ac præscribi potest à quinque aut sex ad novem usque aut decem grana.

Quoad Coloris diversitatem, in Præcipitatis adparentis, eam tantummodo adscriptam velim diversitati actionis salium acidorum, aut salinorum variæ illorum confusione, aut cum Mercurio commitioni; imo, si lubet variæ ignis actioni, aut liquorum: Experientia quippe teste, plurimi observantur effectus quorum causæ legitimæ vix ac ne vix in cognitionem veniant.



Prætermitto descriptionem Mercurium Præcipitatum Coloris Fusci, perficiendum Argentum vivum Aqua forti dissolvendo, aut spiritu Nitri, præcipitatione facta affuso liquore Tartari.

Silentio etiam involoo præcipitata Viridia, paranda admistione Cupri Mercurio, in hujus dissolutione; Plurimaque alia Præcipitata apud plurimos auctores obvia, duo solum Præcipitata Alba exhibiturus, quorum ecce descriptionem.

## C A P U T L X I X .

### *De Præcipitatis Mercurij Albis.*

**I**Mmittantur Cucurbitæ Vitreæ mediocris magnitudinis Mercurij ex Cinnabari resurgentis uncia octo; affundantur illi Aquæ Fortis ex Nitro & Alumine absque Vitriolo compositæ uncia duodecim: Concedatur huic Aquæ tempus dissolvendi Mercurium procul ab igne; seorsim dissolvendo Salis Marini uncias octo, in quadruplo pondere Aquæ fluviatilis, dissolutione per chartam emporeticam transmissa, paratam etiam habendo non exiguam quantitatem Aquæ fluviatilis per linteum tenue transcolatæ: Demum aqua falsa in capacem pelvim fictilem infusa; & duabus circiter libris aquæ fluviatilis in Mercurij dissolutionem, (in qua maxima Mercurij pars in substantiam condidissimam coagulanda erit, quæ ad fundum secedere incipiet) Tunc, si libuerit, permitti poterit per aliquod tempus subsidentia hujus præcipitati, decantando liquorem supernatantem in aliam pelvim fictilem, in ea adservandum, si præsertim curæ sit Mercurij conservatio, insensibiliter divisi, hoc liquore comprehensi: Sin hunc neglexeris, fatiorem ducens Præcipitati candorem, copiam ejus extrahendæ, affusa Mercurij dissolutione aquæ falsæ, complenda omnino erit eodem tempore pelvis, affusa aqua fluviatili per linteum traducta: Demum subsidente Præcipitato, decantatoque liquore fluitante, adimplenda erit præcipitatum continens pelvis aqua filtrata, quod iteratis vicibus eluendum, affusa aqua filtrata, donec omnino edulcoratum sit: Postea Præcipitatum exsiccandum & ad usus servandum.

Non abs re dixi in pelvi fictili conservandum priorem liquorem Præcipitato supernatantem, eo quod liceat, illi affuso liquore Tartari, segregare partem Mercurij quam Sal Marinum præcipitare non valuit: Neque enim sicuti nonnulli fingunt, partium insignis magnitudo, neque figura cubica Salis Marini, neque cadentis pondus in dissolutionem à Nitro



Nitro factam, concutere valent, commovere, aut aculeos spiritus Nitri obtundere, postquam ab ipso dissolutus fuit Mercurius; Neque eadem ut dimittat Mercurium dissolutum hunc impellunt: Causa potius adscribenda est intimæ conjunctioni, tunc contingenti, partis acidæ spiritus Nitri cum salina fixa parte Salis Marini; ac præterea parti acidæ postremi istius, cum parte salina & volatili, & inflammabili spiritus Nitri; Imo etiam adsignari potest figuræ & dispositioni particularum salium, in aqua dissolutorum, ad mutuam & reciprocam conjunctionem, & hinc ad subsequentem substantiarum extranearum expulsionem, quæ simul intricatæ & confusæ, unitatem quodammodo dissolvere valent; hinc cum figurarum diversitatem obtineant, adeo mutuo implicantur & intricantur, ut inde exsurgat compositum, cujus partes omnino aliter figuratæ existunt; sicuti id ipsum observare est in Aqua Regia, à commistione Salium Ammoniæ, Marini aut Gemmei cum spiritu Nitri: Demum, si major magnitudo aculeorum Salis Marini, illorum concursus, aut concussio præcipitationis substantiarum, à Nitri spiritu dissolutarum causæ forent, sicuti supponunt, postmodum prius, aculeis suis majoribus præditum occurrere deberet, seorsum ab aculeis spiritus Nitri, cum vice versa, evaporatione facta & crystallisatione liquoris, illorum aculei mutuo implicati & confusi reperiantur, novum corpus simul constituendo.

Etiamsi enim particule omnium Salium exsiccatiorum diversimode figuratæ adpareant, eadem nihilominus in aqua si dissolutæ fuerint, minores aut majores adparent pro majori aut minori liquoris copia, manifestum enim facit experientia Nitrum Crystallisatum, majori aquæ quantitati immisum, Crystalla multo tenuiora editurum eo quod in majori aquæ copia fuerit dilutum.

Porro Aqua, in qua salia dissolvi solent, cum maximam illorum partium divisionem inducat, ac aculeorum magnitudinem & crassitiam imminuat, eosdem aptiores reddit quo facilius mutuo se subire valeant, id quod nequaquam præstare valuissent quamdiu salia sicca erant, ac in magna Crystalla deducta.

Id quoque notum Aquam præfertim impertire salibus libertatem motus & actionis; ideoque cum idonea illa reddat penetrationi plurimorum aliorum corporum, eo majorem ipsis aptitudinem conciliare valere ad mutuam penetrationem, ac reciprocam intimamque conjunctionem.

Etiamsi vero conjunctio partium Salis Marini cum partibus spiritus Nitri, ex postremi istius poris maximam partem Mercurij dissoluti educere & extorquere potuerit, cum nihilominus Sal Marinum in sufficienti copia non sit, neque sal fixum sufficienti quantitate obtineat ad adim-



plendos cunctos poros partis Acidæ spiritus Nitri, ideo fit, si affusus fuerit liquor Tartari liquori adservato, & ob Sal Tartari, quod occupaverat poros Acidi, ut Mercurius adhuc delitescens, loco cedere cogatur, ac ad fundum præcipitari: Id quod nequaquam fieri posset si magnitudo & crassities aculeorum Salis Marini, gravitas, aut illorum concursus cum aculeis spiritus Nitri, genuina essent causa præcipitationis Mercurij: Cum præterea contingat, eo quod Sal Tartari occurrere non potuit quibusdam particulis acidis, à quibus reliquæ nonnullæ Mercurij dissoluti cohibebantur, superaffuso sale urinæ dissoluto, has postremas particulas acidas, illis conjungi, ac reliquas Mercurij dimittere, unde nova præcipitatio expectanda, etsi prioribus longe minor, ratione tantilli Mercurij superstitis.

Licet Mercurium Præcipitatum album exsiccatum Matratio immittendo, Balneo Arenæ, sublimare igne gradatim adhibito, eodem modo procedendo ac pro præparatione Sublimatorum usitatorum; ex eoque comparare Sublimatum admodum dulce, felici successu exhibendum ad curam affectuum Venereorum, in Bolo, à decem aut duodecim, ad viginti aut triginta usque grana, remixtum alicui conservæ, aut medicamento cuiuspiam purganti.

Adsumere necnon licet ore Præcipitatum album, nequaquam sublimatum, at vero robustissimis solum convenit, ac tantum trium aut quatuor, vel septem octove granorum pondere; quia quantumvis lotiones adhibeantur, nonnullæ salis particulæ intra illius poros adhuc delitescunt, à quibus susque deque purgans efficitur.

At vero Præcipitatum ejuscemodi ad usus externos frequentius usurpatur, præsertim ad scabiei, herpetis, aliorumve vitiorum cutem inficientium curationem, id commiscendo idoneis Linimentis, ac partibus affectis admovendo.

Remiscetur etiam unguentis Pomaceis pro vultu; etiamsi vero candorem illi revera conciliet, cum Mercurius nervis insensus sit, atque calido nativo, frequens illius usus tandem noxius fieri potest.

Porro, cum Aqua Fortis vitiosas imprimat qualitates Mercurio, dissolutione hujus facta, ac coloris mutatio inde immineat; id quod etiam fit conspicuum ab affusione liquoris Tartari; Præcipitatum album fieri potest nulla adhibita Aqua Forti, juxta methodum à Schrodero traditam inter plurima alia Præcipitata Mercurialia.

Subtiliter conterantur salis Ammoniaci unciæ octo, excipiatur Cucurbita vitrea, exposita Balneo Arenæ moderate calido, superaffundatur tertium aut quartum tantum pondus Aquæ fluviatilis; sale soluto filtranda dissolutio per chartam emporeticam, qua iterum immissa Cucurbitæ rite mundatæ.



mundatæ, dissolvantur sine igne in liquore filtrato sublimati corrosivi unciæ octo : Postea dissolutioni guttatim instillentur liquoris Tartari unciæ quatuor, qui se adjungens parti salium acidæ, cum asservato in sublimatione sursum evecto, in dissolutione illum adhuc detinens, ut apprehensum dimittat efficit, paulatim specie substantiæ candidæ ad fundum præcipitandum: Eodem tamen tempore Præcipitationi affundenda non exigua quantitas aquæ limpidæ, per linteum transcolatæ, tum ad infractionem dissolventium, tum ad salium dilutionem : Postmodum Præcipitati facta subsidentia, infusoque in alterum vas liquore supernatante, id plurima aqua lim-pida lavandum sæpius, donec perfecte dulcoratum fuerit : demum in umbra exsiccatum intra binas chartas conclusum, ad usum servandum.

Præcipitatum hoc per superiora æque ac inferiora purgat non secus ac præcedens : At cum prioris dozis sit pondus tantum septem aut octo granorum, hoc ad duodecim usque exhibere licet, cum enim salium acidorum sublimati impressio infracta fuerit ab actione Salium Ammoniaci & Tartari, tam alte non pervadit quam Aqua Fortis in præcedenti, in quo Aqua hæc à solo Sale Marino temperationem accipit.

Eapropter observandum affusionem liquoris Tartari in Mercurium sublimatum dissolutum in liquore Salis Ammoniaci, non parem edere effectum ac in dissolutione Mercurij facta per Aquam Fortem ; quandoquidem cum Præcipitatum Sublimati eximium candorem obtineat, Præcipitatum Mercuriale, per Aquam fortem dissolutum, rubrum fere colorem acquirit, ob commixtionem Liquoris Tartari : Id quod meo iudicio adscribendum parti sulphureæ spiritus Nitri, cujus color ruber, ante occultus, manifestus fit in distillatione Aquæ Fortis, Illiusque intimæ conjunctioni cum Arcano fermento salis Tartari : quandoquidem color iste ruber non accidit Præcipitato ab Aqua Forti dissoluto, quando tantummodo liquor Salis Marini admiscetur : Vti neque dissolutioni sublimati corrosivi à liquore salis Ammoniaci factæ, quando remiscetur liquor Tartari, eo quod nulla adsit utrobique substantia Nitrosulphurea, è qua iste color emergere queat, in reciproca cum Sale Tartari actione.

Commode exhibetur Præcipitatum istud Purgantibus remixtum, præsertim Confectioni Hamech, tum in curatione affectuum Venereorum, tum Scrophularum, Tineæ, Lepræ, cunctarumque infectionum cutanearum ; quarum gratia utilissime in usum adducitur Præcipitatum hoc, commiscendo Linimentis Pomatis, exterius admovendis, sicuti & Lotionibus : Ad prædictos usus aptissime servando, titulo Aquæ Polonicæ, illi à me assignato.



## C A P U T L X X .

*De Sublimato Corrosivo.*

**P**Arum firma compages, ac mobilitas partium Mercurij, cum occasio-  
nem præbeant insigni substantiæ illius divisibilitati, quo fit ut per-  
via sit actioni salium corrodentium, pars maxime acida & subtilissima  
earundem Salium subiens illius poros, ac quandam unitatis speciem in-  
jens, ipsum nequaquam deserit nisi quæpiam alia substantia commixta  
fuerit, cui cum major insit dispositio ad conjunctionem cum iisdem Aci-  
dis, poris autem prædita sit magis conformibus illorum aculeis, magis  
idonea fit illis cohibendis quam Mercurius: Quo fit ut postmodum  
Mercurium, propria indole volatilem, igni exponendo, in auras protin-  
us is discedat una cum eodem Acido, nisi aliquo vase idoneo exceptus  
fuerit quod ipsum coercere valeat: Immissus autem Matratio, urgente  
igne gradatim adaucto, ejusdem ignis impulsui cedat, paulatim in sum-  
mam vasis partem evectus, secum autem abstrahens partem acidam  
salium, quibus cum remixtus erat, una cum illis corpus constituit album, ve-  
nisque lucidis & crystallinis refertum, quod seorsum se exhibet, in sum-  
mo partium crassiorum salium innatans, peracta operatione, omnibus-  
que frigefactis.

Nonnulli præcipiunt immitti libram unam Mercurij purissimi Retor-  
tæ, affundi æquale pondus Aquæ fortis, aut spiritus Nitri, Retortam  
Balneo Arenæ moderate calido committi, Mercurio autem dissoluto,  
& intensiori reddito igne Balneo subdito, juxta leges artis fieri dissol-  
ventis abstractionem, quousque Mercurius in vasis fundo cum partibus  
maxime fixis horum liquorum subsideat; Demum subtilissime commi-  
nuta libra una Vitrioli ad albedinem calcinati, ac tantundem Salis decre-  
pitati, hæc simul commisceri Mercurij massæ itidem contritæ, omnibus  
autem Matratio exceptis sublimationem institui, dicentes tandem supra  
partes salium maxime crassas occurrere Mercurium, conjunctum parti  
illorum acidæ, solida forma, alba & Crystallina, summæ vasis parti adhæ-  
rentem.

At etiamsi hujusmodi præparatio Artis peritis commoda esse queat,  
qui noxam imminuentem à pulvere è salibus educta metuunt, quando so-  
lummodo commiscentur Mercurio crudo; Eademque admitti queat si  
sublimatum ad usus solummodo externos usurpandum, nihilominus  
partes acres, ac speciatim salinæ sulphuræ Nitri, quæ non minus insunt  
ejus



ejus Spiritus quam Aquæ Forti, cum'formidabiles sint in præparatione istius Mercurij, multo satius fuerit illos Spiritus dimisisse.

Etiamsi enim, sicuti Experientia ostendit, in abstractione dissolventium, una cum phlegmate spiritus corrosivi copia non exigua educatur, quæ iterum idonea sit dissolvendæ eidem Mercurij quantitati, prope modum priori æquali, etiamsi pars plurima aquea simul occurrat, massa nihilominus liberata nondum est partibus maxime corrodentibus Spirituum à quibus dissolutus fuerat Mercurius, iisdem particulis postmodum in sublimatione comites illi se adjungentibus: Si vero Sublimatum corrosivum, omnis corrosivæ vis expers, præparando Sublimato dulci, quod tutissime intus adsumi queat, idoneum desideraveris, hac viâ procedendum erit.

Calcinetur ad albedinem Vitriolum Germanicum, decrepitetur Sal marinum, quantum usus postulaverit, horum seorsum in subtilem pulverem contritorum uniuscujusque libræ unius pondus accipiendum, & quantitas æqualis Mercurij ex Cinnabari reviviscentis, Simul ista conterantur in mortario marmoreo, pistillo ligneo, per vices leniter irrorando tantillo Spiritus Aceti, eum solum in finem ut prohibeatur pulveris ascensus, noxam inducturi illi qui pistillo utitur; pergendo in trituratione donec Mercurius adeo accurate Pulveribus commixtus sit, ut nequaquam conspicuus sit, adeoque unicum cum illis corpus constituere videatur; Mistura postmodum ista Matratio excepta, cujus duo circiter trientes vacent, hoc committendum erit Balneo arenæ intra capsulam proportionem respondentem, idoneæ Fornaci impositam; hinc igne initio mitissimo, postmodum per gradus adaucto, circa finem intento, Mercurius impellendus erit, parti acidæ salium conjunctus, in summum Matratium, substantiam albam & crystallinam adeptus, unde eximendus erit effracto Matratio, perfecta sublimatione, & vasis refrigeratis, relicta in fundo Matratij Salium parte crassiori, ascensui inepta.

Postmodum conterendum erit in mortario Marmoreo istud sublimatum, addita æquali ut supra quantitate Vitrioli ad albedinem calcinati, ac Salis decrepitati pulverisati; Cuncta alteri matratio indantur, æqualis cum priori magnitudinis, hinc suscipiatur sublimatio; in cæteris eadem omnino ac prius ratione procedendo: Imo tertia vice repetantur salium additamentum, uti & cæteræ operationes, sic exsurgat Sublimatum eximia corrodendi vi præditum, cujus cum corrosio ortum solummodo debeat parti acidæ Vitrioli & Salis Marini, hanc superare arduum non fuerit, si media dulcorationi necessaria omissa non fuerint.



Particulæ acidæ Salium, complicatæ particulis Mercurij, adeo insignem corrodingi vim huic Sublimato impertiuntur, ut non modo erodere valeant partes internas & externas animalium, ac fere quasvis substantias, sed etiam omnia metalla; Id vero huic Sublimato, & cæteris omnibus Salibus commune est, ut siccum nullam fere actionem exferere possit, illiusque efficacia intensior aut remissior sit pro majori aut minori humoris quantitate, ejus actioni consona.

Eapropter etiam admotum carnibus fungosis Vulnerum, aut Ulcerum, illas nullo negotio absumit, humiditas quippe vulnerum aut Ulcerum ejusmodi semper comes, illud dissolvit; Quapropter in ventriculo, aliisque partibus insignem stragem edere aptum natum est ore si adsumptum fuerit, eo quod obviam habeat ad dissolutionem requisitam humiditatem, ac inurere caustica vii carnis illam particulam, aut cutis, cui admotum fuerit, dummodo idem locus leviter humectatus fuerit, aut saltem madore perfusum, idoneumque dissolutioni factum fuerit sublimatum.

Ostensus superius fuit usus istius sublimati ad compositionem Aquæ Phagedenicæ; uti & ejus facultas in extrahenda substantia butyrosa è Stanno; Sed præterea demonstrabitur quomodo admittatur ad præparationis Antimonij: At vero usitatissima omnium & commodissima ea est quæ Mercurium Sublimatum dulcem spectat.

Sed etiam si corrosio Sublimati solummodo conspicua fiat quando in aqua dissolvitur, insignis porro fit illa corrosio si paucissimo dilutum fuerit humore, idoneumque tunc evadat summa celeritate & vehementia erodendis illis partibus corporis quas attigerit, id tamen compertum esse debet si non exigua aquæ copia illius dissolutioni immissa fuerit, hanc infractum iri, stragemque imminentem præcaveri, adeo ut larga aquæ copia, effatim hausta & illico, omnium optimum & tutissimum sit præsidium si forte quis incaute, aut alio modo Sublimatum corrosivum ingesserit: Aqua quippe, cum facillime diluat partes acidas, corrosionis authores in Sublimato, hæ in adeo minutas discedunt particulas, & adeo diffunduntur ac explicantur, ut aptitudinem ad corrosionem & pernitiem exuant, quibus Mercurius liberatus tanquam innoxius habendus, particulis interim huiusmodi acidis cum ferro per urinas, per alvum aut vomitum exitum habentibus.



## CAPVT LXXI.

*De Sublimato Dulci.*

**C**onteratur in mortario marmoreo, pistillo ligneo, Sublimati corrosivi, superiori ratione præparati, libra una, additoque subtriplo pondere Mercurij ex cinnabari resuscitati, iterum simul terantur, quousque Mercurius cum Sublimato optime coierit, adeo ut prioris nulla adpareant vestigia, ac simul abeant in Pulverem cineritii coloris plane uniformem. Committatur postea hic Pulvis Matratio; in lagena vitrea rotunda fattenui, cujus duo circiter trientes vacui supersint; demum exponatur hoc Vas Balneo arenę, fiatque Sublimatio adhibito igne gradatim; in cæteris eadem omnino ratione procedendo qua ad præcedentis præparationem: Demum cunctis frigefactis, vase effracto in sui medio, secreto & abjecto pulvere rubicundo in fundo superstite, seorsumque reposito Pulvere candicante, collo vasis adhærente, accipiendum erit Sublimatum album & crystallinum, parti corporis ejusdem vasis supremi affixum.

Eo linguę admoto, si quapiam adhuc observata fuerit acrimonia, eidem mortario id committendo, iterumque conterendo, addenda erit, una quoque pulveranda, uncia una Mercurii fluidi, vel quantum Sublimatum absorbere poterit: Postea hoc eodem Pulvere altero Matratio excepto, perficienda erit Sublimatio, ac separatio Pulverum summam & imam vasis partem occupantium sicuti priori vice. Deinceps rursus contrito Sublimato in simili Mortario, injectoque Pulvere in aliud Matrarium, alia suscipienda erit Sublimatio; tunc autem Sublimatum elegantissimum esse poterit, ac sufficienter dulcoratum.

Sin elegantię quid præterea adjiciendum fuerit, idque multo dulcius reddendum, licet præmissa pulverisatione, alteri Matrario, eodem Balneo indere, ac sublimationem renovare, secretionem posthac facta Pulveris, summo vel imo Matrario adhæsuri, Sublimatum ad usum servando.

Repetitæ in hac præparatione Sublimationes, valent quidem particulas quasdam Acidorum, in Sublimato Corrosivo contentorum dissipare, at partes superstites cum nimia copia abundant, & nimio opere sint intricatæ in Sublimato corrosivo, ut spes sit illas, ope istiusmodi Sublimationum penitus separatam iri, cuiuspiam forte admirationis causa suberit quod à Mercurio fluido, Sublimato Corrosivo addito, mortificari



queant hæc acida, ac detracta vi corrosiva, dulcem postmodum inducere.

Desinet vero admirandi occasio si pensitatum fuerit, cum prius universa Mercurij substantia Acidis imprægnata fuisset, ad constitutionem sublimati corrosivi, hic contra cunctos poros Acidorum Mercurio addito infarciri, adeo ut cum illorum aculei omnino ab hoc obruantur & involvantur, postmodum omnino actioni & penetrationi inepti evadant.

Ostendit enim experientia dulcificationem sublimati corrosivi nunquam perfectam contingere si Mercurij vivi requisita copia addita non fuerit, eaque quantitate qua penitus adimpleantur pori, ac delitescant aculei Acidorum, à quibus corrodendi vim id nactum erat; Et Mercurium solam & unicam esse materiam per quam dulcescere queat, una cum ipso sublimatam.

Neque moror contrariam illorum sententiam, qui sublimati dulcificationem adscriptam volunt extensioni factæ à Mercurio, illic intro-misso; Perpendenda enim illis fuisset exigua expansio à Mercurio ipsi concessa, quæ si esset admittenda, commisceri possent aliæ materiæ, magis idoneæ amplificationi ulteriori, & simul sublimationi aptæ: At cum nihil occurrat quod possit, pristinam formam ipsi restituendo, unaque cum illo sublimatum, id dulcificare, sicuti id præstat Mercurius, proculdubio veritati is reluctaturus est cui hæc rationes non arriperint.

Neque tamen existimandum hæc Acida, in Mercurio delitescencia, hac ratione destrui, quandoquidem nullo non tempore concessum est hæc secernere, revivificatione facta Mercurij utriusque sublimati, beneficio Salis Tartari, Calcis vivæ, alteriufve cuiusdam substantiæ naturæ non absimilis; quæ poros Acidorum adimplens, his vicissim imprægnata, illisque intime se adjungens, Mercurium pristinae libertati restituere valeat, ac priori formæ.

Sublimatum dulce frequentissime in usum accersitur ad curationem affectuum Venereorum, sed & non minus commode usurpatur in Hydrope ac obstructionibus pertinacibus Iæcoris & Lienis, imo & Vteri, sed præsertim ad interficiendos Lumbricos, exhibendo id forma Boli, commixtum catharticis, ut illorum actioni obsequatur, si præsertim à ptyalismis consequutione metus sit.

Dosis est à semi scrupulo ad semidrachmam, imo & ad binos scrupulos, at in robustissimis tantum, & cum citiores certioresque expectantur effectus.

Alio loco memini præparationis Sublimati dulcis ex Præcipitato al-  
bo



bo, Sublimatione citra ullum additamentum facta; Potest & idem expectari ex Mercurio Præcipitato flavo, id seorsum, præmissa lotionè, sublimando, eoque pacto adipisci datur sublimatum dulce per inferiora solummodo purgans, quod præberi poterit à tribus vel quatuor ad septem vel octo grana.

Sed res prosperum magis successum habitura est, si trituratione prævia in mortario marmoreo, aut vitreo, quatuor unciarum Præcipitati Flavi, probe elui & exsiccati, illi concorporando eam Mercurij currentis quantitatem quam omnino absorbere voluerit, mediis ordinariis instituta fuerit sublimatio, si demum contritum hoc sublimatum, iterata bis terve sublimationi subiectum fuerit nullius rei facta adjectione: Ea enim ratione exsurgit Sublimatum admodum dulce, deorsum tantum vacuando vergens, concedendum ad decem usque vel duodecim grana in quibusvis affectibus sublimatum dulce usitatum congruere potest.

## CAPVT LXXII.

*De Liquoribus Mercurialibus.*

**P**lutini Olei nomen imposuere quibusdam Liquoribus ex Mercurio eliciendis, aut Liquoribus nonnullis illi remixtis, etsi liquores prædicti flammam non concipiunt, sed mere sint aquei: At vero cum nomina rerum qualitates nequaquam immutent, quæstionis illius ventilatione prætermissa, satis mihi fuerit nonnullas attulisse præparationes, meo iudicio non indigne huc inferendas:

Aqua Polonica, quæ nihil aliud est quam lotio Præcipitatorum Mercurij, & Aqua Phagedenica, ex calce viva & sublimato corrosivo constans, quarum alias præparationem tradidi, in censum liquorum Mercurialium venire possunt, non secus ac illa quæ præparari potest substituendo Mercurium dulcem Corrosivo, etiamsi sublimata eiusmodi exigua admodum admittantur copia: Sed præparari possunt Liquores mercuriales magis concentrati, ac variis modis generosiores, sicuti in serie id manifestum futurum est.

Subtiliter una terantur in Porphyrice partes æquales Sublimati dulcis & Salis Ammoniaci, inspergatur Pulvis assariæ Cucumè mundissimæ; reponatur hoc vas aliquantum declive in cella vinaria, vel loco quopiam humidiores rostro illius admoveatur Receptaculum exiguum, ibi loci detinendum donec cuncta Salia dissoluta sint & abierint in liquorem rubicundum, in Receptaculo obvium, commixtum Mercurio resuscitato illuc confluyente, ac separando ut in eosdem quos antea usus veniat.



Externe hic liquor accerfitur ad consumptionem carniū fungosarum, ac excrescentiarum in vulneribus & ulceribus oborientium, speciatim Venereæ luis sobolis.

Etiamsi vero substantia Mercurij fere tota reviviscens videatur, Liquor prædictus nihilominus sat multas sibi illius adsumpsit particulas ut Mercurialis nomine dignandus sit.

Agricola, Hartmannus, ac nonnulli Authores horum sequaces, descripserunt Mercurialem Liquorem Iovialem, quem huc inferendum existimo.

Liquefcatur in Crucibulo Stanni Anglici libra una, affundatur illi libra una Mercurij ex cinnabari reviviscētis, excalescti, fiatque ex his Amalgama, eluendum aqua Salsa calente, donec omnino nigredo recesserit, ac Amalgama nivis instar candidum adpareat: Hoc postmodum rite exsiccatō, & pulverisato, ac in matrario marmoreo aut vitreo optime contrito, additis sublimati corrosivi libris duabus, expandenda erit hæc Mistura in Cucuma assaria, eodem situ collocanda, eodemque in loco reponenda sicuti Liquor à me supra memoratus; postmodum supposito illi Recipiente idoneo, occurrent tandem Salia dissoluta, in Liquorem deducta, cui remixtus etiam erit Mercurius, iterum resurrecturus, à recessu Salium, in loco humido dissolutorum: Demum seorsum reposito hoc Mercurio ad usus proprios, immissoque Liquore Cucurbitæ vitreæ in Diplomate, evaporatio lenis humiditatis superflue procuranda erit; ac præmissa maceratione per quindecim dies in eodem Balneo, igne moderato, infusione facta hujus Liquoris in exiguam Retortam, arena obrutam, intra capsulam fictilem, idoneæ Fornaci commissam, suscipienda distillatio igne gradatim adhibito, sed sub finem intenso admodum reddito, eo pacto succedet Liquor, olei similitudinem quandam referens, quem eximium censent exterius admotum ad curationem Canceri, Nattarum Fistularum & quorumvis Ulcerum malignorum & corrosivorum,

Idem Agricola alium describit liquorem Mercurialem, ad cuius præparationem præcipit conterī partes æquales Sublimati dulcis & Salis Saturni; hæc commixta immitti Retortæ vitreæ, qua in Balneo arena reposita, admoto grandi Receptaculo, probe loricato, ejus rostro; Igne gradatim adhibito, educi liquorem album, dulcem, omnisque acrimoniæ expertem: Demum sponte frigefactis vasis, subsidentia contrita, ac alteri Retortæ vitreæ commissa, superaffundi Liquorem distillatum: præcessaque levi digestionē per septem aut octo dies, eandem distillationem eodem Balneo iterari, atque inde educi Oleum flavum, quod



quod etiam ad usus internos admitti possit, ut & ad externos, ad curationem quorumvis Ulcerum, etiam Venereorum.

Præterea idem Author, commistione facta partium æqualium Sublimati dulcis, & Sacchari candidi, pulverisati, hæc Cucurbita vitrea excipi, ac Balneo Arene, debito accedente ignis regimine præcipit, Liqueorem prodire præstantissimum ad sanationem omnium Ulcerum internorum externorum afferens.

Superaddere hic possem plurimas descriptiones Oleorum aut Liqueorum, Extractorum, Sulphurum, Salium & aliarum Mercurij præparationum, quibus Libri turgent, in quibus plus ostentationis quam utilitatis; Sed hæc silentio involvere malo quam Lectori tædium parere.

## CAPVT LXXIII.

### *De Antimonio in genere.*

**A**ntimonium corpus est minerale, ad naturam metallicam plurimum accedens, quod ut plurimum obvium est in mineris, huic vel illi metallo proximum; Pro Marcasitæ specie habetur, imo à nonnullis Marcasita Plumbi nuncupatum fuit. Constare censent ex duplici Sulphure minerali, uno quidem metallico, & accedente ad puritatem, ac nonnihil ad colorem Sulphuris Auri; Altero terrestri, combustibili, ac fere simili Sulphuri communi: Ex Sulphure metallico fuliginoso, male digesto, sed magis concocto Mercurio vulgari, plumbi naturæ particeps; Ac substantia terrestri & Salina, sed exigua admodum copia.

Existimaverunt nonnulli Antimonium in se comprehendere principia omnium metallorum, quia sine discrimine occurrit circa singulas illorum mineras: Cognomentum obtinuit Lupi, aut Saturni Philosophorum, expositum enim una cum metallis igni, hæc vorat aut absumit, Auro excepto: Prothei quoque nomen inditum, ob coloris diversitatem quam Artifices illi conciliare valent, igni id exponendo.

Censent quidam, sicuti Antimonium Aurum omnibus impuritatibus liberat, ac quibusvis substantiis extraneis, id ipsum in homine præstare posse, accedentibus variis præparationibus quas ars Chimica usurpare potest; Imo id valere pro re nata extra corpus propellere & eliminare prava quosvis humores per quæcunque emissaria à Natura constituta; Imo medicinam universalem in illo quæsierunt, cui tot Medici & Philosophi hætenus inhiarunt.



At etiamſi nemo gloriari queat ſe in unico remedio reperturum, ex Antimonio deprompto, curationem quorumvis morborum; id tamen adſerere licet, quoad varias præparationes cui hoc Minerale obnoxium eſſe poteſt, poſſe ſaltem expleri maxima ex parte indicationes hauriendas, ac ſatiſfieri ſcopis morborum curationem ſpectantibus; adſtruendo ab omni ævo ex unica hac ſubſtantia educta fuiſſe, ac præterea plura remedia educi poſſe quam ex quovis alio metallo.

In uſum venit Antimonium crudum pulveriſatum, nodulo id involvendo, ad Decoctiones pro morbis Venereis præparandas: Adhibetur etiam in collyriis ad oculorum affectus, ac remediis externis, mundificationem, exſiccationem ac cicatricis inductionem, Vulnerum & Ulcerum ſpectantibus.

## CAPVT LXXIV.

*De Vitro Antimonij.*

**A**D parandum Vitrum Antimonij Hyacinthini coloris, eligendum Antimonium puriſſimum, cujus acus, vel lineæ, productæ ſint & pellucidæ: hoc ſubtiliſſime contrito, pulvere capſulæ fictili indito, aut pelvi fictili non vitreatæ, ſed latæ, depreſſæ, ignis vehementiam tolerare idoneæ, imponendum erit vas Fornaci idoneæ, accenſo in hujus foco igne moderato, ea ratione regendo ut paulatim excaleſcat capſula, hic poſtea ſatis validus ſit ad Antimonium in fumum diſſolvendum, initio hinc hujus calcinationis ducto: Statim ac Pulvis fumum emittere incipit, leniter ſpathula euprea commovendus, ſed citra intermiſſionem, infra capſulam ignem æqualem fovendo, modice intenſum, ſibi cavendo, & arcendo fumos oriundos ex Sulphure Antimonij, quod paulatim in auras abiturum eſt; pergendo in calcinatione non modo donec nullus ex Pulvere prodeat ſamus, ac colorem cineritium is adeptus ſit, ſed excitata fuſione, in exiguo crucibulo, tantillæ portioſis Pulveris, hic abeat in Vitrum admodum pellucidum: ſi forte contingat ut in calcinatione Pulvis in grumos coeat, à Calcinatione deſiſtendum eſt, conterendo hos grumos illam rurſum repetendo, ſed citra deſatigationem, etiamſi opus hoc ad plurimos protrahi ſoleat dies: Neque enim Antimonij Vitrificatio ex voto ſuccedet niſi Pulvis rite calcinatus fuerit, vel minima ſulphuris illius particula ſuperſtes ſit.

Pulvis Antimonii abſolutam Calcinationem adeptus facili negotio in vitrum abiturus eſt, ſi modo ſuppetat optimus Furnus anemius, in  
cujus



cuius foco, posito prius Crucibulo Germanico, pedementum subditum habeat, In huius ambitu accendendus ignis carbonum, proportione respondens Foci capacitati, follis afflatu excitandus; Crucibulo duas aut tres uncias tantum pulveris singula quaque vice immittendo, facillime in illo colliquescet; hic ubi omnino fusus fuerit, materia calens in sartagine cupream mundissimam infundenda erit, quæ in Vitrum admodum pellucidum, Hyacinthini coloris conversa deprehendetur.

Si maior Vitri quantitas expectatur, crucibulum illico pedamento rursum imponendum erit, ac ab iniecta æquali Pulveris recentis quantitate, ignem fovendo & æqualiter intendendo, eadem ratione ac priori vice procedendo, in Vitrum conversio fiet; Quicquid vero superstes erit Pulveris, easdem operationes reiterando, in Vitrum abiturum est.

Dum Fusio peragitur, crucibulum exiguo operculo cooperiendum est ad faciliorem pulveris Vitrificationem, imo ipsi Fornaci suum Tegmen superponendum est, ad meliorem conclusionem, & caloris supra materiam reverberationem, eoque modo Fusionem promovendam; quam melior successus sequuturus est, breviori tempore, minori carbonem dispendio, in Fornace Anemia, cuius figuram & descriptionem tradidi, quam si quater tantum carbonum alteri Fornaci inditum fuisset, dummodo proba pulveris calcinatio præcesserit: Neque tunc necesse est per horam integram Fusioni Pulverem exposuisse, neque Antimonium crudum pulverisatum addidisse, neque sulphur, neque Nitrum, neque Boracem, neque ullam materiam extraneam, facilioris reddendæ vitrificationis pulveris gratia, quandoquidem in Fornace vitrificationem obtinere licet, seorsum & absque ullius additamenti beneficio, ad summam intra horæ octavam partem; Eaque ratione Zuvelseri desiderio satisfacere licet, cum hoc situm ad confectionem Syrupi Emetici adhibet.

Abstinentum etiam ab immisione virgulæ ferreæ in materiam liquefactam, si cognoscendum num Vitrum diaphaneitatem obtinuerit; Antimonium quippe extremam virgam ferream erosurum est, etiamsi brevissima sit mora, ideoque Vitrum fuscum colorem induere potest; ac præterea si Pulveris ritam fusionem consequutus fuerit, procul dubio Vitrum elegans proditurum sit.

Præcipiunt Authores eligendam temporis serenitatem ad hanc præparationem, sed nullo non tempore rite eadem perfici potest, dummodo processus ex arte fuerit.

Vitrum Antimonij per superna & inferna quoscunque humores obvios vehementer educit; si in pulverem subtilem contritum duorum, trium aut quatuor granorum pondere exhibitum fuerit, ex quâpiam conserva aut Condito: vel Infusum in vino albo, a tribus, quatuor, ad quinque aut sex grana; aut in liquore aliquo cardiacam vim nato: At solum præbendum



iis qui robustam constitutionem nacti sunt, & qui lato pectore donati in Vomitum proclives sunt; nimia enim illius vehementia debiliorem sortem nactis noxia futura esset.

Neque interim mirum esse debet à consumpto sulphure combustibili Antimonij, dum calcinatur ad præparationem Vitri, hoc idem Vitrum emetica & cathartica facultate adhuc esse præditum, quandoquidem præcipuæ illius dotes à sulphure illius interno originem ducunt, quod vix ac ne vix ab illo recedit, sicuti id ipsum in Regulis manifestum est, in Crocis, aliisque Stibij præparationibus, quæ, etiamsi Nitrum commistum fuerit, Tartarum aut Sublimatum &c. nihilominus fusque deque corpus expurgant; Cum qualitatibus illis, vomitiva & purgatrice, spoliari alia ratione nequeat quam beneficio calcinationis, ac longa in igne mora, addito triplo tanto Nitri pondere; ac Acida simplicia insufficientia sint domandis facultatibus Vomitoria & purgatoria, imo nec ipsum Nitrum, ejusve spiritus sulphureus, diaphoreticam excutere non valeat, tum demum se prædentem cum cæteræ abolitæ videntur.

Tradita vero descriptione Vitri Antimonij, citra additamentum facti, omnino huc inferenda correctio quam ante pollicitus sum ad confectio- nem Syrupi Emetici, à me descripti parte secunda huius operis, Ea propter

Super porphyrite subtilissime conterantur, & in Alkool deducantur, Vitri Antimonij, ratione à me proposita præparati, uncia duodecim; remisceantur Nitri pulverisati uncia tres & semis; incandescat Crucibulum cum suo operculo, pedamento impositum, media in fornace collocatum; demum per vices, & cochleatim, sed minutim, immittatur pulvis cruci- bulo, post cooperiendum; cum vero Pulvis rubicundus factus fuerit, remo- to ab igne & sponte refrigerato Crucibulo, in illo occurret massa colo- ris inter flavum & album medij, quæ iterum subtiliter super porphyrite pulverisata, illico abluenda erit, immersa aquæ solummodo tepidæ, ci- tra moram decantandæ, Pulverem exsiccando statim ac duleoratus fuerit.

Eo pacto adipisci datur Vitrum Antimonij correctum, ejus effectus multo quam ante leniores futuri sunt; illiusque usus tutus, tum ad præ- preparationem syrupi emetici, tum ad alios exhibendi modos: Infusionem illius exhibendo ex Vino à granis quatuor aut quinque, ad quindecim aut viginti, respectu habito ætatis & vitium.

Conflari possunt Vitra Antimoni j alba, flava, rubra, nigra &c. Vario modo calcinando Antimonium, addito Borace, Sulphure, aliisque mate- riis: At cum color non inducat immutationem qualitatibus emetica & purgatrice, præcipitatio autem à me tradita norma esse queat cæterarum, superfluum



superfluum esse duxi si caput hoc amplius excresceret, additis plurimis aliis, Curiosos ad Schroderum remittens, aliosve Authores, qui plurimas exhibent præparationes.

## C A P V T L X X V .

*De Crocis Antimonij.*

**P**Ræparatio hæc Croci nomine insignita est, ratione Coloris flavi in massa, quando contrita est, exsurgentis: Crocus autem metallorum vocatur, quia occurrit Antimonium juxta mineras aliorum metallorum; Vel ob sympathiam inter hoc & metalla; Hepatis quoque vox imposita, ob Hepatis colorem in massa adparentem antequam triturationi subiecta fuerit.

Præparatio hæc vulgaris est, sed alia atque alia ratione instituitur: Nonnulli enim contritis & commistis partibus æqualibus Antimonij & Nitri, mistura autem hac indita grandi mortario ferreo aut cupreo, obiter cooperto, huic imposita tegula lata, aut latere, prius excalefactis pulverem accendunt, superiniecta exigua pruna candente, unde consequitur detonatio ac materierum fusio, purissimis interim Antimonij partibus in fundum mortarij secedentibus, quæ figuram Hepatis acquirunt; Scoriis autem cum parte Nitri salino fixa sursum delatis, postmodum si lubet ab invicem separandis.

Alij Nitri dimidiam tantum partem adsumunt, quoad cætera eodem processu genere utentes, relicto in fundo Mortarij Croco, à priori non multum dissimili, sed cui vis emetica insignior est, & majori copia; Cum enim Nitrum minori copia admissum sit, particulæ Antimonij non adeo exagitatæ fuere, neque tanta illarum facta est dissipatio.

Nonnulli mistura facta æqualis quantitatis Antimonij & Nitri, Ollæ autem Figulina, ignis vehementiæ quæ obsistere valeat, subdito pedamento, reposita in medio foco Fornacis idoneæ, circumcirca ignem Carbonum accendunt, impositoque Ollæ operculo, hanc ad candorem accendunt; demum Pulverem in portiones distinctas chartis inclusas, discooperta Olla paulatim per partes proiciunt, eoque pacto partitis vicibus fit detonatio, quousque totus Pulvis sit absumptus: Demum caute Olla igni subtracta, sponte refrigerari finitur, secretumque à scoriis Crocum ad usus servant.

Quidam etiam Scorias nequaquam separatas, una cum Hepate Antimonij conterunt, demum omnibus ad aliquot tempus in sufficienti aquæ



quantitate fervere permiffis, ac calente filtrato decocto, huic acetum stillatitium affundunt, unde fequitur præcipitatio Croci subtiliffimi quem probe abluunt, demum exficcant & fervant.

Alij pulverifant & commifcent partes æquales Antimonij, Nitri & Salis Marini decrepitati; qua miftura crucibulo indita, cujus media circiter pars vacet, id altero ejufdem magnitudinis fuperimposito cooperiunt, exiguo in fundo foramine pertufo; accurate utriufque commiffuris luto conjunctis, exficcatoque luto, pedamento imponunt, medio in Fornacis idoneæ foco; poftea accenfo in ambitu igne carbonum, facta detonatione, & perfecta materium fufione, celeri manu Crucibulum ab igne removent, quod cum probe refrixerit, difjunctis Crucibulis, eoque cui commiffæ materiæ effracto, in fundo fe offert Hepar Antimonij, cujus color, etiam pulverifati, intensioris eft ruboris quam prius, falibus quoque coopertus, quorum poftea faciendâ feparatio.

Ob Marcafiræ fimilitudinem, & colorem quodammodo ad Opalinum accedentem, nonnulli huic Antimonij Hepati *Magnefcæ Opalsvæ* nomen indiderunt, quam verum effe Rulandi Crocum Metallorum crediderunt: Revera elegantior & præftantior Crocus Antimonij præparari non poteft, tum ad confectionem Vini Emetici, tum Pulveris, exhibendi gratia, ab octo aut decem, ad viginti ufque, triginta & quadraginta grana, ex quamiam Conferva Ovo, pome cocto.

Commodiffime etiam ad Collyria admittitur, in pulverem subtiliffimum id deducendo, Infufionibus admifcendo aut in Aquis Ophthalmicis diluendo.

Tilingius in fuo Prodromo Practicæ Chymicæ, exhibet præparationem Croci Metallorum, cui cognomen indidit Abfinthiaci, ratione fequenti.

Vna conterantur partes æquales Antimonij probe pellucidi, & Salis Abfinthij, commifceantur & Crucibulo indantur, ad ignem luculentum calcinentur, per vices commovendo fpathula cuprea, donec sulphure Arfenicali Antimonij probe exaltato, obvia fit in Crucibulo materia fubruba, quæ subtilem in pulverem conterenda eft & abluenda, donec omnino dulcorata fit, demum exficcanda & ad ufus fervanda.

Eximium ait effe hunc Crocum ad curationem quorumvis affectuum Cerebri, Ventriculi, Iecoris, & Lienis, Nec non Febrium, Melancholiæ, Hypochondriacæ, Arthritidis, Aftmatis, Pleuritidis, Hydropis, Icteri, & Scorbuti.

Dofis illius eft trium, imo & fex granorum pondus, Pulveris forma ex panca conferva, aut Infufi, octo aut decem granorum ejufdem Croci, facti in unciis duabus Vini albi, & duabus drachmis Aquæ cinnamomi;



moni; afferitque hoc remedium tum superne tum inferne lenissime expurgare.

Hepar Antimonij sursum & deorsum quosvis humores obvios educit: Hepar hoc cum plurimis adhuc partibus Antimonij crassioribus constet, vitri revera quandam speciem habet, sed polluciditate caret, neque eadem duritie donatum est. Quod porro in hac massa partium crassiorum superest, fræni vicem obtinet erga purissimas, quarum actio ab iis retunditur, adeo ut illius pulvis exhiberi possit multo maiori dozi quam Vitrum: Huc iterum illaturus sum quod alibi de illius usu ad præparationem vini Emetici indicavi.

## C A P U T LXXVI.

*De Regulo Antimonij.*

**N**Omen Reguli, aut parvi Regis, improprie videretur adsignatum Antimonio dictam præparationem experto, quandoquidem qui deberet cæteris partibus, more Regum eminere, in parte infima & fundo Crucibuli deprehenditur, vel aliorum vasorum in quæ Antimonium infusum, postquam liquefactum fuit, una cum materiis partes puras ab impuris separare idoneis: At vero ratione ponderis & constrictionis partium purarum, ob quæ fundum petit, ac concentrationis & arctioris compagis, præ qua minorem molem quam scorix obtinent, superiora petentes salibus committæ; Perfectionis præterea earundem partium, hoc Reguli nomen consequutæ sunt, concessum etiam nonnullis aliis metallis expurgatis & liquefactis.

Nitrum & Tartarum materiæ vîtatissimæ sunt Antimonio commisceri solitæ si Reguli separatio molienda sit; at vero ex cuiusque arbitrio doses ratio pendet; nonnulli enim partes æquales Nitri & Tartari usurpant: alii ad partem unam Nitri, & aliam Tartari, duas Antimonij admittunt; Alij plus Nitri quam Tartari, alij plus huius quam prioris; imo nonnulli pulverem carbonum admiscunt: Sunt & præterea qui præmissa contritione & detonatione partium æqualium Nitri & Tartari commisturum, contritaque iterum massa ex his conflata, modo plus huius, modo minus Antimonio pulverifato remisceni; fusioneq; huius mixturæ in crucibulo facta, Regulum eliciunt; Sed etiamsi Regulum omnibus his mediis comparare liceat, nihilominus hoc loco traditurus sum & doses, & methodum mihi usitatam ad hanc præparationem, felicissimoque successu comprobata.



Imponatur capax & probum Crucibulum, suppositum habens pedamentum, medio foco Fornacis anemiæ, illo cooperto, succensoque lulentento carbonum igne in ambitu, paratas habere oportet Antimonij pulverisati libras duas, Tartari Monspeliensis sesquilibram; & Nitri itidem pulverisati tres libræ quadrantes; hæc probe commixta recondantur cucullis chartaceis exiguis, quorum singuli contineant unciam unam vel alteram materiæ: Postea in Crucibulum optime candefactum, ac discoopertum, immittatur unus ex cucullis, illico id cooperiendo, detonationem pulveris permittendo; qua perfecta, alter cucullus pulvere repletus in Crucibulum proiciendus erit, ac detonandus, pergendo in projectione & Pulveris detonatione, (Crucibulo tegmen semper imponendo) donec nihil proiciendum supersit: Postmodum ab immissa circiter uncia una Nitri pulverati supra materias, alte prælonga virga ferrea demergendas, Crucibulum rursus tegmine adposito occludendum, ignem propius admovendo: materiæ cum omnino fusæ fuerint, Crucibulum tenaculis robustis apprehensum ab igne removendum erit, eoque sponte refrigerato Regulus in fundo se exhibiturus est; Vel Crucibulo ab igne exempto, materiæ infundendæ erunt in conum fusorium idoneum, prius excalesfactum & pingui aliquo intus delibutum, concutiendo identidem conum, ad promovendum Reguli in fundum descensum: Demum cunctis semirefrigeratis, conum invertendo, Regulus in fundo conspicuus erit, infra scorias contentus, quibus excussis, iisque ab invicem secretis uno vel altero mallei ictu, rite ablutus, albus adparebit, pellucidus, imo stellatus, si omnibus rite peractis, sub finem accurata materiæ fusio præfuerit.

Fusioni deinceps iste Regulus iterum exponi potest, minori Crucibulo inditus, nonnihil optimi Nitri pulverati immittendo ulterioris gratia expurgationis; quo demum in proplasmata infuso, possunt concinnari pateræ aut scyphi, cognomento Chimici; Vel, si libet, Pilulæ, Perpetuæ dictæ, quarum unica robustis admodum deglutienda porrigitur, expurgandi causa, pro humorum inclinatione, Vomitus aliquando moventis, sed semper per inferiora exitum molientis; Pilula demum inter excreta reperta abluenda & ad alios usus asservanda; toties in eisdem usus ingerenda quoties occurrent quibus fastidium non inductura est: Pateras quod attinet, una vino Hispanico, alióve liquore complenda, discooperienda, ac à vespertinis hores ad matutinas infusione facta, liquor propinandus robusta corporis constitutione præditis, qui purgatione susque deque instituenda opus habent; Hæ Pateræ, aut Scyphi, vim emeticam & catharticam in novos liquores transfundere possunt, quo-

ties



ties libuerit, ne minimo ponderis observato decremento, neque in substantia ulla manifesta immutatione.

Vsitatum non est Regulum Antimonij seorsum Pulveris forma exhibere, cum satis sit ex illo Calices aut Pilulas conflare, sed metallis sæpe numero remiscetur, aliisve substantiis mineralibus, ad plurimas præparationes Chemicas, quarum plurimas tradidi, nonnulla præterea exempla adducturus, dimissa consideratione usum ad Metallica vasa, aliave instrumenta, diversimode in vita civili utilia conficienda.

In pulverem comminui possunt Scorix Reguli, quibus, præmissa elixatione in non mediocri aquæ copia, ac filtratione decocti, affundendum Acetum distillatum, unde sequitur præcipitatio substantiæ flavæ, cui nomen inditum *Sulphuris aurati Antimonij*, cui nonnulli vim solum diaphoreticum adsignant, etiamsi præsertim per vomitum & dejectiones opus edat.

Præcipitatum hoc postmodum dulcorandum est beneficio iteratarum ablutionum, exsiccandum, exhibendum à tribus aut quatuor ad quinque aut sex grana, cuiuspiam alteri rei commixtum actioni illius consentaneæ. At vero minus creber est illius usus; flavæ autem maculæ diu in manibus illorum qui id paravere superstites labori illi superfedendum suadent.

## C A P U T LXXVII.

### *De Regula Martiali.*

**M**istura substantiæ puræ Martis cum Regulo Antimonij, huic Regulo Martialis cognomen indidit, cuius hæc esse debet præparatio.

Incandescat ad ignem Carbonum luculentum capax Crucibulum, probatum, operculo instructum, pedamento supposito, medio in foco Fornacis Anemix, In id proiciatur semilibra extremitatum clavorum sol earum equinarum, reposito operculo crucibuli, aucto & producto igne, donec extremitates acuminatæ clavorum ad albedinem incanduerint; superiniiciatur his libra una pulveris Antimonij, quod cito liquescens metallum id etiam ad fusionem deducet, si Crucibulum discoopertum, ignem si intenderis; Cum materiæ penitus fusæ fuerint, repetitis vicibus illi superiniiciantur tres quatuorve uncix Nitri pulverisati, tum ad segregationem scoriarum ferri, & Antimonij tum vt fusæ materiæ pellucidiores fiant: Postea materiæ fusæ in conum ferreum idoneum, excalefactum, intus pingui aliquo nunctum infundendæ, conum illico



concutiendo ad promovendum Reguli in imum descensum; Cunctis vero probe refrigeratis, inverso Cono fusorio, reperietur Regulus scoriis involutus, a quibus liberandus malles aliquot ictibus conum feriendo; Regulo postmodum rite abluto, ac iterum fusioni in crucibulo exposito, superinjiciendæ vnciæ tres Antimonij pulverisati, ignem impellendo quousque omnia probe colliquescant; demum additis paulatim & per vices duabus aut tribus vnciis Nitri pulverisati, separandarum iterum causa quarundam scoriarum, ac accelerandæ, pellucidiorique reddendæ fusioni materiæ, infundenda erit in conum ferreum calefactum & pingui aliquo illitum; eodem processu quo ante observato, Eoque pacto comparare sibi licebit Regulum Martialem, elegantem & stellatum, dummodo accurata fuerit Operatio, materiæ autem penitus fusæ, cum in Conum infusæ sunt, alias si fusio imperfecta, huic iterum tradendus esset Regulus, rursusque addendæ Nitri vnciæ duæ vel tres ad alteriorem expurgationem.

Antimonium ad hanc præparationem vsurpatum, quantitatis respectu, multo plus exhibet Reguli quam in priore; Nec enim solum Mars prohibet dissolutionem, alias futuram, plurimarum particularum Antimonij, sed etiam illius auget copiam, purissimas sui partes infusione illi adiungendo: Præterea Nitrum tam insignem dissipationem inducere nequit ac in præcedenti Regulo, quia serius ad huius præparationem adhiberi solet, ac paulatim tantum admiscetur, minori que quantitate, etiam si profusior esset additio, Martem tandem omnino consumpturum esset, imo Antimonio alienas qualitates inducturum, diaphoreticam vim ideo adepturum.

Coniungere licet calices & globulos ex hoc Regulo, uti & ex præcedaneo; nec dissimiles vniusque sunt effectus, sed minoris vehementiæ, ratione coniunctionis Martis cum Regulo Antimonij quod tandem omnino Martem in scorias faceffere iuberet, si diutius in igne vna continerentur. Nonnulli Regulum citra Salium additamentum conficiunt, modo qui sequitur.

Crassius contundunt Antimonium, hoc Crucibulo inditum, ac pulverisatis carbonibus coopertum, ad altitudinem quatuor aut quinque digitorum, igni fusionis exponunt per semihoram; demum materiis refrigeratis, obvium habent Regulum in fundo à scoriis separatum; quas postmodum altero crucibulo excipiunt; ex iis pulvere carbonum coopertis, igni fusionis per horæ quadrantem traditis, rursus Regulum eliciunt: Imo tertia vice scorias alteri crucibulo immittunt, imposito alio carbonum pulvere, ad tertij Reguli separationem, Eoque pacto ex libra vna Antimonij Reguli tres circiter quadrantes obtinent.



Etiamsi prædicta ratione perfici queat illa Operatio, Regulus tamen sic præparatus admodum adhuc impurus perstat, superstites adhuc obtinent plurimas, Antimonij crassiores partes: Neque enim candore, elegantia, aut nitore Reguli rite præparati donatus est, ideoque pro Antimonio usitato paulo puriori habendus.

## CAPVT LXXVIII.

*De Floribus Antimonij.*

PLurima adhiberi solent instrumenta, ac non una ratio ad Præparationem Florum Antimonii observari solet; Eapropter enim Aludella ordinaria in usum advocari possunt, superimpositis ollis summa & ima parte perforatis, superiori earum parte summa foramine admodum exiguo donato; collocatòque Aludello supra Fornacem idoneam, cujus fundum ab igne propemodum incandescat, paulatim in Aludelli capacitatem, per foramen Antimonium pulverisatum projiciendum est, donec flores sufficienti copia exurgant.

Licet necnon, juxta Zvelseri mentem, usurpare Aludel fere globiforme, duobus tubis donatum, ex uno quoque latere ad sui medium; parte inferiori quam supera paulo magis declivi: Injecto autem in id paucò Antimonio pulverisato, imposito Aludel Fornaci idoneæ, subditòque Aludel igne sat valido ad fusionem Antimonij, obiter adaptandum erit alteri tuborum Aludel Recipiens, foramine parvo in parte sui postica pertusum: Cum porro vapores intra Receptaculum conspicui fuerint, leniter ope exiguorum follium insufflandum erit in tubum, illi oppositum cui admotum Receptaculum, quo vapores in Receptaculum impulsì in Flores condensari possint.

Porro cum Antimonium citra aliquod additamentum Flores agere emittat, nisi accuratissimum accesserit ignis regimen, & Pulvis legitime projectus fuerit, multo felicior est successus si Antimonio materiæ extraneæ remissæ fuerint, tum ad divisionem illius particularum, ac prohibendam in Aludel fusionem; tum ad suscitandas ac pellendas in Flores particulas ad hos dispositas, quamobrem prius Aludel posteriori multo commodius est.

Commiscere licet Antimonium duplicat arenæ aut vitri pulverisati ponderi, postquam vero impositum fuerit Aludel Fornaci idoneæ, coopertum vero Ollis, illi officio destinatis, luto obductis, sibi invicem



commixtis & superimpositis, infima pars Aludel ad incandescentiam exalefacienda, semiunciam circiter Pulveris per foramen illius projiciendo, singula quaque vice, eodem momento id obturando, luculentum semper ignem, Aludel subditum fovendo, pergendo in Pulveris projectione donec omnino absumptus fuerit.

Commode & commiscetur. Antimonio pulverisato, dimissa arena aut vitri pulvere, triplum Nitri itidem pulverisati pondus, protectione facta pulveris in portiones divisi exiguas, in Aludel, & detonatione, superimpositis illi duabus aut tribus Ollis, summa autem cooperta Alembico vitreo, minime loricato, Recipiente instructo; quo pacto pars Antimonii maxime volatilis sursum evehitur in Flores, obvios postmodum intra ollarum aut Alembici capacitatem, cum vasa refrixerunt & decrustata fuerunt.

Eodem quoque tempore in Recipiente occurrit Nitri spiritus admodum acidus, in fundo autem Aludel Antimonii pars maxime fixa, commixta parti Salinae fixi Nitri.

Flores crebris ablutionibus dulcorandi erunt, demum exsiccandi & servandi; exhibendi à tribus aut quatuor ad quinque aut sex grana, ex conserva aliqua aut condito, si generosa purgatio per superiora simul instituenda fuerit vitiosorum humorum febres Intermittentes parientium, in affectibus hypochondriacis aliisve ejusmodi pertinacibus.

Spiritus in Receptaculo contentus commodissime in usum venit adversus Colicos dolores ac urinæ difficultates, præbendus à quinque aut sex, ad duodecim aut quindecim guttas, vel ad gratum in Iusculo acorem, aliisve liquoribus convenientibus illum exeipientibus.

Partem Antimonij in fundo Aludel residuam quod attinet, cum merum sit Antimonium Diaphoreticum, id extricandum erit à parte Nitri Salina, in usum accersendo eadem ratione qua Antimonium diaphoreticum vulgare, de quo capite sequenti verba facturus sum.

Commodissime remisceri potest semi libra Antimonij pulverisati librae uni Salis Ammoniaci, illa simul projiciendo in Cucurbitam fictilem quæ ignis vim ferre valeat, demum imposita Cucurbita Fornaci idoneæ, eaque Alembico vitreo cooperta, sublimatio Florum igne gradatim adhibito perficienda erit: Vasis autem refrigeratis, colligendi Flores rubri in Alembicum evecti, crebro iteratis ablutionibus dulcorandi, exsiccandi, & ad eosdem usus qui præcedentes servandi.

Antimonij Vitra, Croci, & Reguli usurpari possunt ad Florum præparationem, eadem processus ratione qua Antimonium crudum.

Coloris autem diversitas sæpenumero Floribus Antimonij adveniens



niens, in diversis vel una eademque sublimatione, cum nullam facultati emeticæ & dejectoriæ immutationem inferat, sine discrimine usurpari possunt Flores rubri ac flavi, non secus ac albi, dummodo sæpenumero eloti fuerint ex dulcificati.

Nonnunquam unum vel alterum horum Florum granum aliis purgantibus remiscetur, vel Mercurio dulci, quibusdam in casibus; tunc enim cum aculei vice fungantur erga remedia quibus cum remiscentur, illorum actioni obsequuntur per inferiora solum purgando.

Mercurius dulcis præstantissimum etiamnum est Florum Antimonium correctivum.

Prætermitto horum Florum correctionem beneficio Salis Tartari, optime imprægnati Acido spiritus Aceti, ac affusionis spiritus Vini aromatum vi imbuti, aut spiritus Vini melliti, vel per alios procedendi modos apud authores prostantes; neque enim huc inferendi ulla instat necessitas, quandoquidem extemporanea correctione actionis horum Florum id perfici potest aliis remediis illos commiscendo.

## CAPVT LXXIX.

*De Antimonio Diaphoretico.*

**C**onsensus est Authorum plurimorum ad hanc præparationem perficiendam tres Nitri partes ad unam Antimonij requiri: Porro nonnulli Nitram simul ac semel injiciendum cum Antimonio præcipiunt; alij duas solummodo partes admiscunt, quidam unica sunt contenti; successively reliquas partes massæ adjiciendo; imo nonnulli portionem aliquam Tartari admiscunt.

At vero etiam si quarumvis harum præparationum successus dissimilis non sit, dummodo tripla proportio Nitri ad Antimonium adfuerit, quoad cætera rectus fuerit processus, perinde futurum videatur, satius tamen duco si ab initio tertia tantum Nitri pars cum toto Antimonio commixta fuerit: Si enim totum Nitrum una vice coniectum fuerit, cum detonatio nimia violentia peragatur, multo amplior partium Antimonij dissipatio contingit, quinimo & partium Nitri volatilium, quibus concessum non fuit tempus ad sufficienter communicandam vim fixatoriam parti Antimonij in Crucibulo superstiti: At vero si æquale tantum pondus Nitri & Antimonij injectum fuerit, cum detonatio sat vehemens sit ad sulphur Antimonij crassius abstrahendum, nihilominus tamen nulla imminet partium minus volatilium dissipatio: Sed



porro prædictis Antimonii partibus adjiciendo Nitri partem residuam, nulla vero subsequente detonatione, quandoquidem sulphur Antimonii impurum absumptum est, partibus spirituosis & fixis Nitri sufficiens conceditur tempus efficaciam suam in Nitrum exferendam, ac permutandis illius qualitatibus vomitoriam & purgatricem in diaphoreticam, quæ facultas huic minerali quasi indivulsa cohæret.

Eledi ergo Antimonii libra una conterenda in pulverem, atque commiscenda libri uni Nitri rite depurati; Pulvis concludatur chartaceis cucullis, quorum unusquisque unciam unius circiter sit capax; Demum probato & capaci Crucibulo, operculo suo instructo, subdito pedamento, medio in foco Fornacis Anemiam collocato; accenso in ambitu luculento carbonum igne, summèque candefacto crucibulo, in hoc projiciatur unus cucullorum, crucibulo illico injecto operculo, pulveris detonationem expectando: Postmodum pergendum in successiva cucullorum projectione, detonatione etiam concessa, donec projectio omnium absoluta sit, luculentum semper fovendo ignem ad continuam materierum fusionem. Demum addendum erit paulatim, repetitisque vicibus, reliquum Nitrum, massæ commiscendum & incorporandum, illam prælonga spatula ferrea commovendo, eundem ignis tenorem præterea fovendo spatio duarum aut trium horarum, vel donec Antimonium & Nitrum fluiditate sua omnino orbata sint, ac in crucibulo in massa incandidam & solidam abierint.

Postmodum sponte frigefractis materiis, remotisque quibusvis foribus, crucibulum intus vel extra inquinantibus, eiectione mallei in tria quatuorve frusta extracto, hisque in capacem pelvim stanneam projectis affundenda erit aqua fervens, quousque penitus ab hac cooperiantur, maceratione in illa concessa donec massa à crucibulo abscefferit at ex parte diluta fuerit, separationem coadjuvando admoto cultro, vel quopiam alio instrumento idoneo; Demum accurate secretis, & abjectis Crucibuli fragmentis, materiis probe subsidentibus, decantandus erit, & seorsum asservendus liquor supernatans; Deinceps Calcem Antimonij capaci mortario marmoreo excipiendo, illicque pistillo ligneo conterendo: Demum superaffusis aliquot libris aquæ limpidæ, cunctis rite commotis, citissime decantandus erit in pelvim fictilem mundam Liquor turbidus, pergendo in trituratione, ac postea dissolutione calcis Antimonij in aqua recenti, ac adfusionem Liquoris turbidi in pelvim, donec calx ista omnino in liquore dissoluta sit, in fundo autem mortarii nihil præter partes terrestres deprehendantur.

Calx ista postmodum pluries adfusa aqua abluenda erit, donec perfectissime



fectissime dulcificata sit : hæc autem probe exsiccata poterit iterum crucibulo immitti, ac spatio unius vel alterius horæ in igne detineri demum accenso optimo vini spiritu, illi super affuso, in olla adservari, aut lagena vitrea densa accurate obserata, ad usus.

Prior Liquor seorsum reconditus inutilis futurus non est, quippe qui non exiguam Nitri portionem obrinet, ac plurimas particulas calcis Antimonii ab eodem Nitro dissolutas : Evaporatio enim illius excitari potest ad pelliculam usque, ac exinde elicere licet Crystalla Nitri, particulis Antimonii imprægnata, vel affuso Aceti spiritu huic Liquori, præcipitatio fieri magisterii candidissimi ac subtilissimi ; quod cum ex una eademque massa prodierit, iisdem quoque viribus præditum est, eadem ratione in usum id accersendo ad Calcem Antimonii, præmissa ablutione & exsiccatione.

Candor Calcis Antimonii ansam dedit illi Cerasæ nomen imponendi, sed vulgatius est & acceptius vocabulum Antimonii Diaphoretici, aut Diaphoretici mineralis : Eapropter videlicet quod corroborata Natura, hanc impellit ad expulsionem pravorum humorum per quascunque vias, ac potissimum per sudores vel insensibilem transpirationem.

Nec parum convenit obtundendis aculeis, aut mortificandis Salibus corrodendi vi præditis, ac præsertim Acidis, prohibendæque humorum fermentationi, quorum præterea arcet putredinem : Massam etiam sanguineam expurgat ; in affectibus autem scorbuticis præsentissimum auxilium præbet si productior fuerit illius usus.

Etiamsi vero adstrictoria vi præditum videatur, tam ratione ipsius substantiæ, terrestreitatem præ se ferentis, quam quod destitutum sit facultate per superiora vacuante, commodissime tamen commiscetur remediis catharticis & aperitiva vi donatis, obsequendo quippe illorum actioni, prohibet alienas & pravas qualitates partibus ab illis imminentes : quo fit, ut non raro in usum accersatur, commiscendum remediis referendis viscerum & uteri obstructionibus destitatis.

Eximium quoque perhibetur adversus Februm malignitatem, speciatim ad Variolas & Morbillos, aut Rubiolas quascunque, imo & ad curationem affectuum Venereorum, id remiscendo quibuscunque remediis illis adpropriatis, tum purgantibus tum diaphoreticis.

Convenit necnon cuicunque ætati & sexui, à quinque aut sex, ad viginti & triginta grana, sicuti & magisterium à me memoratum, solitaria aut aliis remediis commista.



Cryſtalla ex prima lotione Antimonii Diaphoretici deducta, poſſunt diſſolvi in liquoribus idoneis: ac præſcribi à quinque ſaut ſex ad quindecim uſque & viginti grana, ad eodem affectus in quibus commendatur Antimonium Diaphoreticum.

Ad iſtiusmodi præparationem admitti poſſunt Vitra, Croci, Reguli & Flores, prætermiſſo Antimonio vulgari; quæ diaphoretica vi donari poſſunt figendo illorum qualitates vomitoriam & dejectoriam, addendo tertium tantum pondus Nitri puriſſimi: in cæteris eadem methodo progrediendo ac ad Antimonium Diaphoreticum.

## C A P V T LXXX.

### *De Liquore Glaciali Antimonij.*

**P**Ræparationis iſtius gratia vulgò uſurpantur partes æquales Antimonij electi & Sublimati Corroſivi, quæ contrita, & ſimul Retortæ vitrea, luto probe obducta, excepta, collo latiuſculo donata, hæc Furno Reverberatorio clauſo, ejus magnitudini proportionem reſpondente imponitur; demum accenſo exiguo carbonum igne in foco fornacis, ac obiter admoto Excipulo roſtro Retortæ, Diſtillatio ſuſcipitur igne leniſſimo, ac paulo poſt in Receptaculum ſtillare conſpicitur guttatim Liquor candidiſſimus & limpidus, etſi admodum gravis, qui inibi illico concreſcit glaciei ſpeciem exhibens.

Ignis intendendus non eſt, niſi poſtquam univerſus hic liquor glacialis exſtillarit; ſi forte contingeret ut Liquoris quædam portio intra Retortæ collum concreſceret, fundenda illa eſſet, ac illius diſtillatio in Receptaculum promovenda, leniter admoto carbone accenſo loco in quo concretio contigit.

Cum vero nigricans quid in collo Retortæ adparuerit, vel Receptaculi, obiter adaptandum erit aliud Receptaculum roſtro Retortæ, dehinc ignem adaugendo, qui paulatim intendendus erit, ac per gradus, donec producat per aliquod tempus ad ſummam vehementiam, ſeparandarum gratia materierum in Retortæ reſiduarum Mercurij in Sublimato deliteſcens, huncque ſuſum evehendi una cum proprio Sulphure Antimonij, ac omnia fere in collo Retortæ Cinnabaris forma cohibendi, tantillum autem diſtillatione eliciendi in Receptaculum Mercurij currentis ſpecie, commixti particulis quibusdam fuliginofis Antimonij.

Waſis frige factis in fundo Retortæ occurret Maſſa dura, lucida, ad Antimo-



Antimonij formam, pro ista operatione usurpati, accedens; eodemque tempore in summa parte & intra Collum Retortæ, Mercurius occultus, Sublimatio conjunctus Sulphuri terrestri Antimonij, ac una cum illo in Cinnabarin concorporatus.

Obvium necnon erit in postremo Receptaculo tantillum Mercurij resurgentis, commixti cuidam Antimonij fuligini, In primo autem Liquor glacialis, qui Rectificatione opus non habebit si debitum ignis regimen adfuerit, ac novum Recipiens mature substitutum.

Sin dictus Liquor obscurum quid admixtum præ se ferret, is liquefaciendus esset, Receptaculum paulatim calefaciendiendo, illumque exigua Retorta exceptum, Balneo Arenæ igne mitissimo rectificando, adeo ut vice illius quod Retorta continebat obscuri coloris, consequi liceat Liquorem candidissimum & purissimum, quem vocant Liquorem Gummeum, Butyrum aut Oleum glaciale Antimonij.

Hujus præparationis ergo usurpare licet Regulum usitatum Antimonij, aut Regulum Martialem, ac illi adjungere duplum pondus Sublimati Corrosivi, in cæteris eodem modo procedendo ac pro distillatione præcedenti, eaque ratione consequi datum est Liquorem propemodum similem, imo, nonnullorum judicio, præstantiorum, ob Reguli puritatem è quo eductus fuerat.

At discrimen non admodum insigne est, quandoquidem Salia acida, Mercurio corrosivo inexistencia, præcipuè tantum efficaciam suam exserunt in partem Regulinam Antimonij, ac proinde Liquor inde exstillans ab hoc non multum dissimilis esse debet: Adeo ut non immerito prior præparatio amplectenda videatur, adde quod Regulus multo majoris sit pretij quam Antimonium vulgare; Duplicatum adesse debet pondus sublimati corrosivi, ac tandem postmodum nulla expectanda Cinnabaris, quam elicere licet Antimonium crudum admittendo.

De Antimonio asserere licet, ex censu mineralium id esse, quod plurimas præparationes Chymicæ exhibet, sed & id quoque asserere licet distillationem Butyri Antimonij, cum originem præbeat ingenti præparationem numero, singulari omnino animadversione dignum esse, idèoque disquirendas esse rationes immutationum omnium quibus obnoxia est substantia Antimonij.

Ac primo quidem hoc compertum sit; partes acidas Virrioli & Salis Marini, partem compositionis Sublimati corrosivi constituentes, pro dissolventibus & fundentibus partem Regulinam Antimonij habendas esse, ac illi in distillatione conjunctas reperiri; Illud quoque latere non debet Mercurium ab hujusmodi dissolutione in partes nequaquam



venire, quandoquidem obtinere licet Liquorem Glacialem Antimonij, commiscendo ac distillando hoc minerale ex Retorta cum æquali pondere Vitrioli ad albedinem calcinati, ac tantundem Salis decrepitati in pulverem contritorum: similem præterea omnino liquorem consequi datum est, extrahendo spiritum ex partibus æqualibus Salis decrepitati & Vitrioli ad albedinem calcinati, ac commiscendo istius spiritus libras duas sesquilibræ Antimonij pulverisati, & Balneo Arenæ ex Retorta distillando: Imo præterea idem fieri posse constat conjungendo partes æquales A quæ Fortis vulgaris uni parti Antimonij pulverisati eadem ratione in distillatione procedendo, nulla accessione facta sublimati Corrosivi, ut neque ullius Mercurii ad has distillationes.

Secundo id ratum esse debet, etiamsi Mercurii Vitæ nomen impostum fuerit Pulveri ex Liquore isto Glaciali educto, præcipitatione illius præmissa, ablutione & exsiccatione, non tamen Mercurium, qui maximam partem Sublimati Corrosivi constituit, æquis portionibus Antimonio commixtum, distillandi istius Liquoris gratia, basin constituendum esse, uti neque tanquam partem habendum esse, si modo debitum adfuerit ignis regimen distillationis tempore, ac nimio opere ignem urgendo procuratus non fuerit Mercurii, illum resuscitando, descensus in Receptaculum: At vero si accuratus fuerit processus, procul omni dubio Liqueor nullam aliam agnoscit materiam quam partes Acidæ Vitrioli & Salis Marini cum Regulina Antimonij, à partibus acidis istorum Salium dissoluta; Id quod non una ratione confirmari potest, sive substantiam Antimoniam in Liquore delitescens in verum Regulum deducendo, sive ex massa in Retorta superstitite extrahendo universum Mercurium ex Sublimato Corrosivo, in Cinnabrium conversum, aut resuscitatum; sive in aqua dissolutione facta partis acidæ Vitrioli & Salis marini, in hoc liquore contentæ, ac separatione substantiæ Antimonialis.

Tertio perpendendum est ignis calorem, ad hanc distillationem exhiberi, cum in sublimato quandam fusionis speciem excitet, idcircoque Mercurio occasionem præbeat ut pristinam formam readsumat, ac levi negotio in liquorem deducat Salium partem acidam, confuse Mercurij particulis remixtam, quarum divisionem Sublimationis tempore induxerat, Eundem Liquorem, cum substantiam Regulinam Antimonij accommodatiorem nanciscatur admittendæ aculeorum suorum penetrationi, illi cohære, illius partes diducere, quæ Calcinatio Immerisive nomine donari potest; demum impellente ulterius igne, liquoris forma ex Retorta per rostrum prodire, una cum substantia ab ipsa dissoluta & calcinata, guttatim simul in Receptaculum exstillando, restibili in Retorta Mercurio una cum Antimonij parte crassiore.



Cum porro Sulphur naturale, terrestre & inflammabile Antimonij tunc in Reto ita vna cum cæteris partibus crassioribus occurrat, eandem vtro proclivitatem obtineat ad conjunctionem cum Mercurio (observanda in Sulphure communi si quando præparanda sit Cinnabaris vulgaris) eodem tempore cito illius poros subit; atque id amplectitur, adeo ut vna ab igne valido impulsâ, dum abscedunt a cæteris partibus crassioribus Antimonij, vna sublimentur, ac demum perfecta distillatione in Cinnabarin incorporata occurrant, Neque tamen id prohibet quin Mercurij fluidi tantillum in Recipiente occurrat, quandoquidem sufficiens non adfuit quantitas Sulphuris Antimonij ad ipsum cohibendum.

Eapropter etiam Cinnabarin obtinere nemo speraverit si adhibitus fuerit Regulus, aut Vitrum Antimonij ad extractionem Liquoris Glacialis, eo enim tempore cum omnino spoliata sint sulphure suo terrestri, Mercurius autem nullam obviam habeat substantiam idoneam quam amplectatur, impellente igne ex Retorta exitum moliri cogitur, eadem forma quam ante sublimationem obtinuerat.

Cinnabaris Antimonij color maioris est fuscædinis quam Cinnabaris vulgaris, ratione quarundam particularum fuliginosarum Antimonij, quæ sublimantur, ac cum Sulphure ejus terrestri & Mercurio coeunt & incorporantur, vnaque collo Retortæ adhærescunt.

Si elegatiorē quis desideraverit, ad votū res succedet id conterendo ac cōmiscēdo suboctuplæ parti pōderis sulphuris pulverisati, ac vna sublimādo Matratio indita, Balneo arenæ, igne gradatim adhibito, Eo enim pacto particulæ fuliginosæ Antimonij, fuscædinem Cinnabari inducentes, in fundo cum subsideant, sublimatum exsurget intensioris rubedinis, & magis nitentis quam quæ Cinnabari inerat ante hanc rectificationem.

Cinnabaris Antimonij non modo admodum efficax est ad curationem affectuum Venereorum, sed etiam a præstantissimis scriptoribus perhibetur remedium singulare adversus Epilepsiam, id exhibendo a decem aut duodecim ad quindecim aut viginti vsque grana; Boli forma, aliis remediis Cephalicis commixtum.

Liquorem Glaciale quod attinet, cum vis caustica admodum insignis illi insit, eo in statu ad vsus tantummodo externos accersitur, tam inurendarum gratia corporis partium quæ caustico opus habent, ac absumendæ & emendandæ ossium Cariei, quam sistendi Gangrænæ progressus.

At cum vehementia illius effectuum summa cantrone indigeat, ex mādato Domini D'Acquin, primarii Regiæ Majestatis Medici, publici turis facio modum quo Dom. Pelegrinus, Medius Romanensis in Delphinatu, felicissimo successu Liquorem hunc variis in casibus adhibet, plurimis experimentis confirmatum quorum, nec non oculatus sum testis.



## CAPUT LXXXI.

*Quibus modis Dom. Pelegrinus Medicus, in usum  
adhibet liquorem Glacialem. Antimonij,  
Et qui effectus ex hoc expectandi.*

**C**ommisceantur Liquoris Glacialis Antimonij vncia vna, vnciis duabus Olei Sulphuris per campanam distillati, & seorsim recondantur in lagena.

Necnon miscendæ in patina fictili intus vitreata uncia una Liquoris Glacialis Antimonij, & uncia duæ Sublimati corrosivi pulverisati, illa spatula lignea commovendo; hæc cum per decem aut duodecim horas sic persisterint, humiditas superflua calore mitissimo erit evaporanda ad siccitatem usque Pulveris, in lagena vitrea densa rite obturata adservanda.

*Gangræna Curatio.*

Ad coercendum Gangrænae progressum in sui initio, primo scarificanda est pars Gangræna obfessa ad vivum usque, demum admovendus est liquor, aut pulvis inter carnem vivam & mortuam, plus aut minus applicando, pro conditione affectus maioris aut minoris: illic detinendo spatium decem aut duodecim horarum: Sin dolorum vehementia nimio pereurgeret, antequam id spatium temporis elapsum esset, adhibere conducit unguentum suppuratorium & anodynum, inferius describendum, pergendo in usu bis indie, tam ad separationem eschare a carne viva, quam ad carnis & cicatricis generationem in vulnere superstitum, quamobrem tandem admovendi erunt pulvilli ex linteo discorpto parati, superimposito cerato ex Emplastro Palmeo, Cerasæ & Minij, dissoluti in Oleo rosaceo.

*Preparandi causa Unguenti Suppurativi & Anodyni.*

R. Oleorum Rosacei,	Myrrhæ
Liliorum &	Olibani pulverat. a. vnc. j. sem.
Florum Sambuci a. vnc. ij.	Picis nigrae lib. j.
Sevi vervecini,	Terebinth. Limpidae lib. sem.
Vitulini a. lib. sem.	Cera flava vnc. vj.
	Olei stillat. Rosmarini
	Lavendulae aa. vnc. ij.

Misce fiat Unguentum. s. a.

*Vlcera*



*Vlcera cum Ossis carie.*

Ad Curationem Vlcera Cariem ossibus inducentium, illorum labia illinantur Liquore supra descripto, imo guttæ aliquot instillentur in os carie infectum in fundum vlcera, magis aut minus infundendo pro magnitudine aut parvitate cariei; postmodum cooperiendum erit vlcus plumaceolis admotis ac linteo albo & sicco, sic dimittendo per decem aut duodecim horas. Postmodum remotis his plumaceolis, alij imponendi erunt unguento suppuratorio & anodyno delibuti, ossibus vero admoveantur solum plumaceoli sicci: Quando eschara a carne viva abscesserit, deaso osse instrumento idoneo, ac rite separatis cunctis squamis, vniversum vlcus implendum erit plumaceolis siccis & calesfactis, bis in die innovando, superimponendo Emplastrum Divinum oleo Terebinthinæ emollitum, pergendo ad absolutam vsque curationem.

*Fistularum Curatio.*

Ad Fistularum extirpationem, Inserenda est in canalem Fistulæ turunda prædicto Liquore imbuta; Si turundæ denegatus fuerit introitus, Guttula una dicti liquoris per extremum stylum exploratorium infundenda, postea partem splenio apposito cooperiendum, tota die sic dimittatur; Deinceps retrahenda turunda, Fistulæ bis in die vnguentum anodynum admovendo, donec carne vestita perfecte fuerit, sub finem admovendo Ceratum desiccativum.

*Canceri incipientis Curatio.*

Ad curationem Canceri inchoantis, decussatim fiat sectio ad fundum vsque duritiei, eodem tempore instillando quatuor aut quinque guttas dicti Liquoris, dæmnum cooperiendus Cancer plumaceolis & spleniis siccis; Ægrum in lecto per horas viginti quatuor detinendo, nil præter iuscula pro alimento illi exhibendo: Postmodum removendi priores plumaceoli, alijque Vnguento anodyno illiti substituendi, bis in die vulnere manum admovendo, idemque vnguentum adhibendo; pergendo donec eschara decidua vulnus carne repletum occurrat, exsiccandum Emplastri Desiccativi beneficio.

*Canceri Vlcerati Curatio.*

Si Cancer vlceratus fuerit, sola labia livida & dura scarificanda sunt, parti scarificationem passæ guttas aliqua Liquoris infundendo, extirpandæ gratia duritiei; Liquor hic iterum instillandus si prima vice satis eius immissum non fuerit.

*Lupiarum Curatio.*

Ad Curationem Lupiarum eodem modo erit procedendum:



*Verruca, Crista, Fungi, Excrescentia carnea.*

Ad extirpationem Verrucarum, Cristarum, Fungorū, aliarumque Excrescentiarum præter naturalium, funiculus sericeus Liquori immergendus, ac stringenda Excrescentia, si licet; sic dimittendo per horas duodecim, vel donec excrescentia sponte excidat, Demum admovendum Ceratum exsiccativum; Si stringi nequeant Excrescentiæ, contingendæ sunt extremo stilo exploratorio, liquori immerso, superaspargendo tantillum Pulveris, splenijs siccis partem cooperiendo, bis in die renovandis donec Excrescentia excidat, superimposito Cerato desiccativo: Si tamen dolor intolerabilis evaderet, medendū esset ab admotione Vnguenti Anodyni, qui vbi desierint, soli vnguento Desiccativo locus erit.

*Ulcerata Venerea Cancrofa.*

Ad citam curationem Ulcerum Venereorum Cancroforū, saliva maledacienda est extremitas styli exploratorii, impositoque tantillo Pulvere, contingenda sunt Ulcera Cancrofa, aut Carcinomata: etiam si comitem haberent cariem ossium, Demum vitium plumaceolis siccis, cooperiendum, per diem integrum sinendis.

Si doloris æger foret impatiens, removendi essent plumaceoli siccii aliique substituendi Vnguento Anodyno delibuti: Postmodum æger bis in die tractandus, pergendo in vsu ejusdem Vnguenti quousque eschara excidat, postea solis plumaceolis siccis locus erit, pulvillis superimpositis.

Si phlegmone partem invaderet, admovendum esset Ceratum Galeni, Nec tamen istius remedii vsus prohibet, si illorum necessitas inciderit, univèrsalia mali causam abscindere idonea.

## CAPUT LXXXII.

*De Pulvere Emetico, De spiritu Vitrioli Philosophico,  
Et Bezoartico minerali.*

**E**x discessu spiritus Nitri postquam ab ipso dissolutum fuit Argentum; Ex illius dispositione ad tunc dissolvendum Cuprum; Ex nova iterum dispositione ad deferendum Cuprum a se dissolutum pro Ferri dissolutione, Illa iterum quæ superstes est ad Ferrum dimittendum, pro dissolvendo lapide calaminari, seu cadmia; Ex præcipitatione subsequente cunctarum harum substantiarum dissolutionem, superaffuso liquore Tartari, aut cujusdam alterius legitimi Salis fixi vel volatilis, Ex impotentia dissolvendi hæc metalla his spiritibus imbuta, quando aculeos



aculeos suos commiscuerunt aculeis Salium ad Præcipitationem vsurpatorum, Ex omnibus, inquam, his effectibus erroris ii arguendi sunt qui censent Præcipitatorum vi obtundi Acidorum aculeos, atque a sola aculeorum infractione deducendam esse ineptitudinem conservandi metalli dissoluta ab illis soluta, & agendi potentiam ac dissolvendi quam ante obtinuerant.

At vero examen eorum quæ contingunt in præparatione Olei Glacialis Antimonij, aliorumque inde pendendum, pertinaciam illorum superare debet; Quandoquidem enim Mercurius ope spirituum acidorum salis & vitrioli, vna cum ipso sublimatorum, corrosus & dissolutus, obfusus est aculeis multo acutioribus & penetrantioribus quam qui insunt dictis spiritibus antequam Mercurio jungerentur; lidem porro spiritus Mercurium deserunt, corrosuri & dissoluturi partem Antimonij Regulinam, verisimiliter Mercurio multo duriores & magis obnitentes; Denique, cum iidem spiritus, quorum retusi deberent esse aculei in Mercurij dissolutione ac partis Regulinae Antimonij, huic postremæ adjuncti, terebrant & comburunt partes quas attingerint, majori vehementia & celeritate quam sublimatum corrosivum, imo ipsum Aurum dissolvere valent; porro cum hujusmodi dispositionibus tantummodo priventur quando cuiusdam salis complicati fuerint, in quo aculeos suos abscondere queant, vel quando infracti fuere dilutione facta in aquæ copia insigni, non video quomodo in posterum propositi tenaces esse velint, aut veritati amplius oblectari.

Interim cum diutius immorari animus non sit circa res adeo manifestas, transitum faciens ad præparationes quarum tractatum adgredior, hoc assero, cum qualitas caustica Liqueoris Glacialis Antimonij adscribenda solum sit parti Acidæ Vitrioli & Salis marini, in Sublimato corrosivo delitescenti, ad præparationem istius Liqueoris vsurpati, hæc autem, pars in aqua dissolubilis sit, arduum non esse illam secernere, neque requiri Præcipitantium opem, ad promovendum in fundum substantiæ Regulinae Antimonij descensum, quæ cum potissimam istius liqueoris partem constituat, in aqua sicuti Salia dissolvi non potest, quandoquidem Acidæ in non mediocri aquæ copia diluendo, adeo infringuntur ut deserere cogantur partem Antimoniam ab ipsis dissolutam ac in liqueorem deductam; Cum porro potiori jure in commodum cedere debeant facultates, emetica & purgatrix, uti & diaphoretica partis Antimonialis liqueoris, quam corrosiva salium acidorum, Antimonij dissolutionem foventium, ideo necesse est tenere modum separationem perficiendi.

In Diplomate tepido liquefeat Glacialis Liqueor a me memoratus in



Receptaculo occurrens; imponatur pelvi fictili mundæ, intus probe vitreatæ; affundatur duodecies tantum pondus Aquæ limpidæ tepidæ & filtratæ, ex qua mistura exsurget Lac albissimum; demum optime dilutis & commotis materiis spathula lignea, permittenda erit subfidentia per duas aut tres horas; hinc decantandus erit, & recondendus in lagena, liquor limpidus supereminens substantiæ Antimoniali; postmodum crebris affusionibus factis aquæ limpidæ abluendæ, donec ad summum dulcorata sit: Denique in umbra exsiccata, ac in mortario marmoreo aut Vitreo pulverifata, recondenda erit in lagena vitrea densa rite obturanda.

Iste Pulvis cognomine Algaroth donatus fuit, ab Authore, alias Emeticus dicitur, ratione effectus; Inepte Mercurius vitæ, ob rationes superius adductas.

Præcipuæ illius facultates sunt expurgatio, per superiora æque ac inferiora, cunctorum vitiosorum humorum, exhibendo Boli forma, a duobus aut tribus ad quinque aut sex grana, ex quapiam Conserva, vel alia quapiam re convenienti, aliis purgantibus commiscendo, iusta observata proportione.

Commodissime etiam exhibetur in Hydrope, Febris Intermittentibus, cunctisque Cerebri, Ventriculi ac Uteri affectibus, a redundantia humorum oriundis.

Prior Liquor adservatus, in se continens partem acidam Olei Glacialis, saporem quoque acidissimum obtinet; Aciditas vero ista multo maior futura est, si Balneo arenæ concentratus fuerit dictus Liquor, evaporatione facta maximæ partis humiditatis. Quo pacto obtinere dabitur liquorem quem Authores Spiritum Vitrioli Philosophicum vocant, tum ratione partis acidæ Vitrioli, materiam illi præcipuam subministrantis, tum quia sapore & facultatibus ad illum fere accedit; quo fit ut ore adsumendus præscribatur ad eosdem scopos ac spiritus vitrioli vulgaris, Spiritus enim iste Naturæ familiaris est, cum ex opposito Acida, ex quibus constat, destructoribus potius accensenda essent, quamdiu cum parte Regulina Antimonij concentrata erant.

Pulveris Emetici efficacia retundi poterit, quinimo id obtinere licuerit ut per inferiora tantum corpus expurget, si illum immittendo exiguæ Cucurbitæ vitreæ, Balneo arenæ, igni moderato imposito, inibi detineatur donec fulvum colorem induere incipiat, postmodum bis vel ter superaffusus fuerit vini spiritus rectificatissimus, toties illum abstrahendo, demum hunc Pulverem eodem modo eademque dosi ac Pulverem Emeticum vulgarem exhibendo, nomine Pulveris Emetici correcti insigniendum,



At vero Pulvis Emeticus facultate emetica & cathartica omnino exui poterit, ac diaphoreticam induere hac ratione procedendo.

Huius Pulveris quantum volueris immitte exiguæ Cucurbitæ Vitreæ, Balneo arenæ impositæ, superaffunde triplum pondus Spiritus Nitri, spatula lignea commovendo, ac probe hunc Pulverem in Spiritu diluendo, evaperatio fiat totius humiditatis, ignis mitissimi ope, donec solum superstes sit massa candida & sicca in fundo Cucurbitæ: Hæc probe abluta, & perfecte dulcificata, ac pulverifata, custodienda est in lagena vitrea accuratissime obturanda.

Pulvis hic Bezoartici mineralis titulo donatus fuit, tum ob facultates Bezoarticas, quibus pollet, tum ob substantiam illius, quæ tota quanta est mineralis.

Commodissime præscribi potest istud Bezoar ad cunctos affectus in quibus Lapis Bezoar ex animali eductus, exhiberi solet: mirum robur addit omnibus partibus principibus, ac a venereorum insultibus præservat; massam sanguineam expurgat, atque ab ea secernit, vti & toto corporis ambitu, ferè acrecui cõmodus exitus alia via quam per poros cutaneos non patet.

Eapropter insignis censetur efficaciam in morbis a corruptione aut depravatione massæ sanguineæ oriundis, præsertim in scorbuticis affectibus, ideoque felici successu dari solet adversus Pestem, Variolas, Morbum billos ac quosvis affectus epidemicos.

Cum gravitatis ratione ad imum liquorem deferatur, fere tantum Boli forma præscribitur, ab octo aut decem ad viginti aut triginta grana, remiscendo conservæ, aut materiæ cuiuspiam idoneæ; Commodissime etiam addi potest remediis purgantibus & aperientibus, ad roborandas partes principes dum illa opus perficiunt.

## C A P V T LXXXIII.

### *De Sulphure Antimonij.*

**S**ulphur hic loci a me adductum non audio tanquam Antimonij præcipitiorum unum, quod intime vnitum partibus illius purissimis, ab his fere inseparabile est, at satis mihi est hic tradidisse modum extrahendi & separandi sulphur terrestræ & flammabile Antimonij, flammæ cæruleæ specie sæpenumero se prodens, eo præsertim tempore cum Pulvis Antimonij calcinationi subijcitur, Vitri præparandi gratia; Vel concorporatum substantiis extraneis, sicuti id adparet cum peracta distillatione Olei glacialis Antimonij, Mercuriis in Cinabrium sublimatur, ac Sulphur inflammabile Antimonij illi se adiunxit.



Porro cum impossibile sit fugam sulphuris in flammam abientis fistere, per calcinationem pulveris Antimonij, quando Vitrum conflandum est, id omnino dimittendum est, Sulphur autem in Cinnabari Antimonij contentum quod attinet, id conservandi gratia, rationes traditurus sum ne dispareat, etiamsi aliis mediis liceat fecernere Sulphur purum ex Antimonio crudo, quale præsertim intra mineram occurrit.

Paretur Lixivium fortissimum ex cineribus ligni solidi & carie non exesi, Calce viva & cineribus clavellatis; quo rite filtrato, ac excepta fictili vase optime vitreato Cinnabaris pulverisatæ libra vna, vas lixivio omnino fere adimplendum erit, ebullitioni omnia committendo per tres aut quatuor horas, per vices recens lixivium vasi infundendo in vicem ejus quod absumitur, Demum calente filtrato liquore e vase educto, secretoque ac recõdito Mercurio resuscitato in fundo reperio; licebit, si ira visum fuerit, acetum stillatrium liquori superfundere, sulphuris præcipitationis vrgendæ gratia, vel sponte refrigerato liquore filtrato, expectare donec Sulphur Cinabrij, quod Antimonij est, sponte in vasis fundum præcipitatum fuerit: Id postmodum plurimis aquis ablutum, quoad absolute edulcatum sit, exsiccandum & servandum, ad vsus reconditum in lagena vitrea densa, probe occludenda.

Sulphur istud a duobus ad tria aut quatuor grana fusque deque quosvis vitiosos humores cum impetu expurgat, non secus ac Sulphur Auratum quod elici solet e fæcibus Croci Metallorum, Eapropter etiam seorsum perquam raro exhibendum, ac nonnulli fatius ducunt ex eo Paracæam concinnare, id commiscendo vnciæ vni Reguli Antimonij subtiliter triti, ac tribus unciis Olei sulphuris, aut spiritus Vitrioli optime rectificatorum simul, per triduum digestionem committendo, distillando ac ret cohobando ex Retorta, igne Arenæ; tandem ignem per duodecim horas impellendo ad meliorem materiæ fixationem, aqua Rosacea postmodum abluendam quoad probe edulcata sit, deinde exsiccando, quam præbent a decem aut duodecim granis ad decem aut viginti, ad depurandam massam sanguineam, per sudores aut insensibilem transpirationem.

Nonnullis tamen hæ procedendi viæ non arident, effracta enim Retorta materiã reverte rationi subijciunt per quinque aut sex horas, quam ablutam ac siccitam, & in pulverem contritam commiscunt duplicato ponderi magisterij Perlarum aut Coraliorum antequam exhibeant.



## CAPVT LXXIV.

*De Singularibus quibusdam Antimonij Preparationibus.*

**L**ibra una Antimonij pulverisati cucurbita vitrea, sub camino reposita, excipiat, superaffundatur illi æquale pondus aquæ Regiæ, permittatur Antimonium aquæ actioni donec illud penitus dissolutum fuerit: demum imposita Cucurbita Balneo arenæ, suoque capitello instructa, abstrahenda erit aqua Regia igne lenissimo ad siccitatem usque materiæ: Dehinc subtilem in pulverem deducta massa igne mitissimo, eaque remissa libræ uni Salis Ammoniaci pulverisati, mistura hæc excipienda erit Cucurbita vitrea Alembico suo munienda, exiguum Receptaculum eius rostro adaptando, accurate commissurus luto investiendo; imposita autem Cucurbita Balneo arenæ, in capsula idonea, accensoque igne admodum moderato infra Balneum, maxima Antimonij pars in Flores sublimis efferetur, partim Capitello adhæsus, partim supremæ Cucurbitæ parti, una cum parte volatili Salis Ammoniaci.

Absoluti Sublimatione, vasis autem refrigeratis, ac decrustatis, Flores obvii erunt variegati coloris, quibus collectis, contritis, ac confusis parti in Cucurbita superstiti, iterata suscipienda erit Sublimatio, in omnibus eandem ineundo methodum ac ante, quinimo has easdemmet operationes reperitis vicibus perficiendo: Demum in unum congerendo id quod sublimationem passum est, pars Salina omnino per plures ablutiones fecernenda erit; donec Pulvis Antimonij penitus dulcificatus sit, qui exsiccat ad usus servandus.

Pulvis hic per inferiora tantummodo vacuat: omnes vitiosos humores leniter expurgat, eum exhibendo à duobus aut tribus ad quatuor aut quinque grana, commixtum pulpæ pomi costæ, aut conservæ alicui, condito &c.

Potest etiam super porphyrite lævigati certa quantitas Vitri Antimonij, præparati sicuti dixi citra additamentum; Pulvere autem optime madefacto spiritu Aceti, magma Soli expositum exsiccare, quod iterum contritum, humectandum etiam spiritu Aceti, rursus ad Solem exsiccandum; pergendo in tritura, humectatione, & ad Solem exsiccatione, donec Pulvis eximum adipiscatur colorem: Demum immisso Pulvere Cucurbitæ Vitreæ, affuso huic spiritu Vini rectificatissimo, donec Pulverem superet tribus aut quatuor digitis, Cucurbita



Balneo arenæ imponenda erit, imposito Alembico cui adhæreat exiguum Receptaculum, juncturisque rite lutatis, abstrahendus erit spiritus vini igne mitissimo ad ficcitatem usque Pulveris ad usus ferendi.

Pulvis hic nequaquam vomitum ciet, sed semper alvum infernam movet, aliquando etiam sudores, juxta scilicet humorum inclinationem.

Eadem illius quantitas quæ superioris: Commodissime etiam in usum venire potest ad curationem Februm Intermittentium.

Ex Vitro Antimonij subtilissime contrito, ac Matratio immisso, elici potest Tinctura, illi affundendo decuplum pondus olei succini rectificatissimi, vel Olei Terebinthinae, aut baccarum Juriperinarum; Imposito demum Matratio Alembico cæco, accuratèque luto incrustatis juncturis, illud Balneo, Arenæ immittendum erit, digestionem materierum promovendo, subdito igne intenso, adeo ut liquor in ebullitionem paratus videatur, producendo donec coloris intensi fuerit.

Tinctura hæc per sedes tantum aut sudores vacuat, Dosis est a duabus aut tribus guttis ad quatuor aut quinque, ex liquore aliquo convenient. i.

Sapam, aut Rob Antimoniale Purgans, nequaquam vomitorium, hac ratione preparare licet.

Capaci Matratio immitatur Antimonij pulverisati semilibra, illi superfundantur succi Cydoniorum rite depurati libræ sex; Matratiij orificium subere obstruatur; Maceratio fiat per tres hebdomadas, imposito vase Furno Pistoris, per vices materias commovendo: Demum Matratio Balneo Arenæ commisso, paulo calentiori quam ad ordinarias infusiones, ibi reposito ad vigintiquatuor horarum spatium, filtrandus erit hic liquor, cuius humiditas superflua evaporanda erit ad consistentiam Roob, quod exhibere licet à drachmis duabus ad unciam integram.

Liquor Antimonialis, dulcedine cum melle certans, hac methodo perficiatur.

Antimonij crudi, addito Oxyelite simplici, semilibra super Porphyrite lævigatur, donec Antimonium summam tenuitatem adeptum sit: Mistura hæc Cucurbita vitrea excipiat, affundatur illi Acetum stillatitium ad eminentium duorum aut trium transversorum digitorum; Admoveatur Cucurbitæ vas cæcum; Luto juncturae muniantur; Reponatur supra Furnum Pistoris ad mensem integrum, ut concedatur Aceti spiritui sufficiens temporis spatium ad omnimodam pene-



penetrationem substantiæ Antimonij: Cucurbita Balneo arenæ committatur, nonnihil calidiori quam decet ad digestiones perficiendas; Post moram viginti quatuor horarum, & sponte frigefactis materiis, decantatur in alteram Cucurbitam Liquor supra Antimonium fluigans, imponitur hæc Balneo Arenæ, cooperienda imposito Alem-bico, cui adjunctum sit Excipulum; Probe commissuris luto obductis, ope ignis per gradus admoti primo educitur phlegma, ac demum Liquor rubens mel dulcore superans, lenissime purgans, exhibendus ex liquore idoneo, à scrupulo vno ad drachmam.

Præparatur necnon alius Liquor Antimonialis, Melliti cognomine, hac processus ratione.

Per quindecim dies maceretur supra Pistoris furnum Antimonij pulverisati libra vna, additis mellis purissimi libris quatuor, per vices commovendo, demum exiguo igni exposita coquantur, continuo spathula versando, donec cuncta picis instar spiffescant ac friabilitatem digitis contrectata exhibeant; Postea Retorta argillacea excepta, luto incrustata, Furno Reverberatorio imposita, admotoque rostro grandi globoso Receptaculo, ignis vi, per horas viginti quatuor producti, observatis rite gradibus, elicitur Liquor plurimis Antimonii particulis imprægnatus, ac una nonnulli Flores quos fecernere licet, emetica & dejectoria facultate præditi, non secus ac cæteri Antimonii Flores.

Liquor hic insigni penetrabilitate gaudet, imo & corrosiva; admotum idoneus non solum expurgandis ulceribus, sed & absumendis superfluitatibus & excrescentis: Eximius quoque est in Gangræna: Seorsum admovetur, aut Melli rosaceo commixtus, Decoctionibus, Tincturis, Linimentis aliisve remediis.

Nonnulli etiam conterunt partes æquales Antimonij: Sacchari Cantij, & Aluminis vsti; quibus rite commistis, & simul commissis Retortæ argillacæ, luto obductæ, adjunctum rostro habenti Receptaculum capax, seduloque lutatis commissuris, igne gradatim adhibito, sed recto regimine, educunt Liquorem rubeum, singularis efficaciam ad curationem quorumvis vlcera.

Tædium proculdubio Lectori parerem si maiori præparationum Antimonii numero caput hoc adaugerem: At vero cum maxime necessarias huc intulerim, & quæ crebriori versantur in usu, spero curiosos Lectores boni consulturos si hos ad Basilium Valentinum, Schroderum aliosve Authores relegarim, qui fusius materiam hanc pertractarunt quam mei fuerit instituti.



## CAPVT LXXXV.

*De Bismuthi Præparationibus.*

**B**ismuthum Corpus est minerale, semimetallicum ex prima materia constans, sed adhuc rudi & imperfecta Stanni, conjuncta Sulphuri & Mercurio terrestribus, improbe digestis, plurimo Sali Arsenicali impuro commista, in mineris prædicti metalli, generationis illius tempore productum.

Bismuthi istius substantia admodum dura est; fragilis, granulosa, granis grandioribus, lævibus, albis & pellucidis donata: Vulgari nomine vocant Stannum Glaciei, quod Stanni plurimam partem obtineat; postquam vero effractum fuit non paucas exiguas superficies, glaciei instar læves exhibent; Sed præterea Authores Marcasitæ nomen per excellentiam indiderunt, eo quod cæteras Mareasitarum species candore & elegantia superet.

Sal Arsenicale naturale, quod partem compositionis Bismuthi constituit, in causa est cur præparationem nullam subeat ad usus internos, sed solum modo ad exteriores; ad quos usurpatur præsertim illius Magisterium, cuius hæc sit præparatio.

Distillanda iuxta regulas Aqua Fortis, ex partibus æquis Nitri & Salis Marini, vel pari quantitate Nitri & Aluminis; conteratur & abluatur Bismuthum, donec aqua pellucida prodeat; huius uncix quinque Matratio Vitreo capaci immittantur; superaffundantur uncix quindecim alterutrius dictarum Aquarum Fortium; absoluta vero omnino dissolutione, præcipitanda hæc erit affuso spiritu Vini rectificato Sali Tartari; Demum superinjecta plurima aqua limpida, subsidentia Præcipitati facta, decantato, & seorsum reposito Liquore eminente, plurima aquæ affusione, per linteum tenue transcolare, abluendum erit, donec omnimode dulcificatum sit: in umbra autem exsiccatum, inter binas chartas repositum, exhibiturum est Magisterium candidissimum, usurpandum in cunctis Cutis infectionibus, ac præsertim ad cultum & nitorem vultus Matronarum, aquis idoneis id remiscendo, aut Vnguentis Pomaceis, quamobrem à nonnullis dictum fuit *Album Perlatum*.

Aqua prioris ablutionis, quam seorsum adservandam præcepi, admodum convenit curandæ cuius Scabiei & Herpeis speciei.

Præcipitatio Bismuthi fieri poterit, infringendo vim ipsius dissolventis,



vēntis, injecta non mediocri quantitate aquæ puræ, dimisso vini spiritu: Sed cum Bismuthi portio in aqua adhuc dissoluta permaneat, eapropter minorem magisterij quantitatem consequi licet.

Ex Bismuthi Floribus licet etiam elicere Liquorem, ac Sal Crystallinam, hoc processu observato.

Subtilissime super Porphyrite teruntur Bismuthi libræ decem vel duodecim; hæ excipiantur grandi Cucurbita vitrea, illis affundatur æquale pondus vini albi austeriusculi: Cucurbitæ superimponatur Alembicum cœcum, quæ collocata in Balneo Arenæ moderate calido, detinenda erit per tres aut quatuor dies, materias per vices commovendo: Deinceps, effuso & seorsum reposito prædicto Vino, recentique æquali quantitate Bismutho affuso, novæ digestiori incumbendum erit, imo recentis vini affusionem reiterando, cunctasque cæteras operationes quinquies vel sexies: Postmodum reafundendo super Bismuthum partem vini antea elicti, imponendo Cucurbitæ proprium Alembicum, Receptaculo instructum; ritèque luto obductis commissuris, vinum id Balneo arenæ, igne moderato destillandum, seorsum si lubet reponendo spiritum primo prodeuntem: Demum sponte refrigeratis, & decrustatis vasibus, Bismutho infundendum erit tantundem eiusdem Vini quantum prima vice; pergendo in affusione & abstractione vini donec nihil amplius illius superstes sit, Bismuthum autem in Retorta siccum remaneat. Tunc obstructo Alembici rostro, urgendus ignis evehendorum ergo sursum Florum Bismuthi, qui albi & nitentes in Alembico conspicui erunt; Tales adservandi in lagena vitrea densa, probe obruranda, vel in liquorem deducendi, repositi in cella Vinaria, Vniversus liquor distillatione eductus igne miti evaporandus, qui ad exiguam copiam deductus, cellæ vinariæ committendus erit ad crystallisationem, stramina aliquot interferendo ut Crystalla illis adhæreant, Postea decantato liquore illis supereminente ad usum recondi debent.

Flores & Liqueor exinde educti admodum conveniunt emaculandæ Faciei, ac emendandis cutis infectionibus: Eximij quoque indicantur, sicuti & Crystalla, ad curationem Fistularum & Ulcera malignorum Cancroforumque.

Prætermitto Aquas, Extracta, Vitra, aliæque Præparata ex Bismutho expectanda, quippe quæ in Pharmacia usum non obtinent.

Præter Bismuthum naturale, à me supra descriptum, nonnulli Artis Chymicæ periti, ex observatione Principiorum, ipsius compositionem constituentium, rationem artificiale conficiendi excogitarunt,



adeo elegans, ad nativum tam prope accedens, ut ab eo hoc fictitium distinguere admodum arduum sit; Ecce illius compositionem, mihi communicatam, sicuti & Zincki artificialis, à viro quodam rerum novarum curiosissimo.

Stanni purissimi libra una in Laminas deducatur, in exigua frustra dividantur, postmodum conficiatur cementum ex Arsenici sesquilibra, Tartari albi libræ quadrante, & Nitri semiquadrante, Conferuntur omnia & simul commisceantur, postea alternatim cementum & Stannum, stratificatione facta, optimo crucibulo immittantur, idoneæ Fornaci imponendo, ad ignem patentem, lenem initio, & per horæ spatium, successive ad auctum ad fusionis usque gradum per horas quatuor, Postea materia in Conum fusorium infundenda erit, calefactum & sebo illitum, ad effingendum cylindrum, ad auctiorem factum accessione trientis ad libram unam Stanni.

Zinckum ex iisdem conficitur materiis, eadem dozi, eademque ratione qua Bismuthum, at vice Stanni usurpatur Plumbum, pauca addita Cadmia.

Nota, quo sæpius fusio utriusque facta fuerit, addito pauco Arsenico, eo elegantiora & nitidiora illa evadere.





# PHARMACOPŒÆ

## PARS QUARTA.

### CAPVT I.

*Complectens varia Remedia singularia, ex plurimis Authoribus celeberrimis deprompta, & à nonnullis Eruditis & Curiosis communicata,*



VM propositum scopum ni fallor attigerim, enarrandi videlicet methodice quæcunque utramque Pharmacia[m] spectant, ac candido animo sinceroq; publici juris fecerim quicquid conducere credidi instituendis illis qui Arti huic se addixerunt, colophonem addere non posse me alia ratione credidi, quam in publicum emissis pluribus remediis electis, crebro experimento & usu à me comprobatis, quorum etiamnum nonnulla vel perraro aut nullatenus apud Authores obvia sunt; at cum id apud me ratum sit eximiam remediorum efficaciam in medicamentorum componentium numero insigni quærendam non esse, illorum sequax huc inferre nolui Formulas ingentes, ingredientium numero, & materiae diversitate quam felici successu potius commendabiles & ad ostentationem conscriptas: Vice versa in id solummodo incubui vt inferrentur remedia crebro usu confirmata; quæ ex paucis quidem consent medicamentis, sed selectis, rite preparatis, instaque dozi præscriptis: unde proculdubio expectati fructus liquebunt utiles prodituri sunt.



## Aqua

## Aqua Apoplectica

R. Summitatum Majoranae  
 Florum Tilia  
 Liliorum convallium

Rorismarini  
 Lavendula, &  
 Primula veris aa. m. iij.

Macerentur per octo dies ad Solem, vel in Hypocausto, in Spiritus Vini re-  
 Etificati, & Aqua Florum Arantiorum aa. lib. iij., deinde in Balneo Arenae  
 ex arte distillentur, & servetur Aqua.

## Vires

Præstantissima est hæc Aqua ad corroborandum Cerebrum, ac  
 partes principes: Dosis illius est à semi cochleari ad integrum, tam  
 ad præsertionem quam Curationem Apoplexiæ, uti & omnium cere-  
 bri affectuum.

## Aqua Benedicta Serpilli.

R. Serpilli floridi, decrefcente Luna ante Solis exortum collecti unc. ij.  
 Chamomilla maioris, Satureia, Thymi aa. unc. j.  
 Fiat omnium Infusio per octiduum in optimi vini spiritus lib. viij. exempli  
 gratia Rheñani, Postmodum distillentur.  
 In Liquore distillato iterum infundantur Serpilli recentis, floridi.  
 Cinnamomi unc. j. Xyloaloes & Macis ana unc. sem.  
 In particulas tenuissimas incidantur, prægressaque levi maceratione, omnia  
 per Alembicum iterum exstillentur Balneo Mariæ, Eliciatunque Aqua ad usus  
 servanda.

## Vires

Minsicht eximiam ait esse hanc Aquam ad quascunque Fluxiones  
 sistendas, corroborandum & excalesciendum Cerebrum, Ventricu-  
 lum & Intestina, excitandum Appetitum, Reserandos lotii meatus,  
 Calculos expellendos, sedandos dolores colicos & Tormiaa, Flatus  
 discutiendos, Vomitus sistendos, menstruum fluorem promovendum,  
 secundinas & Fœtum mortuum pellendum.

Exhibet à semuncia ad vnam vnciam vel binas.

## Aqua Bezoartica.

R. Radicum Carlinæ & Vincetoxici aa. unc. iij.

Foliorum Scordii, Ruta, Cardui Benedicti, Melissa, & Summitatum hyp-  
 oici aa. m. ij.

Macerentur



*Macerentur confusa vel incisa omnia in Aqua Nucum stillatitiae libra iv, & Spiritus vini libra j.*

*Ignē arena moderato distillentur: Ex residentia vero combusta Sal extractum in aqua ad usus servanda dissolvatur.*

## Vires.

Aqua hæc summæ est efficacix adversus Pestem & omnes morbos Epidemicos:

Dosis cochleate unicum in præservatione, At si sudores provocandi, possunt dari quatuor cochlearia, ut effectus manifestiores succedant.

## Aqua ad comminuendum Calculum Quercetani.

R. Succorum Porri, Raphani, Cæpæ ãã. libra ij.

*Limonum, Parietariæ, Auriculæ muris ãã libra sem. omnium horum Succorum simul mixtorum fiat primum digestio & fermentatio, dein distillatio, Addi quoque potest Crystalus calcinata, necnon simus columbinus, qui totus est nitrosus, singulorum quantum satis est.*

## Vires.

Quercetanus miris laudibus effert hanc Aquam ad comminutionem Calculi, asserens hunc ab illa insensibiliter alteri, a tenuari, & dissolvi materiam mucilaginosam & tartaream calculi parentem, tum in Renibus tum in vesica, innoxies vero & citra dolorem operari.

Exhibetur ab uncia una ad duas, usurpari etiam potest ad injectiones.

## Aqua ab idem ejusdem Authoris.

R. Succorum Esule usinoris, verrucariæ, centumnodiæ ãã vnc j.

*In his macera Boracis vnc. j.*

*Distilla Aquam, & serva ad eundem usum.*

## Vires.

Idem Author hanc Aquam admodum commendat ad eosdem effectus, eadem ratione in usum adducendo.

## Aqua Columborum Cosmetica.

R. Columbos juniores exenteratos & in frusta dissectos N°. ij.

*Nucleorum Persicorum, Seminum quatuor frigidorum mundatorum ãã vnc. iv*

*Albumina ovorum N°. xij.*

*Succum quatuor Limonum.*

*Macerentur horis duodecim in Lactis Caprini libra iiij.*



*Deinde in Maria Balneo distillentur.*

*Aque distillate addantur Boracis, Caphure.*

*Sacchari candidi, Aluminis vsti pulveratorum aa. drachm. ij.*

*Soli per triduum prius exposita per quindecim dies in cella steni vinaria, filtrataque aqua ad usum servetur.*

Vires.

Aqua hæc lenit, candorem & nitorem vultui conciliat Matronarum. Quavis hora potest abluī facies, sed potissimum vesperi. & mane.

Aqua alia Columborum.

R. *Myrrhe electæ pulveratæ vnc. vj.*

*Columbos iuniores excuteratos & in frusta dissectos N<sup>o</sup> ij.*

*Vini Hispanici & seri lactis aa libras ij.*

*Succi limonum, sempervivī majoris & Pomorum fragrantium aa libra j.*

*Aquæ Rosarum & Nymphae aa. libram sem.*

*Albumina Ovorum N<sup>o</sup> ij.*

*Omnia permixta, & Alembico vitreo excepta in Balneo Maria distillentur, & servetur Aqua ad usum.*

Vires.

Vfus istius Aquæ idem qui prioris, iidemque effectus sperandi.

Aqua alia Cosmetica.

R. *Sacchari albissimi libra j.*

*Aluminis Rupei vncias iij.*

*Seminis Papaveris albi vncias ij.*

*Florum Fabarum, Nymphae & Violarum, & Herba sempervivī majoris aa m. j.*

*Succum quatuor Limonum.*

*Micas duas panis albi.*

*Lactis Caprini & Vini albi aa libram j.*

*Contusis contundendis, permixta & excepta omnia Alembico vitreo, in Balneo Maria distillentur, & servetur Aqua ad usum.*

Vires.

Aqua hæc præstantissima est ad læyorem candorem & nitorem vultus non secus ac præedentes.

Aqua Diuretica D. D. D. Aquin.

R. *Radicum Onalidis, Apii, Fœniculi & Eryngij, Baccarum Juniperi & Alkekengi aa, drachm. ij.* Folio.



*Foliorum Virgæ Aureæ, Nasturtij aquatici, Berulæ, & florum Sambuci* āā. m. ij.  
*Contusa vel incisa omnia macerentur horis viginti quatuor in vini albi &*  
*Succorum Raphani & Parietariæ* āā libra ij.  
*Addantur mellis Narbonensis* libra i.  
*Terebinthinæ Venetæ* libra sem.  
*Distillantur ex arte igne Arenæ moderato.*  
*Adde singulis Aquæ distillatæ libris Spiritus Salis dulcis* libraj.

## Vires.

Mira præstat hæc Aqua in difficultate urinæ : Dosis ab vncia vna ad duas vel tres.

## Aqua Diuretica alia.

*R. Radicum Petroselinæ, Raphani, Valerianæ majoris, & Nuculorum Persico-*  
*rum* āā vnc. iiij.  
*Seminum Bardanæ & mili Solis* āā vnc. ij.  
*Foliorum Pimpinellæ, Nasturtij Aquatici, Beccabungæ, Sisimbrij & Capillæ ve-*  
*neris Monspel.* āā m. iiij.  
*Contusa omnia in vini albi generosi libris vj. per triduum macerentur.*  
*Deinde additis Terebinthinæ Venetæ libris ij. igne arenæ distillantur, & serve-*  
*tur Aqua ad usum.*

## Vires.

Aqua hæc propemodum easdem obtinet vires quas præcedens, eodemque modo vsurpari potest.

## Aqua Anti Epileptica Langij Correcta.

*R. Rasuræ cranij humani, visci quercini, Radicis Pæoniæ, & Dictamni albi* āā vnc. ij.  
*Florum Liliorum conuallium recentium* m. ij.  
*Lavendula, Rorismarini & Tiliæ* āā. m. iiij.  
*Cinnamomi* drachm. vj.  
*Nucis moschate* vnc. sem.  
*Garyophyllorum, Macis & Cubebaram* āā drachm. ij.  
*Contusa omnia Matratio accurate obturato excepta in vini Maluatici libris viij. per hebdomadam lentissimo calore macerentur, deinde igne Arenæ moderato distillantur, & prolecta Aqua Anti Epileptica seruetur ad usum.*

## Vires.

Iam à plurimo tempore in pretio fuit hæc Aqua Anti Epileptica Langij, At multo præstantior futura est addita rasura Cranii humani, ac



parata juxta præcedentem descriptionem : Exhibetur in paroxysmo Epileptico à drachmis duabus ad unciam ; Commode etiam præscribi potest tam ad curationem istius effectus quam ad præcautionem, Admodum quoque idonea est adversus cunctos cerebri frigidos affectus.

Aqua ad delendas Faciei maculas.

R. *Fragorum* libra i. sem.

*Florum Liliorum & Fabarum* ãã libra sem.

*Aluminis Rupei & Plumbei* ãã. vnc. sem.

*Salis Gemmei, Nitri, viridis Aris* ãã. drach. sem.

*Macerentur per decem dies in vini malvatici, mellis Narbonensis & Aceti ex vino albo* ãã libra i.

*Demum distillantur lento Arena igne, & reconde Aquam ad usus.*

Vires

Aqua hæc admodum convenit delendis vultus maculis, illi immerguntur linteorum segmina, admoventurque locis maculis fœdatis in lecti introitu, demum mane eluuntur aqua Nymphææ.

Aqua Febrifuga adversus Febrem Quartanam.

R. *Radicum & foliorum Fœniculi,*

*Foliorum Absinthij, Salvia, Ruta, Artemisia, & Rorismarini, vel Florum ejusdem, summitatum Centaurii minoris* ãã pug. ij.

*Macerentur hæc simplicia per triduum in Vini albi libris quatuor; fiatque demum distillatio s. a*

Vires

Plurimum commendatur hæc Aqua contra febres intermittentes, præsertim Quartanam, exhibendo initio paroxysmi ab uncia una ad quatuor.

Aqua Quercetani ad Gonorrhœam fœdam & virulentam, etiam inveteratam.

R. *Radicum Iridis Florentina, Foliorum Dictamni Cretensis, & mentha siccatiorum* ãã. vnc. j.

*Seminum Agni Casti, Ruta, Lactue* ãã. drach. vj.

*Terebinthina Veneta* vnc. iv.

*Vini albi* uncia xx.

*Contundenda contendantur, omnia Alembico excipiantur : Balneo Maria secundum artem distillantur, servetur Aqua ad usus.*

Vires



## Vires.

Præstantissima est hæc Aqua ad curationem Gonorrhoeæ etiam maxime malignæ & vetustissimæ, dummodo non neglectæ prins fuerint purgationes aliquæ Remedia universalia: Quolibet mane danda duo cochlearia, ieiuno ventriculo, pergendo in illius usu ad aliquot dies.

## Aqua Schroderi ad Affectus Gutturis.

R. *Foliorum Pyrastri, Apii, Sanicula, Perichlymeni, Scordii, Pentaphylli, & Aristolochiæ rotundæ* ãã m.ij.

*Matri sylvæ cum toto* m. iv.

*Cerevisiæ acescentis* libra iv.

*Omnia vase idoneo excipiantur, rite obturando ut simul fermentescant spatio trium septimanarum, Demum additis Albi Græci, i. e. stercoris albi canis vnciis iij.*

*Fiat Distillatio per Vesicam.*

## Vires.

Hæc Aqua exhibetur in inflammationibus Gutturis & Columellæ: sæpius gargarifanda, linteaque illi immerfa collo circumdantur.

## Aqua Anti Epileptica Hirundinum correcta.

R. *Hirundinum in nido captarum* N°.xx.

*Integræ Alembico vitreo immittantur, illis adjiciantur Rasuræ cranii Humani* vnciæ iij.

*Castorei* vncia i. sem.

*Succi Radicum & Foliorum Præonia maris* vnciæ vj.

*Aquarum Florum Filix, Lavendulæ, & Liliorum Convallium* ãã libra i. sem.

*Aceti scyllitici* libra sem.

*Cuncta mitissimo igne macerentur spatio quadraginta horarum, postea distillentur, Aquam distillatam ad usum servando.*

## Vires.

Singulares omnino vires obtinet hæc Aqua adversus Epilepsiam: Cochlearia aliquot in paroxysmo dantur; imo quotidie sæpius exhibenda, præmissis usu remediorum universalium.

## Aqua Hysterica.

R. *Succorum Nepethæ, Absinthij, Artemisiæ, Pulegiæ maioris, Hyssopi & Florum Sambuci* ãã partes aqu. *Distillentur cuncta s. a. asseruetur aqua distillata ad usum.*

Eff 3



## Vires

Admodum convenit hæc aqua in cunctis affectibus uterinis: Cochlearitum exhibetur, imo pro una dozi unc. v. vel vj.

## Alia Aqua Hysterica Bryoniæ Composita

*Sacci Radicum Bryoniæ, Foliorum Ruta & Artemisicæ* à à lib. ij.

*Sabine sicce, Matricariæ, Neperhæ, Polegij maioris,* à à m. ij.

*Basilici, Diſtamni Cretici* à à. m. ij.

*Corticum malorum Aurantiorum recentium, aurei coloris.*

*Myrrhæ unc. ij.*

*Castorei unc. j.*

*Vini Canariensis libr. xij.*

*Maceratio horum omnium fiat in vase idoneo per quatrimum, Postea illico distillentur materiæ Mariæ Balneo; Postmodum exprimendo & colando circa mediam circiter distillationem, tandem pergendo in distillatione, Liqueor superstes ad extracti consistentiam deducendus.*

## Vires

Apud Anglos multo est in usu hæc aqua adversus affectus uterinos, exhibetur à semuncia ad unciam unam: Seorsum aut commixta Liqueoribus idoneis.

Plurimum etiam commendatur extractum, ex eadem aqua exhibendum, à semidrachma ad integram.

## Aqua alia Hysterica.

*R. Radicum Peoniæ, Bryoniæ, & corticum Arantiorum* à à. unc. ij.

*Foliorum Artemisicæ, Matricariæ, Melissæ, Purlegij regalis, Ruta, Sabina & Florum Sambuci* m. j.

*Myrrhæ & Castorei* à à. unc. sem.

*Croci drachm. ij.*

*Macerentur omnia per viginti quatuor horas in vini Hispanici, & Aquæ Julorum Nucum juglandium, & Florum Arantiorum* à à. lib. ij. *Distillando postmodum omnia igne lento Arenæ.*

## Vires

Aqua ista utilis admodum habetur adversus cunctos affectus uterinos: Dosis illius est à semuncia ad uncias duas.

Aqua



## Aqua Imperialis.

℞. Cinnamomi unc. iv.

Nucis moschate, corticum citriorum āā. unc. ij.

Caryophyllorum, Calami aromatici, Santali citrini, Radicum Paeoniae āā. unc. j.

Foliorum Lauri, Summitatum Hyssipi, Maioranae, Thymi, Satureia, foliorum Salvia, Anthos & Lavendula āā. drachm. j. contundenda contundantur, omniaque simul macerentur in

Vini albi & Aqua Melissae āā. libr. iv.

Aque Florum Arantiorum libr. sem.

Per viginti quatuor horas, Demum suscipienda distillatio juxta Artis regulas, adservando Aquam stillatitiam.

## Vires:

Eximius censetur usus Aquæ Imperialis in morbis cerebri, ventriculi, & vteri: Admodum quoque confert ad promovendum Partum;

Dosis est à drachmis duabus ad unciam unam.

## Aqua Mirabilis,

℞. Cinnamomi electi unc. j.

Corticis exterioris Citri, Nucis Moschate āā. drachm. ij.

Caryophyllorum, Galange, Cubebarum, Macis, Cardamomi, Zinziberis āā. drachm. ij.

Conterantur omnia, macerentur in succi melissae, spiritus vini āā. libr. j. per viginti quatuor horas, Fiat postmodum Distillatio igne moderato arena secundum artem.

## Vires:

Aqua hoc præstantissima est ad corroborandas partes omnes Principes, vires prostratas instaurandas, ac ad Venerem tardos, laceffendos.

## Aqua Anti Nephritica correcta.

## Dom. de Belle Garde

℞. Mellis Narbonensis unc. ij.

Terebinthinae Venete, Ligni Nephritici, Radicis Ononidis āā. unc. j. sem.

Agallochi, Galange, Caryophyllorum, Cinnamomi, Maceris, Cubebarum & Mastiches āā. unc. sem.

Pulverisatis pulverisandis, cuncta macerentur per triduum in Aqua viva libr. iij., distillando postea igne mediocri.

## Vires:

Aqua hæc præstantissima est adversus Calculum & quemvis Colicum dolorem, exhibendo à drachina una ad semunciam, seorsum aut distutam in quopjam liquore convenienti.



## Aqua Aromatica præstantissima.

R. Radicis Iridis Florentinae & Benzoini  $\text{ãã}$ . vnc. j. sem.  
 Stiracis calamite drachm. vi.  
 Ligni Rosarum vnc. sem.  
 Santali Citrini drachm. ij.  
 Calami aromatici, Labdani  $\text{ãã}$  scrupul. ij.  
 Florum Benzoes scrupul. j.  
 Pulverisata omnia Matratio immittantur, addendo Aquæ Rosarum libra j.  
 Aquæ, &c.

Aquæ Florum Arantiorum libram sem.

Vase optime obturato fiat omnium maceratio in Balneo Mariæ tepido per viginti quatuor horas, deinde augendus erit ignis, materiis in eodem Balneo repositis per bitorium, facta postmodum colatura & expressione, Aquam expressione elicitam ad vsus servando, in illa dissolvendo.

Moschi Orient.

Ambr. gris.  $\text{ãã}$  gr. ij.

Vires.

Aqua hæc Angelicæ titulo insignita est, ratione odoris suavis & gratissimi: Facta Aromatum in Aquis infusione, hæc percolari potest, ac dissolutione facta Moschi & Ambræ præscriptorum, ad servari Liquor nomine Aquæ Angelicæ donandus: Nec magma erit inutile, id exsiccando ac impedimentis vel sarcinis id immiscendo isto odore imbuendis: Aqua hæc valet solum ad vsus externos.

## Aqua Ophthalmica præstantissima.

R. Florum Cyani collectorum & contusorum cum propriis calicibus q. v.  
 Macerentur in Nive, aut Aquæ Nivis sufficienti quantitate per viginti quatuor horas, demum distillentur igne Arenæ exiguo, Aquam ad vsus ad servando.

Vires

Mira præstat hæc Aqua non modo in curatione plerorumq; affectuum Oculorum, illorum præsertim qui comitem habent inflammationem, sed & ad aciem oculorum acuendam, corroborandum & conservandum visum, speciatim in senibus: Eapropter etiam nomen illi inditum Aquæ Chassellunette, hoc est, cujus beneficio conspiciis carere licet; Gutta aliquot oculis instillandæ mane & sero, imo, si lubet, qualibet hora.

Aqua



## Aqua Paralytica &amp; Apoplectica.

R. *Ceraforum nigrorum contusorum lib. iv. Mica Panis albi lib j.*  
*Radicis Valerianæ contrita, Rafura cornu Cervini ãã. vnc. iij.*  
*Maceris & Garyophyllorum pulverisatorum ãã vnc. sem. Croci drach. ij.*  
*Florum Lavendula & Liliorum convallium ã ã P. iij. Ex omnibus com-*  
*missis fiat maceratio balneo maris repido per viginti quatuor horas De-*  
*mum aucto eodem Balnei calore fiat distillatio, Aquam distillatam ad usum*  
*servando.*

Vires.

Plurimum valere dicitur ad curationem Paralyseos, Appoplexiæ, ac cunctorum Cerebri frigidorum affectuum; Dosis illius est a semuncia ad unciam.

## Aqua Antipodagrica.

R. *Fimi bubuli sicci, Sperma tis Ranarum ãã. P. eq.*  
*Commisceantur & Alembico vitreo immittantur,*  
*fiatque distillatio in Diplomate calore mediocri,*  
*Aquam distillatam in loco frigido ad usum servando,*

Vires,

Eximiam prædicant hanc Aquam ad leniendos dolores Arthritidis calidæ, capropter illi immerguntur lintea ægræ parti admovenda

## Aqua Antiscorbutica.

R. *Radicum Raphani rusticani, & hortensis ãã. lib. j. Succorum Cochlearia,*  
*Nasturtij aquatici, Beceabunga, Nummularia, Mentha, Melissa, Fu-*  
*maria ãã. lib. sem.*  
*Macerentur omnia simul per viginti quatuor horas, Demum fiat distillatio*  
*exiguo igne Arena, adserveturque Aqua stillatitia ad usum.*

Vires.

Felici successu Aqua ista vsurpatur in affectibus scorbuticis, horis matutinis illam exhibendo, ab una ad duas vel tres uncias, in vsu per-gendo secundum necessitatem.

## Aqua Theriacalis

R. *Radicum Gentiana, Angelica, Imperatoria, Valeriana, Contrayerva ãã. vnc. ii.*  
*Corticum Citri, Arantiorum, Cinnamoni, Caryophyllorum & Baccarum*  
*Iuniper. ãã vnc. i.*  
*Summitatum Scordij, Ruta, Hyperici ãã pug. i.*

G g g



*Cuncta hæc infundantur per triduum in spiritus vini. Aquæ Nucum  
& Cardui bened. ʒʒ lib. ij.*

*Postea adde Theriaces optime ꝑnc. iiii.*

*Omnia distillentur igne Arenæ, Aquam ad vsus servando.*

#### Vires.

Comme ndabilis est hæc Aqua adversus venenorum iniurias, ac ad robor cunctarum partium principum: Dosis illius est a drachma vna ad semunciam.

Nonnulli Aquam Theriacalem præparant Theriacam dissolvendo in partibus æqualibus spiritus vini & Aceti distillati, Alij Acetum detrahunt, eaque ratione citra vllam distillationem vsurpant.

#### Aqua vitæ Regia.

*R. Ligni Aloes, Radicum Zedoaria, Angelica, Carlina, Valeriana ʒʒ unc. ij  
Cinnamomi optimi, maceris, & corticis exterioris malicetrij ʒʒ unc. sem.  
Garyophyllorū Cardamomi minoris, & seminis fœniculi dulcis ʒʒ ꝑnc. sē.  
Florum Arantiorum, Rorismarini, Salvia & maiorana florida ʒʒ m. ij.  
Contundenda contundantur, Demum omnia matratio indantur cum  
Spiritus vini, & vini malvatici ʒʒ lib. xv. Moschi, Ambra grisea ʒʒ  
drach. sem.*

*Vase optime superna parte occluso omnium fiat maceratio igne mitissimo per triduum, Postea secundum artem fiat distillatio Balneo Arenæ, diluendo in Aqua distillata, ad vsus servanda*

#### Vires.

Aqua hæc, etiamsi ex paucissimis constet medicamentis, merito tamen anteferenda est plurimis Aquis vitæ dictis, compositis, a Matthiolo, aliisque Authoribus celebribus traditis, ex quarum farragine nonnisi qualitatum confusio expectanda, si ingens numerus ac diversitas medicaminum perspecta fuerit: istius inquam perfectionem ex eo deprehendere licet, quod cum nullum adfit medicamentum quod non insignium sit virium, cuncta eo tendunt in vnicum finem, corroborationem scilicet cerebri, cordis & ventriculi ac partium omnium principum, si debilitatem contraxerint a spirituum dissipatione, aut oppressæ sint a nimia copia, aut pravis humorum qualitibus: Procul a cibo exhibetur a drachma vna ad semunciam, seorsum aut liquori idoneo commixta.



## Aqua Viridis Hartmanni correcta.

R. Mellis Rosati unc. ij

Sulphuris vivi, Aluminis crudi, & viridis Aeris  $\bar{a} \bar{a}$  unc. j.Albi Græci. i. e. stercoris canini sicci, comarum sabinae, & sambuci  $\bar{a} \bar{a}$  d. j.Florum Hyperici, Rorismarini, Ruta, Plantaginis, Salvia. Pulegii  $\bar{a} \bar{a}$  m. sem.

Omnia, excepto Aeris viridi, per horæ semiquadrantem in vini albi &amp;

Aqua solani  $\bar{a} \bar{a}$  lib. j. coquantur, postea addito extra ignem & dissoluto, viridi Aeris, coletur Aqua viridis, & servetur.

## Vires.

Aqua hæc viridis præstantissima est ad sanationem omnium ulcerum, Oris, Faucium, Nasi, ac quarumvis aliarum partium, etiam scorbuticorum & venereorum. Continguntur ulcera gossipio aut linteis conceptis, isti Aquæ immerfis

## B A L S A M A

## Balsamum Bezoarticum.

R. Oleorum stillatitorum Ruta, Corticis Citri, Arantiorum, Lavendula, Angelicæ  $\bar{a} \bar{a}$  scrup. dim. Succini rectificati Guttas v. Camphora. Gt. iv. Olei Nucis moschata unc. sem. Fiat ex arte Balsamum.

## Vires

Præstantissimum est hoc Balsamum adversus aeris inquinamenta, ac præsertim pestilenti tempore, Admodum etiam congruit discutendis vaporibus ab utero elatis: Tantillum naribus immittitur in ædium egressu adversus vapores hystericos, Admodum quoque efficax hoc Balsamum in Cerebri affectibus, ac Apoplectici nomine venire potest.

## Balsamum Hystericum.

R. Lacrymarum Asefetide, Galbani, Opopanacis Sagapeni Ammoniæ  $\bar{a} \bar{a}$  dr. j. Oleorum stillatitorum Ruta, Succini, Baccarum Iuxiperi  $\bar{a} \bar{a}$  scrup. j. Liquefactis in mortario calefacto Gummi permiscantur Olea, & fiat Balsamum fluidius, ad usus servandum.

## Vires

Balsamum hoc plurimum valet ad discutiendos vapores hystericos, naribus immissum, Et ad provocandos menses, iunctione facta umbilici & imi ventris.

## Balsamum Vulnerarium insigne

R. Olei Terebinthina Veneta unc. ij



*viridis Aris & Vitrioli viridis aa Gr. vi. Simul permixta, & phiala vitrea recte obrurata excepta soli aestivo diebus aliquot exponantur, & servetur Balsamum ad usus.*

## Vires

Eximium est istud Balsamum ad citam sanationem vulnerum omnium sanabilium: Guttae aliquot vulnere instillantur, ac illi prius tepefacto immerguntur splenia super adponenda,

## Balsamum Vulnerarium aliud

*R. Olei Hyperici lib. sem. Olei Laurini & Terebinthina Veneta aa unc. ij. Olei baccarum Juniperi stillatitij unc. sem. Pulveris Aloës electa drachm. ij. Viridis Aris & Olei Caryophyllorum a a drachm. j. Simul permisceantur, & per aliquot dies insolentur, serveturque Balsamum.*

## Vires

Multis quoque laudibus effertur hoc Balsamum ad curationem quorumvis Vulnerum.

## Clareta

## Claretum Stomachicum

*R. Cinnamomi contusi unc. iiij. Caryophyllorum, Zinziberis, cardamomi & Galanga pulverisatorum aa drach. sem. Macerentur frigide per horas sex in matratio obturato in Aque vite lib. iiij. Aque Rosarum lib. j. f. Postea filtrentur, & in filtrato liquore dissolvantur sacchari optimi lib. ij. & factum erit Claretum.*

## Vires

Aqua hæc Clareta gustui grata est, eximia ad corroborandum ventriculum partesque principes, flatus discutiendos, appetitumque excitandum, Dosis illius est a drachma semis ad semunciam.

## Claretum Antimoniale.

*R. Vitri Antimonij subtilissime pulverisati drachm. ij. Vini Hispanici lib. j. sem. macerentur per hebdomadam igne moderatissimo in matratio diligenter obturato, per vices agitando, deinde filtrentur, permixtisque Sacchari albissimi lib. iiij. Olei cinnamomi G. lib. ij. Servetur claretum ad usum.*

## Vires

Servandus iste liquor in lagena vitrea densa accurate obturanda: saporis gratissimi est, susque deque lenissime purgans, Dosis drachmæ duæ vel semuncia.



## Collyria

Collyrium, vel Aqua ophthalmica D. D. D'Aquin.

R. *Tuthia Alexandrina*, ter in Aqua Rosarum extincta, & supra porphyrium preparata, & *Garyophyllorū pulveratorum* aa unc. j. sem. *Sacchari candidi* unc. j. *Caphura*, *Aloës*, aa drachm. j. sem. *Vini Hispanici* lib. iv. *Aqua rosarum albarum* lib. sem. *Aquarum Chelidoniae, Fœniculi, Euphrasie & Rutæ* aa unc. ij. Omnia simul mixta, lagena vitrea diligenter obturata excipiantur, & Soli æstivo per quindecim dies exponantur, deinde simul serventur ad usum.

## Vires

Aqua hæc summæ est efficax adversus quosvis oculorum affectus, cui rei in usum venit solum liquor limpidus, materia in fundo crassiori relicta.

Collyrium sive Aqua ophthalmica Domini Fouquet.

R. *Tuthia preparata* unc. ij. *Maceris subtilissime pulverati* unc. j. *Vitrioli alb* i drachm. j. *Aquarum Fœniculi, Rosarum* aa lib. j. sem. *Aqua plantaginis* lib. sem. Simul mixta in lagena obturata Soli æstivo per aliquot dies exponantur, deinde servetur Collyrium ad usum.

## Vires

Præstantissimum censetur hoc Collyrium in cunctis oculorum effectibus.

## Collyrium Cæruleum.

R. *Aqua extinctionis Calcis vivæ filtrata* lib. j. *Salis Ammoniaci pulverati* drach. j. Simul mixta in pelvim aneam conjiciantur, illicque per noctem maneat, filtratusque liquor ad usus servetur.

## Vires

Collyrio hoc præstantius excogitari & perfici nequit ad quosvis oculorum affectus: Colorem illi conciliant particulæ cupri à sale Ammoniaco & calcis corrosivo & dissoluto.

## Cremores.

## Cremor Tartari solubilis.

R. *Cremoris Tartari quantum libuerit*, Dissolve in sufficiente quantitate aquæ ferventi, deinde instilla guttatim liquorem salis Tartari donec nulla fiat amplius ebullitio: evaporetur humiditas, & remanebit Cremor solubilis.

Cum copia salis fixi superet copiam Acidi cremoris Tartari, hinc abruptitur unitas; illius partium; Poros autem pervadens hunc dissolutioni idoneum efficit in hiquoribus aqueis frigidis, qui ante in feruidis tantum dissolubilis erat.



R. *Croci metallorum cum suis salibus mixti, & Cremoris Tartari* aa unc. ij. *Subtiliter pulverentur, & in Aqua fontana lib. iij. frigide per duodecim horas macerentur, sequenti vero die per idem tempus igne Arena moderato digerantur, & aucto tandem igne leviter bulliant, filtratusque liquor ad cuticulam evaporetur, & in loco frigido ad crystallisandum reponatur,*

## Vires

Cum huius Cremoris Tartari partes ab invicem divellantur a commistione salis fixi, in croco metallorum superstitis, Cremor autem imprægnatus sit qualitatibus eiusdem Croci, ideoque evadit dissolubilis etiam in frigida, per inferiora & superiora expurgare idoneus, præbendo a duobus aut tribus ad quinque aut sex grana, ex jusculo aut vino, vel alio quopiam Liquore.

*Electuaria.*Electuarium Cholagogum  
Francisci de le Boë Sylvij.

R. *Pulpa Prunorum acido dulcium, ad debitam consistentiam spissata* unc. x. *Cremoris Tartari & Scammonij electi* a a drachm. ij.

*Rhei electi* a a drachm. x.

*Cinnamomi acuti* unc. sem.

*Santali citrini* drachm. ij.

*Sacchari optimi clarificati & cocti* unc. xvj.

*Simul misceantur, & fiat ex Arte Electuarium.*

## Vires

Electuarium hoc optime expurgat quosvis vitiosos humores, ac præfertim biliosos & serosos: Exhibendum a drachmis duabus ad semunciam in Bolo, aut dissolutum in convenienti liquore.

## Electuarium Hydragogum Eiusdem.

R. *Extracti baccarum Juniperi, & pulpa Tamarindorum ad debitam consistentiam spissata* aa. unc. iiij.

*Radici Jalapæ subtiliter pulverata* unc. sem.

*Scammonij electi* drachm. j.

*Cinnamomi acuti, & seminis Fœniculi dulcis pulveratorum* aa drachm. ij.

*Sacchari clarificati & cocti* scrup. x.

*Fiat ex artu electuarium.*

## Vires



## Vires

Electuarium hoc admodum conducit ad feri expurgationem, potissimum in Hydrope, exhibendo a drachmis duabus ad semuncium, imo & ad drachmas sex.

## Elixiria

## Elixirium Cephalicum

- R. *Visci quercini, Radicum Peoniae, valeriana majoris* aa vnc. j. |  
*Seminis Peoniae, Bacarum Inniperi & Lauri* a a unc. j.  
*Cinnamomi, Macis, Cubebarum,* aa drachm. iij.  
*Florum Tiliae, Anthos & Lavendulae* aa m. j.  
*Contundenda contundantur, & omnia in Aquarum Lilliorum convallium, Cerasorum nigrorum, & spiritus vini rectificati* a a lib. sem.  
*Horis viginti quatuor macerentur, deinde ex arte distillentur, Liquora vero stillato addatur*  
*Sacchari optimi* lib. j.  
*Tinctura Ambrae griseae* drachm. j.  
*Et servetur Elixirium in Lagena vitrea rite obturata.*

## Vires

Insignis efficaciae esse perhibetur hoc Elixirium in Epilepsia, Apoplexia, aliisque frigidis cerebri affectibus; Pocul a cibo id praebendo, a semicochleari ad duo cochlearia integra.

## Elixirium Hystericum.

- R. *Oleorum stillatorum Absynthij, Pulegij, Matricariae, Ruta, & Succinorum* a a gtt. vj.  
*Tincturarum Croci, Castorei* a a vnc. iij.  
*Sacchari optimi, Aquarum Artemisiae, Florum Sambuci* aa vnc. vj.  
*Fiat ex arte Electuarium.*

## Vires

Admodum convenit hoc Elixirium in cunctis affectibus Hystericis, eadem dozi ac prius exhibendum.

## Elixix Proprietatis Antiscorbuticum.

- R. *Myrrha Alexandrina, Aloes Succotorinae, & Croci electi pulveratarum* a a vnc. iij.  
*Digerantur vase clauso per dies octo in Balneo Arena moderate calido cum Spiritus Antiscorbutici* lib. iv.



*Aucto deinde per horam unam Balnei calore, filtratur spiritus tinctus, & seorsum servetur, Affusaque supra massam superstitem novi spiritus libra una, reiteretur digestio & filtratio, Fiatque ex arte igne arena moderatissimo spiritus abstractio; donec tertia tantum pars supersit, refrigeratisque vasis servetur Elixirium, cui usus tempore tertia vel quarta spiritus volatilis Cornu Cervini pars potest permisceri.*

## Vires

Elixir hoc probatissimum est in cunctis affectibus ab humorum corruptione ortum ducentibus, sed præsertim in usum acceritur ad scorbuticorum curationem, sanguineam enim massam puriorem efficit segnemque illius motum promovet, in ejusmodi affectibus familiarem.

Exhibetur ex vino, vel liquore quopiam adcommoato, a septem vel octo, ad quindecim vel viginti guttas.

Spiritus Antiscorbutici descriptionem quære proprio loca

## Elixirium Stomachicum.

R. *Oleorum stillatorum Cinnamomi, Caryophyllorum, Absinthij, Corticum citri & Arantiorum aa Gt. vj. Sacchari albißimi pulverati, spiritus vini rectificati, Aquarum menthae, Florum Arantiorum aa vnc. vj. Misceantur ex arte, & fiat Elixirium ad usus servandum.*

## Vires

Usus istius Elixirii proficius est in cunctis affectibus frigidis Ventriculi, sicuti & in corroborandis omnibus partibus principibus:

Datur à drachmis duabus ad semunciam, seorsum aut aliis liquoribus commixtum.

## Emplastra

## Emplastrum Abbatis de Grace

R. *Olei rosati multis infusionibus valde Odorati unc. vi. Lithargyri auri preparati, & succi rosarum depurati aa unc. viii. Ceruse Venetæ preparatae vnc. ii. Coquantur ex arte in Emplastri consistentiam, deinde addantur, Cerae flavæ unc. iiiii. Et factum erit Emplastrum, ad usus servandum.*

## Vires

Celeberrimum est hoc Emplastrum ad curanda quævis vulnera & vlcera. Lenissime effectum exerit odorisque est gratissimi; quo fit ut commodissime sparadrappa confici queant, vel Telæ Gulteri ad Fonticulorum curationem.



## Emplastrum Matricale robórans.

℞. Minij pulverati lib. j.  
 Ceruse preparata lib. sem.  
 Saponis unc. x.  
 Olei communis lib. ij.  
 Aquæ Florum Arantiorum unc. iv.  
 Coquantur ex arte ad Emplastrum.

## Vires

Eximium censent hoc Emplastrum ad corroboranda Vteri ligamenta, forma rotunda id donando, & umbilico admovendo.

## Emplastrum ad Scrofulas:

℞. Massæ Emplastri de Cicuta unc. viij.  
 Gummi Elemi purissimi unc. ij.  
 Mercurij præcipitati rubri unc. ij. sem.  
 Simul misceantur in Emplastrum.

## Vires.

Admodum confert istud Emplastrum ad colliquandas expurgandas & sanandas Scrofulas.

## Febrifuga.

## Pulvis Febrifugus.

℞. Cinnabaris Antimonij. unc. j.  
 Salis communis tosti drach. ij.  
 Simul pulveratis, & Cucurbita vitrea exceptis superfundantur Olei Sulphuris unc. iiij.

Digerantur per biduum calore moderato in Balneo cinerum, auctoque deinde igne evaporetur humiditas, residuaque massa lota, siccata & in pulverem redacta cum

Florum Sulphuris unc. iiij.

Permisceatur, lancique fictili super carbones ardentes committatur; ubi accensis, & assidue virga ferrea commovendo combustis floribus, superaffusque ad trium digitorum transversorum altitudinem, & super consumpto vini spiritu, pulverata massa ad usus servetur.

## Vires

Singularis efficacia adscribitur huic Pulveri ad curationem quarum-  
 Tom. II.



vis Februm Intermittentium, illum exhibendo semihora ante paroxysmum, à decem aut duodecim, ad quindecim aut viginti grana, ex aliquo Syrupo aut aqua cardiaca, superassumpto duabus horis post Iusculo: Vfus illius præmissa purgatione & sanguinis missione, ad tres vices dosin reiterando, si primæ aut secundæ non cesserit febris: Per sudores præsertim operatur.

Febrifugum aliud *Riverio* attributum à *Rolsinkio*.

R. *Auri puri in Aqua Regia soluti, vitri Antimonij in Aqua soluti* aa *unc. sem.*  
*Mercurij vivi in Aqua Forti soluti unc. iij.*

*Solutiones conjungantur, & duodecies per Alembicum igne arena distillentur, iteratis cohobationibus; Pulveri in fundo relicto affunde Spiritum vini rectificatum, & abstrabe sexies à Pulvere, deinde calcinetur Pulvis igne Rotæ in Crucibulo fere ad ignitionem.*

*Dentur Pulveris hujus grana sex cum Scammonij granis iij.*

Cum Author istius Febrifugi ideas tantum generales exhibuerit, nemo asserere audeat legitimam se præparationem callere; etiam si enim Pulvis à *Rolsinkio* descriptus ex se commendationem mereatur, non satis tamen mihi convenire videtur cum iis quæ attulit Author, ut legitimum illius Febrifugum haberi debeat.

Plurimi existimant tres Hercules, ex quibus suum Febrifugum construxit *Riverius*, esse Mercurium, Sal & Vitriolum; duodecim autem labores duodecim esse sublimationes, ex serie, Mercurij: Mens ista mihi non parum arridet, dummodo primæ sublimationi tantum Mercurij crudi additum fuerit quantum satis est ad rite dulcorandum Sublimatum; Sed maxime explicatu arduum est quid per quartum Athletam sibi velit, quem tribus Herculis adjungendum jubet; Etiam si enim *Rolsinkius*, plurimique alii ipsum sequuti, ad Scammonium confugerint, alii ad Gummi Gotte, alii ad Colocynthidem, vel Helleborum nigrum, si me iudice dosis Febrifugi consideretur, quæ viginti granorum esse solet pro adultis; illiusque effectus, purgatio scilicet ut plurimum per superiora & inferiora; si præterea ratio habeatur proportionis quarti Athletæ, quæ quartam dozis partem constituere debet, alibi ille querendus non est quam in Antimonio: Nam neque Scammonium, neque Gummi Gotte, pondere quinque granorum addita, tantos effectus edere valerent; imo neque Colocynthis nec Helleborus niger, quantumvis insuavia, id non nisi vix effectura essent, Quapropter, si bene judico, hujusmodi sit Compositio.



Febrifugum aliud *Riverij* verosimillius.

R. *Mercurij dulcis duodecies sublimati vnc. i. sem.*

*Pulveris Emetici vulgaris, pro robustis, vel eo quem nuper dixi modo correcti, pro delicatioribus, vnc. sem.*

*Simul miscantur & fiat Pulvis Febrifugus.*

## Vires

Hic Pulvis si humoribus dispositis occurrat, supra & infra opus exerit, si additus fuerit Pulvis Emeticus vulgaris: at per inferiora tantum, si idem Pulvis, eo modo correctus quem adduxi capite de Pulvere Emetico, adhibitus fuerit; cum porro Febrifugi Pulveris quadrans contineat legitimam doziam Pulveris Emetici, Mercurius autem dulcis, eo modo præparatus, lubricos efficiens pravos humores, imo correctivi vices obtinens ratione Pulveris Emetici, prosperi ideo tantum effectus expectandi sunt.

*Riverius* hoc Febrifugum cuilibet ætatis, sexui exhibere in more habebat, præcul à cibo, pridie ante accessionem febrilem: infantibus grana sex porrigi possunt ex pomo asso vel aliquo condito; aucta dozi proportione observata ætatis; Adultis præbebat grana viginti, imo & viginti quatuor maxime vegetis.

*Fel Bovis Cosmeticum.*

℞. *Fellis Bubuli horis viginti quatuor in Balneo Mariæ digesti & filtrati libras iiij.*

*Aluminis Rupei & Salis vitri pulveratorum āā. vnc. j.*

*Simul permixta Matratio diligenter obturato, excipiantur. Menseque Maio per dies quindecim Soli exponantur, ter aut quater quotidie agitando; deinde filtrantur, filtratoque Liquori permisceantur.*

*Porcellanarum (subtilissime tritarum, & in Spiritu Aceti dissolutarum vnc. ij.*

*Boracis & Spermatis Ceti āā. vnc. j.*

*Sacchari candi vnc. iiij.*

*Calphura & Sublimati dulcis āā. drach. iiij.*

*Quo factò, Soli per decem dies iterum exponantur sæpius materias agitando, filtratusque tandem Liquor ad usus servetur.*

## Vires

Admodum commendatur *Fel Bovis* præparatum ad maculas vultus delendas, sicuti & ad fuscedinem à Sole contractam removendam: Mane & sero in lecti ingressu adhibetur, mane eluendo faciem aqua



Liliorum aut Nymphææ; Mane etiam in vsum adduci potest si peregre proficiscendum, nequaquam faciem detergendo, sub vesperam demum abluendo ad Solis injuriam declinandam.

*Liquores Lac Virgineum Cosmetici*

℞. *Solutionis Lithargyri Auri in aceto distillato factæ unc. viij.*

*Solutionis Aluminis Rupei in aqua Nymphææ paratæ etiam unc. viij.*

*Foltratarum seorsum solutionum fiat quolibet tempore permixtio, & paratum erit Lac Virgineum.*

Vires

Satis est parasse dissolutiones Lithargyri in Aceto distillato, & Aluminis in aqua Nymphææ, aut alio quopiam Liquore simili; licet enim æquales portiones earum commiscendo illico obtinere Lac Virgineale, aptissimum mundandis manibus ac vultui.

Qui paratam habent Tincturam Storacis aut Benzoini, cum spiritu vini factam, quovis tempore habere possunt Lac Virgineum, tantillum hujus Tincturæ remiscendo octuplo aut septuplo cujuspiam aquæ Cosmeticæ odoratæ stillatitiæ: Hocque hodierna die vîratissimum est Lac Virgineum, tum ratione suaveolentiæ, tum effectu optatorum.

*Lapides.*

Lapis Contrayervæ.

℞. *Radicum Contrayervæ pulveratarum, Margaritarum Orientalium, Coralli rubri & Succivi albi preparatorum aa. drach. j.*

*Lapidum vel oculorum Cancrorum preparatorum, ad pondus omnium.*

*Cum Gelatina Viperarum pauco Croco tincta fingantur Globuli siccandi & servandi.*

Vires

Lapis iste eximie censetur efficacie adversus venena ac morbos Epidemicos: In subtilissimum Pulverem conteritur ac ex Iusculo datur, vel Aqua aliqua cardiaca, à decem ad viginti aut triginta grana, imo ad drachmam vsque integram.

Lapis Medicamentosus.

℞. *Vitrioli Hungarici libram j.*

*Salis Nitri libram sem.*

*Ceruse, Aluminis, Boli Armenæ, Salis Vitri aa. unc. iij.*

*Salis Ammoniæ unc. ij.*



*Omnia diligenter trita humedentur Aceto communi, & in Olla fideli igne lento ad Lapidis duritiem coquantur, fractaque Olla Lapis ad usum servetur.*

## Vires.

Apud Authores plurimæ prostant descriptiones Lapidum Medicamentosorum, sub variis nominibus eundem finem spectantium: Hæc omnium vice fuerit: Admodum convenit expurgandis, ac ad cicatricem deducendis Vulneribus & Ulceribus, curandis oculorum morbis, Scabiei, Erysipelati, cunctisque affectibus Cutaneis, imo & Ambustionibus: Specificè quoque sistit Gonorrhœam, siphone infusa quando omnino superata fuit malignitas: Illius uncia vna dissolvitur in libris duabus aquæ pluviae, postea filtratur Liquor. In usum venit lotionè, injectione, vel immergenda linrea locis affectis admovenda.

## Lapis Admirabilis.

℞. Vitrioli albi & viridis āā. unc. iij.  
 Ceruse, Boli Orientalis āā. unc. j.  
 Camphoræ drachm. j.  
 Pulverisentur omnia & immittantur Aceti stillatitii unc. j.  
 Coquantur simul donec Lapidis compagem adepta sint.

## Vires.

Lapis hic præfertim in usum venit ad curationem affectuum Oculorum: Infunditur drachma vna in aquæ cujuspiam Ophthalmicæ unciis quatuor, quæ filtrata tepide oculis admoventur.

## Lapis Philosophorum ad Curationem Ulcerum.

℞. Aluminis Rupei, Vitrioli Romani āā. libra ij.  
 Salis Tartari, Ceruse, Boli albi āā. unc. iij.  
 Camphoræ, Olibani, āā. unc. sem.  
 Aceti optimi libra j.  
 Omnia commisceantur, & secundum Artis leges coquantur ad Lapidis consistentiam.

## Vires.

Infunditur uncia una istius Lapidis pulverisati in vini albi unciis sex & tantundem Aquæ plantaginis, post filtrati, huic Liquori immergantur exigua linrea, quibusvis Ulceribus admovenda, mundificationis gratia & ut ad cicatricem adducantur.



## Linimenta.

## Linimentum ad Hæmorrhoidas.

- ℥. *Florum Sulphuris drachm. ij.*  
*Olei Ovorum unc. sem.*  
*Olei Rosati unc. j.*  
*Misce fiat Linimentum Hæmorrhoidibus admovendum Vel.*
- ℥. *Salis Saturni unc. sem.*  
*Oleorum Chamomillæ, Rosati & succi Umbilici Veneris āā. unc. ij.*  
*Fiat ex arte Linimentum ad formam Nutriti. Vel.*
- ℥. *Olei Lini, Pulvæ Cepæ sub cineribus coctæ āā. unc. ij.*  
*Cera alba unc. sem.*  
*Fiat ex arte Linimentum, Vel*
- ℥. *Pulvæ millepedum, Unguenti Populei, Olei Ovorum, āā. unc. j.*  
*Extracti Opij. drachm. sem.*  
*Misce & fiat ex arte Linimentum.*

Vires.

Omnia hæc Linimenta conducunt sedando Hæmorrhoidum dolori.

## Linimentum ad Herpetes.

- ℥. *Mercurij præcipitati Rubri, Vitrioli viridis āā. unc. j.*  
*Aluminis vsti unc. sem.*  
*Viridis Aris & Borracis āā. drachm. ij.*  
*Succi lapathi acuti unc. ij.*  
*Axungia Porci, Butyri recentis āā. unc. iij.*  
*Olei Hyosciami expressi unc. j.*  
*Fiat ex arte Linimentum.*

Vires.

Linimentum istud eximie est efficacie ad cuiusvis Herpetis curationem.

## Linimentum Ischiadicum.

- ℥. *Canes novissime natos, & Talpas viventes āā. N° iij.*  
*Lumbricorum terrestrium libr. j.*  
*Foliorum Lauri, Rorismarini, Mentha, Majorana, Lavendula, Serpylli, Hyperici āā. M. j.*  
*Coquantur in olei communis & vini rubri āā. libr. iij.*

ad vini



*ad vini consumptionem, Postea colentur, & fortiter exprimantur, addendo expressioni.*

*Cere citrinae & Axungiae Anseris āā. unc. x.*

*Et factum erit Linimentum.*

## Vires.

Experimento comprobatum est istud Linimentum ad sedandos dolores Ischiadicos, ac cuiusvis Rheumatismi: Inrungi pars debet ad ignem, ad iuvandam Linimenti penetrationem, Inunctionem pro necessitate reiterando.

## Linimentum ad Variolarum cicatrices prohibendas.

℞. *Lithargyri aurei preparati, Ceruse in aqua Rosarum lotæ āā. unc. j.*

*Olei quatuor seminum frigidorum maiorum mundatorum, Amygdalarum dulcium & Ovorum āā. unc. sem.*

*Aquarum Solani & Plantaginis āā. q. s.*

*Fiat ex arte Linimentum ad formam Nutriti.*

## Vires.

Vtilissimum censetur hoc Linimentum ad prohibenda Variolarum vestigia.

## Linimentum ad arcendum Vomitum.

℞. *Olei Nucis moschate expressi, & Aquæ Reginae Hungariæ āā. unc. sem.*

*Olei stillatij Absinthij drachm. j.*

*Mastiches electæ subtiliter pulverata drachm. ij.*

*Misce fiat ex arte Linimentum.*

## Vires.

Linimentum hoc calide Ventriculo admotum Vomitum sistit.

## Linimentum Somniferum.

℞. *Vnguenti Rosati & Populei āā. unc. j.*

*Olei Seminis Hyosciami expressi drachm. ij.*

*Extracti Opii liquidioris drachm. j.*

*Misce fiat Linimentum ad usum.*

## Vires

Felici successu adhibetur istud vnguentum fronti & temporibus, sedandi gratia doloris capitis, ac ad somnum conciliandum.



## Liquores.

## Liquor Hyacinthinus Antimonialis.

℞. Vitri Antimonij Hyacinthini subtilissime pulverati, salis Absynthij  $\text{āā}$   
Gr. xli.

Aqua veronica unc. v.

Macera horis viginti quatuor in Balneo tepido, deinde filtretur liquor,  
additaque.

Aquæ cinnamomi drachm. i.

Servetur ad usum.

## Vires.

Leniter per superiora & inferiora purgat iste Liquor quosvis humores  
obvios : Commodissime in usum venit in Febribus Intermitentibus  
omnibus, exhibendo à tribus ad sex drachmas.

## Liquor Hystericus.

℞. Castorei drachm. ij.

Croci & Capuræ  $\text{āā}$  drachm. j.

Macerentur frigide per dies quindecim, vase diligenter clauso in Aquæ vitæ  
unc. j.

Deinde filtretur Liquor ad usum servandus.

## Vires.

Liquor hic specificè discutit vapores ex Vtero oriundos : necessitate  
urgente adsumendus, quavis hora, procul à cibo, à semi cochleari ad  
cochleare integrum, Potest etiam naribus immitti, temporibus adhi-  
beri, imo gossipium hoc liquore imbutum pyxide gestari.

## Liquor Viridis Aeris Causticus.

R. Viridis Aeris unc. iij.

Salis Nitri unc. viij.

Simul mixta destilent in mortario ferreo, vel aëneo prius calefacto, deinde  
pulverata, & vase idoneo excepta, in loco humido per deliquium solvantur, &  
servetur Liquor ad usum.

## Vires

Liquor hic efficax est ad absumendas carnes putridas ac quasvis ex-  
crecentias, eas præsertim quas induxit vitus venereum.

Mucilago



## Mucilago ad Fissuras Mammarum.

℞. Gummi Tragacanthi albi subtiliter pulverisati drachm. ij.

Macera igne lentissimo, in sufficiente quantitate Aquæ Rosarum, & extrahatur mucilago ad usum servanda.

## Vires

Mucilagines Gummi Tragacanthi specificè medentur fissuris mammarum, manuum & labiorum, parti affectæ admotæ.

## Olea

## Oleum Anti-Epilepticum.

℞. Rasuræ cranij hominis violenta morte perempti unc. iv.

Succini pulverati unc. viij.

Simul mixta Retorta vitrea excipiantur, admotoque Recipiente, igne arenæ gradatim aucto, distilletur Oleum, Spiritui, Phlegmati & Sali volatili permixtum.

## Vires.

Præter singulares facultates quæ Sali volatili & Spiritui Cranii humani commixtis insunt adversus Epilepsiam, Oleum quod suppeditant summæ perhibent efficaciam in curatione istius morbis, Mensis spatio exhibendo singulo quoque mane ex Aqua aliqua Cephalica, à tribus aut quatuor ad quinque aut sex guttas: Interiores Nares etiam illini possunt, tempora & futurarum regio.

## Oleum vel Liquor Antimonij.

℞. Antimonij Hungarici unc. viij.

Sacchari candidi unc. vi.

Pulverisata & mixta Retorta vitrea excipiantur, igneque Arenæ gradatim aucto distillentur, & servetur Liquor ad usum.

## Vires.

Admodum commendatur hic Liquor ad curationem Februm intermittentium, datus ex vino albo, a tribus ad quinque aut sex guttas initio paroxysmi, eandem dozina semel aut bis iterando si paroxysmi redeant.



## Oleum contra Surditatem.

℞. Olei expressi seminis Porrorum, Amygdalarum amararum & Laurini  
 āā vnc. ij.

Spica Nardi, Castorei, & Colocyntidis incisorum āā drachm. j.

Succi Rutæ & Vini albi āā drachm. i. sem.

Omnia matratio obturato excepta in Balneo Mariæ tepido horis viginti  
 quatuor digerantur, deinde aucto calore Balnei ad humidam consumptionem co-  
 quantur, postea colentur & exprimantur, Oleumque ad usum servetur postquam  
 in illo diluta sint Moschi optimi Gr. vj.

## Vires.

Oleum hoc tepidum Auribus infusum Surditatem quamvis curat,  
 modo innata non fuerit.

## Opiata.

## Opiata Antihysterica.

R. Croci Martis cum Sulphure parati vnc. i.

Rhei electi & Foliorum Sennæ mundatorum āā vnc. sem.

Cinnamomi electi, Salis Absinthi, & Tamarisci āā drachm. ij.

Croci drachm. j.

Pulveranda pulverentur, & cum sufficienti quantitate Syrupi de Artemisia  
 fiat Opiata.

## Vires.

Admodum congruit hæc Opiata ad Icteri curationem, illius præser-  
 tim quæ Puellas adurit : Dari potest à drachmis duabus ad semun-  
 ciam, boli forma aut vino albo diluta, vel decoctione convenienti :  
 Dosis prout opus reiterari potest.

## Opiata Odontalgica.

R. Caphure drachm. ij.

Opii drachm. j.

Castorei drachm. sem.

Pulverata omnia excipiantur Syrupo Florum Turicæ, & fiat Opiata ad usum  
 servanda.

## Vires.

Præstantissima est hæc Opiata ad mitigandum dolorem Dentium, si  
 quis fuerit carie exesus : Cavo denti tantillum inditur, immiſſionem  
 iterando quoties opus.

Opiata



## Opiata Dentes dealbans.

R. Coralli rubri, Lacrymarum sanguinis draconis, subtiliter pulveratorum āā.  
unc. j.

Aluminis vsti subtilissime contriti unc. sem.

Margaritarum pr paratarum drachm. ij.

Mofchi Orientalis & Ambra grisea āā. gr. j.

Commisceantur omnia, & addito Syrupo Mororum redigantur in opiatæ consistentiam vicunque mollem.

Vires.

Eximia est hæc Opiata ad mundandos, dealbandos & conservandos dentes.

Pasta.

Pasta ad Manus detergendas.

R. Amygdalarum amararum excorticatarum libram sem.

Contunde in mortario marmoreo, sensim tantillum Aquæ vitæ affundendo, deinde adde.

Vitellos ovorum N<sup>o</sup>. ij.

Mellis Narbonensis unc. i. sem.

Radicis Ireos subtiliter pulveratæ unc. j.

Permista omnia in Pastam redigantur ad vjum.

Vires.

Præstantissima hæc est Pasta ad manus mundandas, facileque parabilis: Nullo ad diluendum liquore opus est, præparata enim citra alium adparatum in vsum venit.

Pasta alia ab Idem.

R. Amygdalarum amararum excorticatarum, perfecte contusarum, & Micæ panis albi āā unc. iiij.

Infundatur per tres horas in lacte recenti mica Panis, deinde in mortario marmoreo recte contusa Amygdalis permisceatur, Postea.

R. Vitellos ovorum N<sup>o</sup>. ij.

Mellis Narbonensis unc. j.

Aluminis vsti pulverisati, & Balsami Peruviani āā drachm. j.

Et fiat Pasta.

Vires

Pasta hæc priori nequaquam cedit, satis est citra ablutionem manibus affricuisse, sponte enim postmodum excidit, leniendo, & candorem inducendo manibus.



## Pilule.

## Pilulæ Cachecticæ.

℞. Trochiscorum Alhandal ꝑnc. sem.  
 Aloes electæ, Myrrha, Galbani, Ammoniacy, ʒʒ drachm. iiʒ.  
 Præcipitati Mercurij cum Auro preparati drachm. ij.  
 Scammonij, Gialapæ, Agarici albissimi ʒʒ drachm. i sem.  
 Olei Nucis moschate expressi drachm. j.  
 Oleor. Succini, Caryophyllorum & Cinnamomi ʒʒgtt. vʒ.  
 Extracti Juniperi quantum satis.  
 Fiat ex arte massa Pilularum.

## Vires.

Insignis habentur efficaciam hæ Pilulæ ad curationem Cachexiæ, Febris Quartanæ, Hydropis, Icteri, & mensium suppressorum: Effinguntur Pilulæ, quarum singula duo vel tria grana pendeat, adfumendo duas vel tres ante cœnam, & hora vna ante decubitum, usum reiterando pro necessitate.

## Pilulæ Diureticæ.

℞. Terebinthina Chia & Vitrioli albi subtiliter pulverati ʒʒ drachm. ij.  
 Ex simul unitis fiat massa Pilularum ad usum.

## Vires.

Emerica Vitrioli qualitas cum emendationem ab admista Terebinthina obtineat, Diureticam induens, Pilulæ hæ probatissimi sunt effectus adversus quamvis Dysuriam, exhibendo illas à semidrachma ad integram.

## Pilulæ Febriles Sennerti.

℞. Olei, vel Liquoris Antimonij Saccharati drachm. j.  
 Aloes Socotrina ꝑnc. sem.  
 Ambra grisea drachm. ij.  
 Croci drachm. ij. sem.  
 Fiat ex arte massa Pilularum.

## Vires.

Admodum conducunt hæ Pilulæ ad curationem Februm Intermittentium, exhibendo à septem aut octo, ad decem aut duodecim grana, initio accessionis febrilis: per inferiora purgant, imo nonnunquam sudores pellunt.



## Pilulæ Hydragogæ.

R. *Elaterij*, *Extracti Aloes cum succo Ireos nostratis parati*, *ãã unc. sem.*  
*Mastiches electa pulverata drachm. ij.*  
*Fiant ex arte Pilulæ.*

Vires.

Istæ Pilulæ efficacissime Aquas Hydropicorum evacuant : Matutinis horis dantur à sex ad duodecim aut quindecim grana, in vsu pergendo si necessitas virgeat.

## Pilulæ ad Pallidos Virginum colores

℞. *Extracti Martis cum Musto parati unc. j.*  
*Extracti Aloes Socotrinae cum succo cichorij parati drachm. vj.*  
*Extracti Rhabarbari unc. sem.*  
*Extracti Croci drachm. ij.*  
*Oli stillatij Cinnamomi gr. vj.*  
*Ex simul mixtis fiat Massa Pilularum ad vsum.*

Vires.

Præstantissimæ sunt hæ Pilulæ ad curationem Chloroseos in puellis: Dosis est Scrupulus unus pro vice, mane jejuno ventriculo, superhaustis vini Absinthitis duabus aut tribus unciis, deambulationem postea per semi horam agræ imperando : Vfus ad plures dies protrahi debet.

## Pilulæ Pectorales.

R. *Lacrymarum Styracis drachm. ij.*  
*Extracti Liquiritie drach. j. sem.*  
*Extracti Croci scrup. iiij.*  
*Labdani, Olibani, Myrrhe electa, Extracti Opij ãã drach. j.*  
*Ambra grisea scrup. j.*  
*Syrupi corticum Citri quantum satis, fiat S. a. massa ad vsum.*

Vires.

Mira præstant hæ Pilulæ in sistendis fluxionibus in Pulmones incumbentibus, ac tussis vehementia retundenda : Dantur à quatuor aut quinque ad octo vel decem grana.

Pulveres.

Pulvis Arthriticus.



- R. *Hermodaetylorum*, *Turbith electi*, *Costi*, *Mechoacanna*, & *Scammonij* āā. drachm. j.  
*Sacchari candidi* drachm. ij.  
*Simul mixtorum omnium fiat Pulvis subtilissimus ad usum servandus.*

## Vires

Convenit eximie hic Pulvis ad expurgandum Serum Arthritidis causam : Exhibetur ex vino albo, mane, jejuno ventriculo, à scrupulo uno ad drachmam.

## Pulvis Adstringens.

- ℞. *Boli Armena*, *Terræ sigillata*, āā. unc. ij.  
*Balaustiorum*, *Rosarum rubrarum*, *sanguinis draconis*, *seminum stmach* & *Myrtillorum*, *Thuris*, *Mastiches* āā. unc. j.  
*Fiat omnium Pulvis ad usum servandus.*

## Vires

Potest hic Pulvis exhiberi ex vino, vel Decocto aliquo idoneo, à scrupulo uno ad drachmam, in hæmorrhagiis, ventriculi debilitate, & Intestinorum : Potest & exterius admoveri exceptus albuminibus ovorum, aceto, aqua vel decocto aliquo adstringente, forma Cataplasmatidis, ad cohibendas fluxiones vel sanguinis eruptiones, vel ad corroborandas & adstringendas partes.

## Pulvis Bezoarticus insignis.

- ℞. *Radicum Angelicæ*, *Contrayervæ* & *Serpentariæ Virginianæ* āā. unc. sem.  
*Lapidis Bezoar orientalis*, *Pulveris Viperini*, & *Bezoartici mineralis*.  
 āā. drachm. iiij.  
*Fiat ex arte Pulvis subtilissimus, permixtisque*  
*Oleorum stillatitiorum Angelicæ, Corticis Citri & Cinnamomi* āā. gtt. iiij.  
*Fiat Pulvis ad usum*

## Vires

Iste Pulvis præstantissimus est adversus quodvis Veneni genus, corroborando enim & propugnando partes nobiles, malignitatem per sudores expellit, vel insensibilem transpirationem, Datur ex vino Hispanico, vel aqua aliqua Cardiaca, à scrupulo uno ad drachmam.

## Pulvis Causticus,

## Seu Specificum Corrosivum Paracelsi.

- ℞. *Mercurij sublimati corrosivi* unc. iiij.  
*Salis Ammoniaci* unc. ij.  
*Simul pulveratis, & in matratio positis, superfundatur Aquæ fortis libr. j.*  
*Eaque cinerum calore moderate evaporata, donec materiæ paste consistentiam adquisiverint, superfususque Aceti radicalis* unc. viij.



*In eodem Balnea Cinerum, calare moderato universa massa exsicceetur,  
& redigatur in Pulverem ad usus servandum.*

## Vires

- Pulvis hic citissime & efficacissime carnes superfluas & excrescentias extirpandas absumit: Effectus celeritas, & sublimati corrosivi indoles, non minimam cautionem & prudentiam in illius usu requirunt, adeo ut paucissima quantitas unaquaque vice admittenda sit, in robustis solummodo usurpetur, admoveatur autem tantum partibus corporis ab emunctoriis & partibus principibus diffitis.

## Pulvis Dentifricius.

*℞. Lapidis Pumini Vli, Coralli albi, Ostis Sepie, & cremoris Tartari supra porphyritem preparatorum, Radicis Ireos Florentia subtilissima pulverata āā. unc. sem.*

*Salis Ammoniaci similiter pulverati drachm. j.*

*Moschi Orientalis, Ambre grisee āā. drach. iij.*

*Misce & fiat Pulvis ad usum.*

## Vires.

Admodum idoneus est hic Pulvis ad mundandos & dealbandos Dentes: Solus usurpatur, vel commixtus Syrupo Coraliorum aut Rosarum ficcarum, vel melli Rosaceo, in formam Opiatæ ante usum deducendo.

## Pulvis Anti-Epilepticus insignis.

*℞. Secundina mulieris, sanguinei temperamentis, marem primiparæ, sicca & membranis purgata.*

*Radicum Paonia flore albo, & seminis eiusdem āā. unc. sem.*

*Rasura cranij hominis morte violenta perempti,*

*Rasura unicornis, & ungula Alces, visci querai, Radicum valeriana syvestris & vinceto xiiij āā. drach. iij.*

*Margaritarum & Coralli rubri preparatorum, Lapidis contrayerva Succini albi, seminis Galege āā. drach. ij.*

*Moschi Orientalis & Ambre grisee āā. scrup. j.*

*Misce & fiat Pulvis ad usum.*

## Vires.

Non mediocres effectus edit hic Pulvis in preservatione & curatione Epilepsiæ, exhibendo ex aquis cephalicis à semiscrupulo ad semidrachmam: Commiscetur etiam Electuariis solidis & mollibus, aliisque remediis, pergendo in usu si opus fuerit.



## Pulvis Sarcoticus.

R. *Olibani, Sarcocollæ Mastiches, Myrrhe, Aloes, Munica, Aristolochia rotunda & longa* āā *unc. j.*  
*Fiat omnium Pulvis ad usum servandus.*

## Vires.

Expurgat vulnera hic Pulvis, ac carnis incrementum promovet, superasperfus, aut vnguentis, liquoribusve idoneis commixtus.

## Pulvis ad sedanda Tormina post Partum.

℞. *Radicum Mei Atlamuntici, Consolidæ majoris* āā *drach. ij.*  
*Succini preparati, Nuculorum Persicorum mundatorum* āā. *dr. j. sem.*  
*Cinnamomi, Macis & Croci* āā *scrup. ij.*  
*Misce & fiat Pulvis ad usum servandus.*

## Vires

Plurimum commendatur hic Pulvis ad sedanda tormina plerisque puerperis accidentia, dando in jusculeo à scrupulo uno ad duos.

Nonnulli etiam afferunt sanguinem ex intestino umbilici infantis prodeuntem, postquam obstetrix id Forficibus refecuit, calide semuncie pondere exhibitum; efficacissimum esse remedium ad sedanda eiusmodi tormina.

## Pulvis Violarum.

R. *Radicis Ireos Florentine* *libr. j.*  
*Santali citrini* *unc. v.*  
*Rosarum rubrarum* *unc. iiij.*  
*Styracis, Benzoini* āā *unc. ij.*  
*Cyperis & summitatum majorane* āā *unc. j.*  
*Ligni Rhodij* *unc. sem.*  
*Caryophyllorum, Calami Aromatici & Florum Lavendule* āā. *dr. ij.*  
*Fiat omnium Pulvis crassior ad usum servandus.*

## Vires.

Violarum odor, ab Iride huic pulveri impressus, id nomen illi imposuit: Solet vestimentis hic Pulvis, Sacculis inclusus immitti, vel linteis, suavis odoris communicandi gratia.

Pulvis



## Pulvis Viperinus elegans.

℞. *Viperarum exenteratarum*, cum *Cordibus & Hepatibus pulveratarum* unc. iij.

*Sacchari albiſſimi pulverati* unc. ij.

*Oleorum stillatorum Angelica & corticis Citri* āā. drachm. ſem.

*Misce fiat Pulvis ad uſum ſervandus.*

## Vires

Pulvis iſte aromatico odore imbutus ab oleis; à ſaccharo autem dulcedinem adeptus gratior eſt, majori efficacia opus exſerens quam uſitatus: Datur ex liquoribus idoneis à ſcrupulo uno ad drachmam.

## Salia.

## Sal Cachecticum chalybeatum.

℞. *Vitrioli Martis* unc. j.

*Salis prunelle* drach. ij.

*Salis ex Aquæ fortis capite mortuo extracti* unc. iij.

*Simul pulverentur, deinde Cucurbita Vitrea excepta, igni arena gradatim aucto committantur ad materiarum rubedinem donec inſtar Aquæ fluant, & tandem in rubrum & durum lapidem convertantur, qui ad uſus ſervetur.*

## Vires.

Multæ eſt commendationis hoc Sal in Cachexiæ curatione, ac morborum ſcorbuticorum, ad depurandam maſſam ſanguineam, appetitum excitandum, urinarios meatus referandos, fluxiones arcendas, quietem conciliandam, ac pravos humores per alvum, urinam, ſudores aut inſenſibilem tranſpirationem, & nonnunquam, ſed tariſſime per lenem vomitum expellendos: In pulverem deducitur, exhibeturque ex liquore idoneo à ſeprem aut octo ad duodecim aut quindecim grana.

## Sal Diureticum.

℞. *Vrinam ſani hominis, in qua dilue Vitrioli Hungarici pulveriſati quantum diſſolvere poterit: Diſſolutio fiat in vaſe amplo ut ebullitioni locus ſit ſufficiens, qua ſinita Liquor Cucurbita vitrea, ſuo Cavitello munita excipiat, & igne arena primum lento, deinde gradatim aucto fiat ex arte phlegmatis & ſpiritus diſtillatio, ſaliſque Volatilis ſub ſinem ſublimatio.*

## Vires.

Secreto Phlegmate quod primo ſtillat, igne mitiſſimo, ſeorſumque



reposito spiritu Acido postmodum sequuturo cum adactus fuerit ignis; quem impellendo, & continuando, Sal volatile in Capitellum ascensurum est.

Istud Sal cum constet ex Sale volatili Vrinæ, ac plurimis particulis acidis Vitrioli, una cum illo sublimatis, generose ferum per lotii vias expellit, cuius vias omnes expedit: Datur ex vino albo, vel Aquis aut Decoctis diureticis à scrupulo uno ad drachmam. Commodissime etiam usurpatur in Hydrope, diluendo in Decoctis aperiendivi præditis, quamobrem etiam spiritus Potui ordinario commiscetur: Phlegma dolores Podagricos sedat parti ægræ admotum: Conducit etiam extinguendæ Oculorum inflammationi.

*Spiritus.*

Spiritus Epilepticus.

*℞. Florum Lili convallium, Lavendulæ, Tiliæ, Saliæ, Primulæ Veris, & Rorismarini aa. m. ij.*

*Quilibet Florum suo tempore, omnesque simul, in spiritu vini rectificati lib. vj. Vase diligenter clauso macerentur, additisque tandem Visci quercini, Radicum Valerianæ, & Pæoniæ maris aa. unc. iiij.*

*Iis contusis, & per octo dies maceratis in vini malvatici libr. j.*

*Cum Cinnamomi, Macis, Caryophyllorum & Nucis moschate, aa. unc. sem.*

*Fiat omnium permixtio, & ex arte in Cucurbita vitrea, suo Capitello instructa, in Arenâ Balneo calore moderato distillatio, serveturque spiritus prælectus ad usus.*

*Vires.*

Spiritus iste utilissimus est ad præsertionem & curationem affectuum Epilepticorum: Porrigitur à drachmis duabus ad semunciam, solutus aut commixtus liquoribus cephalicis: Potest etiam naribus immitti, temporibus ad moveri, ac locis circa cranij, commissuras, commodissime etiam potest usurpari ad quoslibet cerebri affectus.

*Spiritus Antiscorbuticus.*

*℞. Baccharum Juniperi & Sambuci contusarum aa. unc. iiij.*

*Seminis Cochleariæ, Cardui benedicti, & Nasturtij hortensis contusorum aa. unc. ij.*

*Succorum Cochleariæ, Nasturtij aquatici, Beccabungæ, Raphani rusticani, Persicariæ, Nummulariæ, Chelidoniæ & Fumariæ aa. unc. ij.*

*Omnia vase idoneo excepta, permixta fermenti Cerevisiæ unc. j.*



*In hypocausto usque ad debitam fermentationem collocentur, deinde distillentur & servetur spiritus.*

## Vires

Singularium est virium hic Spiritus ad curationem affectuum Scorbaticorum, Acidorum enim vim, circulationem liberam impediendum infringit, sanguini quippe motum naturalem restituit, impurasque partes segregat; Exhibetur à drachmis duabus ad semunciam, mane ventriculo vacuo, ex vino Hispanico, aut Aqua spirituosâ quæ in distillatione spiritum subsequitur; in usu prout opus pergendo.

## Spiritus Theriacalis.

℞. *Radicum Imperatoris, Angelica, Men Athamantici, Valeriane majoris* āā. unc. iiij

*Baccarum Juniperi, seminum Ameos, & Seseleos maffiliensis* āā. unc. j.  
*Theriace probata* unc. iiij.

*Radices & semina confusa in spiritus vini rectificati* libr. ij.

*Cum Theriaca per octo dies macerentur, deinde ex arte distillentur, & servetur spiritus ad usum.*

## Vires

Spiritus hic Theriacalis omnibus venenis ex æquo adversus est; Datur ex vino Hispanico, vel liquoribus Cardiacis, à drachma una ad tres vel quatuor: Potest etiam naribus immitti, temporibus admoveri, & circa Cranii suturas.

## Spiritus Vterinus.

℞. *Radicum Aristolochia longa & rotunda, Pæonia, Valeriana minoris* āā. unc. ij.

*Castorei* unc. j.

*Summitatum siccarum Absinthij, Artemisia, Tanaceti, Matricaria, Florum Sambuci & Chammille* āā. M. j.

*Macerentur per triduum confusa, vel incisa omnia, in spiritus vini rectificati* lib. iv.

*Deinde ex arte distillentur, & servetur Spiritus.*

## Vires

Efficax admodum est hic Spiritus ad discutiendos vapores ex Vtero oriundos, illiusque obstructions referandas: Exhibetur à drachma una ad duas vel tres drachmas pro vice, ex Aquis vel Decoctis hystericis: Indere etiam eundem licet naribus, temporibus & umbilico.



Syrupi.

## Syrupus Epilepticus.

R. Visci querni, radicum pœonie, Rasura cranij humani violenta morte perempti  $\text{ãã}$ . drachm. sem.

Florum Lili convallium, Lavendule, Tilia Anthos, Salvia & Calendula  $\text{ãã}$ . p. j.

Contusus viscus & Radices, cum cranio humano & Floribus in matratium conjiciantur, superfusaque Spiritus vini rectificatissimi libra j.

Diligenterque obturato vase, per hebdomadam calore moderatissimo mace-  
rentur, Abstracta deinde ex arte, igne lento, & servata seorsum Spiritus Vini parte dimidia, reliquum expressum & filtratum cum Sacchari albissimi  $\text{vnc. ij}$ .

In Syrupi consistentiam redigatur, Postea.

Aromatizetur olei Cinnamomi stillatij  $\text{gt. ij}$ .

Vires.

Admodum commendatur hic Spiritus ad præcautionem & curatio-  
nem Epilepsiæ; Datur solum à semuncia ad vnciam vnam, procul à cibo,  
pergendo in vsu: Degetior reddi potest addendo drachmam vnam  
spiritus abstracti; Aut dilui Syrupus ex Aquis aut Decoctis Cephalicis.

## Syrupus Scorbuticus P. Foresti.

℞. Succorum Cochlearie, Beckabunge depuratorum  $\text{ãã}$  libra iij.

Sacchari optimi libra ij.

Fiat ex arte Syrupus.

Vires.

Istius Syrupi vsus vtilissimus est in affectibus Scorbuticis, procul à ci-  
bo illum porrigendo, à cochleari vno ad duo.

Tabellæ.

## Tabellæ de Croco Martis.

R. Croci Vitrioli Martis  $\text{vnc. sem}$ .

Lumbricorum terrestrium vino lotorum, Siccatorum & pulveratorum  
drachm. ij.

Cinnamomi subtiliter pulverati drachm. sem.

Sacchari optimi in aqua Arthemisiæ cocti drachm. vj.

Fiant ex arte Tabellæ.

Vires.



## Vires.

Hæ Tabellæ admodum conferunt referendis obstructionibus Viscerum, speciatim Vteri: Porriguntur à drachmis duabus ad semunciam: Sumantur mane jejuno ventriculo, superbibendo vini Absinthitis vngias duas aut tres.

## Tabellæ Diureticiæ.

R. Radicum Ononidis, Eryngij, Fœniculi, Brusci & Petroselini àà drachm. sem.

Seminum Bardanæ & milij Solis àà drachm. ij.

Fiat omnium ex arte Decoctum in Aquæ Raphani libra ij.

Colatura cum Sacchari optimi libra sem.

Ex arte coquatur in Tabellas ponderis drachm. ij.

## Vires.

Calculosi, & qui difficultati vrinæ obnoxij sunt, his Tabellis vtilissime uti possunt, unam vel alteram mane vacuo stomacho adsumendo, pergendo in vsu.

## Tabellæ ad sistendam Gonorrhœam.

R. Seminum Plantaginis, Agni casti, Papaveris albi, Ruta, Myrtillorum & Hyosciami, Rosarum rubearum, Menth. sicca, & Coralli rubri preparati ana drachm. ij.

Fiat omnium pulvis subtilissimus, & cum mucilagine Gummi Tragacanthi, & Sacchari optimi vnc. viij.

Pingantur ex arte Tabellæ pulveris vnc. sem.

Quarum æger capiat unam singulis matutinis longe à pasto.

## Vires.

Vtilissimæ sunt hæ Tabellæ ad sistendam Gonorrhœam, præmissis generalibus remediis.

## Tabellæ ad Herniam.

R. Radicis consolidæ majoris sicca vnc. j.

Rosarum rubrarum exungulatarum, Mastiches electæ, Coralli rubri preparati ii, Sanguinis Draconis ana drachm. ij.

Sacchari candidi libra j.

Fiat omnium Pulvis excipiendus mucilagine Gummi Tragacanthi, & fiant Tabellæ ponderis drachm. ij.



## Vires.

Admodum probantur hæ Tabellæ ad corroborandas partes affectas Hernia laborantium, dummodo admoveantur subligacula convenientia: Vna pro dozi adsumi potest, quavis hora, procul à pastu, vsum illarum producendo.

## Tabellæ Pectorales,

R. *Pulpæ radice Althææ* ꝑnc. j.  
*Pulveris radice Ireos Florentina & Liquiritiæ rasæ* āā drachm. ij.  
*Florum Sulphuris scrupul. ij.*  
*Florum Benzoini scrupul. j.*  
*Sacchari optimi* ꝑnc. viij.  
*Cum mucilagine Gummi Tragacanthi fiant ex arte Tabellæ.*

## Vires.

Tussientibus non leve auxilium præbent hæ Tabellæ, media pars vnus pro vice sufficit, procul à cibo sumenda, quavis diei vel noctis hora virgente Tussi.

## Tela.

## Tela Cerata pro Paropia Muliebri.

R. *Ceræ albissimæ* ꝑnc. iiij.  
*Spermatis Ceti* ꝑnc. ij.  
*Olei quatuor seminum frigidorum maiorum mundatorum sine igne extracti,*  
*& præcipitati Bismuthi* āā drachm. ij.  
*Boracis & Aluminis vsti subtilissimæ pulveratorum* āā drachm. sem.  
*Fiat liquisfactio & omnium mistio in Balneo Mariæ, eodemque tempore im-*  
*mersio Telæ & extensio.*

## Vires.

Telæ hujus inceratæ præparatio ad Paropia intus munienda admodum accommoda est & facilis, nitorem quippe vultui matronis conciliat.

## Tela Cerata post Partum mammis imponenda.

R. *Olei Rosati* ꝑnc. vj.  
*Vinæ pervinæ contusæ* ꝑnc. iiij.  
*Succorum Mentha & Salvia minoris* āā drachm. j. sem.  
*Coquantur simul igne lento ad succorum consumptionem deinde colentur &*  
*exprimantur, in Oleo vero expresso liquefiant Cera flavæ in frustula dissectæ* ꝑnc. iiij.  
*Semique refrigeratis addatur Mastiches ejectæ subtiliter trita* ꝑnc. sem.  
*Illisque Telæ imbuatur.*

## Vires



## Vires

Incerata hæc Tela admodum utilis est ad prohibendum mammarum incrementum à partu, sicuti & ad Lactis diversionem, ac ad inferiora effluxum promovendum; Cerato liquido immerguntur lintea in segmenta dimensa divisa, calide mammis adponenda, super impositis postmodum linteis calentibus, Telæ admotionem renovando donec univèrsum lac per inferiora effluerit.

## Trochisci

## Trochisci Caustici.

℞. Cinerum Clavellatorum, & Calcis viva recenter coctæ aa vnc. j.  
Sublimati corrosivi, Thuris masculi aa vnc. sem.

Subtiliter pulveretur & misceantur, & cum aqua Rosarum fiant exigui Trochisci, in umbra siccandi.

## Vires.

Hi Trochisci exiguo temporis spatio partes corporis cui admoventur inurunt, eadem ratione procedendo ac in applicatione causticorum vſiratorum.

## Trochisci Odorati, vel Aviculæ Cypriæ.

℞. Pulveris Carbonum Salicis vnc. iij.

Labdani vnc. ij.

Storacis, Benzoini aa vnc. sem.

Mastiches, Gummi Tragacanthæ odoratæ, Succini flavi aa drachm. ij.

Santali citrini, Ligni Rhodij aa drachm. i. sem.

Cum mucilagine Gummi Tragacanthæ in aqua Rosarum extractæ fiant ex arte Trochisci in umbra siccandi.

## Vires.

Hi Trochisci Pastilli nomen obtinuerunt; vel Avicularum Cypriarum: Prunis candentibus imponuntur ad suffumiganda cubicula, & vſu grato odore impleantur.

## Trochisci, vel Aviculæ Cypriæ aliæ.

℞. Carbonum Rosismarini pulveratorum vnc. iij.

Labdani vnc. ij.

Storacis, Benzoini ana vnc. j.

Radicum Cyperi, Calami aromatici, Mastiches, Succini aa drachm. ij.

Caryophyllorum drachm. j.

Moschi, Ambræ griseæ, Zibethi aa Gr. x.

Cum mucilagine Gummi Tragacanthæ in aqua Florum Arantiorum extractæ fiant Trochisci in umbra siccandi.



## Vires.

Aviculæ hæ Cypriæ prioribus sunt magis odoratæ , Eodem modo in usum adduci possunt.

## Trochisci alij Nobiliores.

℞. Resinæ Styracis , juxta præscriptum meum parata, Benzoini electi & Carbonum Salicis āā. unc. j.

Tacamahaca odorata purissima , Ligni Aloes veri subtilissime pulverati āā. unc. sem.

Ambre griseæ drach. j.

Moschi drach. sem.

Zibethi gr. vj.

Oleorum stillatiorum ligni Rhodij , Cinnamomi & Caryophyllorum āā.

Guttas vj.

Cum mucilagina Gummi Tragacanthi in Aqua Rosarum soluti fiant ex arte Trochisci.

## Vires

Pastilli hi quam præcedentes maioris sunt pretij , Odor vero multo est suavior.

## Vnguenta.

## Vnguentum ad Ambusta.

℞. Butyri recentis libr. ij.

In liquefactum igne moderato Butyrum injiciantur extra ignem Nivis quantum calor butyri liquefacere poterit ; Collectoque Butyro aquam Nivis supernatanti , addatur Cerusa Venetæ pulverata unc. j.

Caphura cum tantillo spiritus vini pulverati drach. j.

Et factum erit Vnguentum.

## Vires.

Plurimum commendatur istud Vnguentum ad quamvis Combustionis speciem.

## Vnguentum aliud ad Ambusta.

℞. Axungie Porci Masculi lib. j.

Vini albi libr. ij.

Foliorum Salvie minoris , Hedera terrestris & muralis , Majorane & Semperviri majoris āā. M. ij.

Coquantur



*Coquantur simul igne lento sapius movendo ad humidi consumptionem, Deinde colentur & fortiter exprimantur, & servetur Vnguentum ad usus.*

Vires.

Non minus priori utile est istud Vnguentum ad Ambustorum sanationem.

Vnguentum Flavum.

℞. *Butyri Majalis lento igne cocti, & facibus à humiditate purgati libr. vi. Cere flavæ libr. iv. Resinæ libr. ij. Terebinthina Veneta lib. j. Fiat ex arte Vnguentum.*

Vires.

Vtcunque solidum est istud Vnguentum, ut moram trahere queat admotum partibus ægris: Conducit curandis Tibiarum ulceribus, Herpeti, Pernionibus, Fissuris Mammarum aliarumque partium.

*Vnguentum Nigrum,*

Ad Apostemata omnia aperienda, etiam Pestifera.

℞. *Olei communis libr. ij. Cere albæ & flavæ, Servi arietini prope renes sumpti, Resinæ pure Picis, navalis, Terebinthina Venetæ aa libr. sem. Mastiches electæ subtiliter pulveratæ unc. ij. Fiat ex arte Vnguentum.*

Vires.

Singularis efficaciam est hoc Vnguentum ad ruptionem quorumvis Apostematum promovendam, imo & Bubonum Carbonumque Pestilentium aut Venereorum, Vnguenti consistentia quam usitatorum solidior est, ut diutius parti affectæ immorari queat; Rupto vero Abscessu pergendum nihilominus in adplicatione unguenti, & ad perfectam usque sanationem.

Vnguentum Ophthalmicum probatissimum.

℞. *Vnguenti Rosati unc. ij. Mellis Narbonensis. unc. sem. Aloes electæ & Sarcocollæ pulveratarum, & in lacte muliebri absque agitatione per tres dies infusarum, mutato lacte unaquaque die aa. drach. j.*



*Pulveris Trochiscorum alborum Rhasis, Boli Armena, Tuthia preparata* āā. scrup. iij.

*Virioli albi & Sacchari candidi* āā. drach. j.

*Pulveris Croci, Myrrha, & Olibani* āā. scrup. ij.

*Opij Thebaici* Gr. xv.

*Fiat ex arte Vnguentum.*

#### Vires.

In Oculorum affectibus probatissimum est Vnguentum; In introitu lecti cantho oculi immittatur magnitudo capitis aciculæ maioris, sinendo ut lique scat; Mane soluto somno abluatur Oculus aqua Plantaginis, aut Rosarum albarum.

#### Vnguentum ad capiendos Pisces.

℞. *Axungia Humana & Cati* āā. unc. sem.

*Mumiæ subtiliter pulverata* drach. iij.

*Seminis Cumini similiter pulverati* drach. j.

*Oleorum stillatitiorum Anisi & de spica* āā. gtt. vj.

*Zibethi & Camphoræ* āā. Gr. v.

*Fiat ex arte Vnguentum.*

#### Vires.

Eximium est unguentum hoc ad alliciendos Pisces, Inungatur filum & virga, hamo affigatur lumbricus terræ, demerso vero in fluvium filo piscatorio successus illico manifestus erit.

#### Vnguentum Viride,

℞. *Butyri recentis cocti & purgati* lib. iij.

*Resinæ & Picis Burgundicæ* āā. lib. j.

*Ceræ flavæ* unc. iv.

*Fiat ex arte Vnguentum extra ignem, addendo*

*Viridis Æris puluerat; drach. ij.*

*Omnia agitentur usque ad Vnguenti refrigerationem.*

#### Vires

Mirificum est istud Vnguentum ad expurgationem & sanationem quorumvis Ulcerum & Vulnerum.



*Diacetateſſe Helmontij.*  
Seu ſpecificum Sudorificum & Purgans.

*℥. Antimonij crudi, Salis Ammoniaci pulveratorum & ſimul mixtorum  
āā. unc. vj. Sublimentur ex arte Flores inflammabiles rubri: Horum ℥. unc.  
iiij. Nitri puriſſimi unc. viij. Detonentur in Ollis ſublimatoriis, & Flores  
abſque ulla ſui deperditione colligantur: Flores detonatos edulcora aqua calida  
donec nulla amplius ſalſedo gultu deprehendatur: Siccato huic leni calore Pul-  
veri affunde ſpiritum vini puriſſimum ad quaſuor tranſverſorum digitorum emi-  
nentiam, Omniaque Alembico excepta, agglutinato Recipiente, diſtillentur igne  
primum lento, qui tandem ita augeatur ut materia ebulliat ad ſiccitatem uſque:  
Relictus vero Pulvis perfecte exſiccatus, per dimidiam adhuc horam igni ex-  
ponatur, & ad uſum ſeruetur.*

Vires.

Pharmacopœæ meæ finem impositorus, non alia ratione id me me-  
lius perfecturum credidi quam exhibita egregia hac Antimonii præpa-  
ratione, cuius ope valenter provocantur Sudores, leniterque postmo-  
dum excitatur alvus: Procul à paſtu exhibenda à viginti ad triginta gra-  
na, ex conſerva aliqua formæ boli, vel diſſolvendo in aqua quapiam  
Cardiaca.

FINIS.



